



DOCTRINA MORUM
EX OMNIBUS OPERIBUS
D. THOMÆ AQUINATIS
SUMMATIM DEPROMTA

S. CONCILII TRIDENTINI DECRETIS, SUMMORUM PONTIFICUM, ET PATRUM SANCTIONIBUS SPARSIM FIRMATA,

QUA

ET NOVATORUM, ET CASUISTARUM ERRORES PRÆDAMNATI CONSPICIUNTUR.

OPUS THEOLOGIÆ MAGISTRIS, CONCIONATORIBUS, CONFESSARIIS, ET ANIMARUM RECTORIBUS PERQUAM UTILE,

ORDINE QUO IACET DISPOSITUM

A REVER. ADMODUM PATRE

FR. PETRO - ALCANTARA
A SANCTO PETRONIO

CARMELITA EXCALCEATO,

ET PROVINCIÆ LONGOBARDIÆ DEFINITORE,

ET AB EODEM

DEO OPTIMO MAXIMO

DICATUM.






FLORENTIÆ
EX TYPOGRAPHIO MAGNI DUCIS ETRURIÆ
PER CAIETANUM CAMBIAGI.

M. DCC. LXXII.
SUPERIORUM PERMISSU.


PRÆFATIO.




Uod rebus humanis plerisque omnibus evenire solet, ut quæ origine sua casta, & laudabilia sunt, ipsa hominum consuetudine, & multorum veluti contrectatione, in deterius abeant, & noxia quoque fiant; id Christianæ Morum Disciplinæ, quam ab ipso Præceptore Christo, & a primævis Ecclesiæ Patribus, fidissimis eius depositi custodibus, ceu a nitidissimis, tutissimisque fontibus ad nos promanare perpetuo oporteret, miserrimo, nec umquam satis deplorato fato contigisse videri potest. Ex quo enim in Scholarum contentionem venire, & magnis undique subcrescere, ac veluti luxuriari voluminibus ea iusti & æqui Scientia cœpit, inde varie opinandi libertas, ingeniorum petulantia, sententiarum tam extrema dissensio exorta est, ut iam sincerus quique veritatis cultor, & boni, rectique amator ubi tuto pedem figere, & animo quiescere possit, minime dignoscat; dum alii in suis abeuntes adinventionibus, Christi iugum, quod cœlestis tantum præsentia gratiæ suave est & leve, ita emolliunt, ac relaxant, ut latum ad vitia aditum hominum sensibus, ad omne malum numquam non pronis, aperiant, dilatent; alii viam salutis, & divinorum præceptorum observantiam ita angustant, & onerant, ut in quamdam imbecilliores mentes desperationem inducere videantur. Quibus immensis utique malis, quæ externam ipsam Ecclesiæ faciem decolorant, & obnubilant, si quis miserantem manum, quantum privato homini fas esse possit, admovere probe, utiliterque voluerit, is universam hanc provinciam ad sua puriora, simplicioraque principia revocare debuerit. Nullus autem est qui dubitet, quin eam ipsam viam in tradendis morum præceptionibus, vel unus Angelicus Thomas *tanto candore, ac luce, tantaque soliditate, & certitudine fuerit confectatus, ut per illum solum universa Christi, Patrum, & Ecclesiæ doctrina, tamquam e limpidissimo fonte suo, novo utique ordine, & mirabili methodo ad nos felicissime, suavissimeque profluxerit. A quo utinam*

qui

qui illum imitari ſtuduerunt, aut vana ingenii oſtentatione, aut nimia quæſtionum, & contentionum inutiliſſimarum acceſſione, longiſſime non receſſiſſent. Cogitanti ergo mihi, ſi quid in extrema hac mea ſenectute, ad quam Dei Optimi Maximi beneficio perveni; ad eam Angelici Magiſtri mei viam inſtaurandam, reficiendamque conferre pro mea tenuitate potuiſſem, id me facili conſequuturum occurrit, ſi eius ipſiſſima prolata, quæ ob latius S. Doctoris inſtitutum non ſemper iuncta in eius ſcriptis leguntur, in breves Tractatus ita conlegiſſem, ut relictis etiam, quæ in uſum Scholæ ſibi ipſe conficit obiecta, ſola ad ſingulas Moralis Doctrinæ quæſtiones reſponſa, una cum ſuis præcipuis munimentis, præſumſiſſem, atque in parvum hocce Volumen, quod omnium manibus commode teratur, congeſſiſſem; quin nihilominus de meo quidpiam addidiſſem, niſi breviuſculos, opportunoſque ſermonis nexus, ſeorſim vero, & ad calcem cuiuſque Articuli, diverſo etiam charactere, aut nota alia, Hæreticorum, & Caſuiſtarum errores, eiuſdem Angelici Doctoris ſententia prædamnati, & a Summis Pontificibus expurgati, ac tandem Sacroſancti Concilii Tridentini decreta, quæ ſunt veluti poſtremum totius Eccleſiæ, quoad Ethicam Chriſtianam, organum, & oraculum. Accipe ergo, humaniſſime Lector, hoc ipſum, quod tibi uberrimo, ſaniſſimoque compendio, brevi labore comparavi, ut res animo reſponderet; atque hæc ita æqui bonique conſule, ut quidquid erratum eſt, cano iam ſeni facile indulgeas, quidquid autem laude dignum repereris præcipuo huius Opellæ Auctori, & Magiſtro tribuas; de quo propterea non tam ingenue, quam vere illud me dicere oportet: Mea Doctrina non eſt mea, ſed eius, cui dictum eſt; Bene ſcripſiſti de me Thoma.



DOCTRI-



DOCTRINA MORUM
AD MENTEM
DIVI THOMÆ AQUINATIS.



TRACTATUS PRIMUS.
De Actibus humanis, sive de Moralitate.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit Moralitas?

RESPONDET DIVUS THOMAS.



Os ponitur pro actu honesto, secundum quod a more aliquis dicitur morigeratus, quia est bonorum morum, & sic a more Philosophia moralis nominatur, 4. *sent. dist.* 33. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 2. Actus moralis si sit honestus, & conveniens rationi erit bonus, si sit discordans erit malus, *q.* 2. *de malo art.*6.

2. *Quær.* An finis sit principium humanorum actuum, & ab illo specificentur?

Resp. Div. Th. Manifestum est, quod principium humanorum actuum est finis, & similiter, est terminus eorumdem, ideo actus morales, sive humani inquantum huiusmodi speciem sortiuntur ex fine: unde *Aug.* dicit *in libro de moribus Eccl. & Manichæorum*, secundum quod finis est laudabilis, vel culpabilis, secundum hoc opera nostra sunt culpabilia, vel laudabilia, *p.* 2. *q.* 1. *art.* 3. *in corp.*

3. *Quær.* An unus sit finis, an plures?

Resp. Div. Th. Idem actus numero secundum quod egreditur ab Agente non ordinatur nisi ad unum finem proximum, a quo habet speciem, potest tamen ordinari ad plures fines remotos, quorum unus sit finis alterius. Impossibile enim est, quod voluntas unius hominis simul se habeat ad diversa non subordinata, sicut ad plures ultimos fines; nam oportet, quod ultimus finis ita impleat totum hominis appetitum, quod nihil extra ipsum relinquatur, alias non esset bonum perfectum, & completivum sui ipsius: notandum tamen est, quod de ultimo fine possumus loqui dupliciter, uno modo secundum rationem ultimi finis: alio modo secundum id in quo finis ultimi ratio invenitur; quantum igitur ad rationem ultimi finis omnes conveniunt, quia omnes appetunt suam perfectionem adimpleri, quæ est ratio ultimi finis. Sed quantum ad id in quo ista ratio invenitur non omnes conveniunt; nam quidam appetunt divitias,

quidam vero voluptatem, quidam vero quodcumque aliud. Unde quamvis illi qui peccant avertantur ab eo, in quo vere invenitur ratio ultimi finis, non autem ab ipsa ultimi finis intentione avertuntur, quam quærunt falso in aliis rebus præter incommutabile bonum, in quo vere invenitur ratio ultimi finis, & beatitudo hominis. Nam obiectum voluntatis est universale bonum, sicut obiectum intellectus est universale verum, quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo, cum Creatura habeat solum bonitatem participatam: solum igitur Deus voluntatem hominis implere potest, secundum quod dicitur *Psal.* 102. Qui replet in bonis desiderium tuum, & ideo in solo Deo finis ultimus, & vera beatitudo hominis est; unde necesse est, quod omnia, quæ homo appetit, appetat propter ultimum finem, scilicet propter Deum, non tamen oportet, ut semper actu cogitet, sed virtus primæ intentionis manet, *p.* 2. *q.* 1. *art.* 3. *& art.* 6. *&* 7. *& q.* 2. *art.* 8.

Recolatur prop. 1. damn. ab Alexandro VIII. die 24. Augusti 1690. scilicet.

Bonitas obiectiva consistit in convenientia obiecti cum natura rationali, formalis vero in conformitate actus cum regula morum: ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc non tenetur homo amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.

4. *Quær.* Quinam sint præcipui actus humani, & primo quid sit intentio?

Resp. Div. Th. Intentio sicut ipsum nomen sonat, significat in aliud tendere, & cum sit voluntatis tendere ad ipsam rem, & voluntas moveat omnes alias vires animæ ad finem, manifestum est, quod intentio proprie est actus voluntatis præsupposita ordinatione rationis ordinantis aliquem in finem: non tamen oportet, quod solum sit ultimi finis, nam si intentio esset tantum ultimi finis, non essent diversæ hominum intentiones, nam in motu potest accipi terminus dupliciter, uno modo ispe terminus ultimus, in quo quiescitur, alio modo aliquod medium, quod est principium unius partis motus, & finis alterius, sicut in motu locali, quo itur de A. in C. per B, C est terminus ultimus, B est terminus, sed non ultimus, sed intermedius, & utriusque potest esse intentio, unde etsi semper sit finis ultimi, potest esse etiam intermedii, nam homo simul intendit, puta confectionem medicinæ, & sanitatem, *p.* 2. *q.* 12. *per totam*.

5. *Quær.* Quid sit electio?

Resp. Div. Th. Sicut intentio est finis, ita electio est eorum, quæ sunt ad finem, ut *Phil. dicit in* 3. *eth.* & cum electio sit perceptio unius præ alio, necesse est, quod electio sit respectu plurium mediorum, quæ eligi possunt cum quadam discretione unius ab altero, & ideo proprie solius voluntatis est eligere, non autem appetitus sensitivi, quia appetitus est determinatus ad unum particulare bonum, voluntas autem est quidem determinata ad unum commune bonum, sed indeterminata respectu particularium bonorum, in media tamen non fertur, nisi quatenus fertur in finem: primo vult sanitatem, & postea condnecere medium, & adhibere medicamenta, *p.* 2. *q.* 8. *& q.* 13. *per totam*.

6. *Quær.* Quid sit consensus?

Resp. Div. Th. Consentire importat applicationem sensus ad aliquid quasi experientiam sumens de re cui inhæret inquantum complacet sibi in ea; solum rationalis natura habet in potestate sua appetitum motus, & potest ipsum applicare, vel non applicare ad hoc, vel ad aliud, & sic sola ratio superior consentire dicitur, non solum quando secundum rationes æternas non dissentit, sed etiam quando tenetur non consentire, & consentit in actum propter aliquas rationes temporales, vel etiam propter aliquas passiones animæ, & sic sola ratio dicitur consentire, & peccare, *p.* 2. *q.* 15. *per totam*.

7. *Quær.* Quid sit usus?

Resp. Div. Th. Uti primo, & principaliter est voluntatis, quæ habet applicare principium actionis ad actionem; rationis tamquam dirigentis, aliarum potentiarum tamquam exequentium, *p.* 2. *q.* 16. *art.* 1. *&* 2. *promiscue*.

8. *Quær.* Quid sit fruitio?

Resp. Div. Th. Frui est amore inhærere alicui rei propter se ipsam, ut ait *Aug. in lib.* 10. *de Trinitate*. Perfecta fruitio est habiti finis ultimi realiter, sed imperfecta est finis non habiti realiter, sed in intentione tantum, quia quando ali-

aliquid expectatur, motus voluntatis remanet in suspenso, & non quiescit simpliciter; & licet aliquod medium habeat forte in se quamdam delectationem, ad quod praecedentia media referuntur, non tamen proprie, & secundum completam rationem dicitur frui, *p. 2. q. 11. per totam*.

9. *Quaer.* An de ratione actus humani sit esse voluntarius?

Resp. Div. Th. Voluntarium enim est cuius principium intrinsecum est in ipso homine in quantum quod homo maxime cognoscit finem sui operis, & movet se ipsum in eius actibus in quantum quod apprehenditur res, quae est finis non solum ut in brutis animalibus per sensum, & aestimationem naturalem, sed etiam cognoscitur ratio finis, ita ut homo deliberans de fine, & de his, quae sunt ad finem potest moveri, & non moveri per actus voluntarios, ad quos sequitur laus, aut vituperium, *p. 2. q. 6. art. 1. & 2. per totum*.

10. *Quaer.* An omissio possit esse voluntaria?

Resp. Div. Th. Illud cuius domini sumus dicitur esse voluntarium; sed nos domini sumus eius, quod est agere, & non agere, velle, & non velle; sicut igitur agere, & velle est voluntarium, ita non agere, & non velle. Pro quo notandum est, quod aliquid voluntarium dicitur esse dupliciter; uno modo directe, quod procedit ab aliquo in quantum est agens, sicut calefactio a calore: alio modo indirecte sicut submersio navis dicitur esse a gubernatore in quantum desistit a gubernando. Sed sciendum, quod non semper id quod sequitur ad defectum actionis reducitur sicut in causam in agens ex eo, quod non agit: sed solum tunc, cum potest, & debet agere, & non agit: Si enim gubernator non posset navem dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio navis, non imputaretur ei navis submersio, quae per absentiam contingeret: Quia igitur voluntas volendo, & agendo potest impedire hoc quod est non velle, & non agere, & aliquando debet, tunc hoc, quod est non velle, & non agere imputatur ei. Et sic voluntarium dicitur non solum quod procedit a voluntate directe sicut ab agente: sed etiam quod est ab ea indirecte, sicut a non agente: quando scilicet est in potestate alicujus, & debet considerare, velle, & agere, & tunc non considerare, non velle, & non agere cum tempus fuerit, est voluntarium, *p. 2. q. 6. art. 3.*

11. *Quaer.* An ignorantia semper causet involuntarium, & excuset a peccato?

Resp. Div. Th. Ignorantia habet caussare involuntarium ea ratione, qua privat cognitione, quae praeexigitur ad voluntarium. Non tamen qualibet ignorantia hujusmodi cognitione privat. Et ideo sciendum, quod ignorantia tripliciter se habet ad actum voluntatis; uno modo concomitanter, alio modo consequenter, tertio modo antecedenter: Concomitanter quidem quando ignorantia est de eo, quod agitur, tamen si sciretur, nihilominus ageretur; puta cum aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum per accidens, putans occidere cervum: & talis ignorantia non facit involuntarium, quia non causat aliquid, quod sit repugnans voluntati; sed facit non voluntarium, quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est. Consequenter vero se habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipsa ignorantia est voluntaria, & hoc contingit dupliciter, uno modo, quia actus voluntatis fertur directe in ignorantiam, sicut cum aliquis ignorare vult, vel ut exculpationem peccati habeat, vel ut non retrahatur a peccando, & haec dicitur ignorantia supina, affectata, & crassa; alio modo dicitur ignorantia voluntaria indirecte ejus, quod quis potest scire, & debet, puta cum aliquis actu non considerat, & negligit, quod considerare potest, & debet, quae est ignorantia, vel malae electionis, vel ex passione, scilicet cum aliquis notitiam, quam debet habere, propter laborem non curat acquirere, & secundum hunc modum ignorantia universalium, & juris, quae quis scire tenetur, voluntaria dicitur, quasi per negligentiam proveniens Cum autem ignorantia est voluntaria aliquo istorum modorum est culpabilis. Antecedenter se habet ad voluntatem ignoranria cum aliquis ignorat aliquam circumstantiam actus, quod non tenebatur scire, & ex hoc aliquid agit, quod non faceret si sciret: puta cum aliquis diligentia adhibita nesciens aliquem transire per viam proiicit sagittam,

nam, qua interficit transeuntem. Hæc ignorantia facti, quam Aristotiles vocat ignorantia particularium circumstantiarum, meretur veniam; non autem ignorantia, quæ dicitur juris, omnes enim tenentur scire communiter, ea, quæ sunt fidei, & universalis juris præcepta; singuli vero ea, quæ ad eorum statum, vel officium spectant. Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ sic aliquis scire tenetur peccatum est; non autem imputaretur homini ad negligentiam, & ad peccatum, si nesciat ea, quæ scire non potest, & hæc ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest, ideo non est voluntaria, eo quod non sit in nostra potestate eam repellere. Nulla igitur ignorantia, si sit invincibilis, est peccatum; ignorantia vero si sit vincibilis semper est peccatum si est eorum, quæ aliquis scire tenetur; non autem si esset eorum, quæ quis scire non tenetur. Denique ignorantia vincibilis veritatis, & juris habet multos pravos effectus; per illam enim primo contrahuntur sordes non solum errorum in intellectu, sed etiam pravarum affectionum in voluntate, & inordinatio actionum in actu; Secundo ignorantia reddit homines otiosos, qui dum habent ignorantiam boni, quod est finis, & mediorum, quibus ad finem pervenitur, non se movent ad finem consequendum. Tales sic exprobrantur *Exod.* 32. Gens absque consilio, & sine prudentia, utinam aliquando saperent, & intelligerent, ac novissima providerent, *p.* 2. *q.* 6. *art.* 8., *&* *q.* 76. *art.* 3. *&* 2. 1. *q.* 59. *art.* 4. *ad* 1. *q.* 3. *de malo art.* 7 *&* 8. *&* *sect.* 4. *cap.* 4. *in Dion. de Diviu. nomin. totum promiscue.*

12. *Quer.* An violentia, & metus causent involuntarium?

Resp. Div. Th. Duplex est coactio, vel violentia, una, quæ facit necessitatem absolutam, & tale violentum dicitur a Philosopho violentum simpliciter, ut cum quis alium corporaliter impellit, & sic violentia opponitur voluntario. Alia, quæ facit conditionatam necessitatem, & hanc vocat Philosoph. violentum mixtum, & idem dicit *Greg. Nissenus in lib. suo de homine lib.* 5. *cap.* 1. Quæ per metum aguntur mixta sunt ex voluntario, & involuntario, sicut cum quis proiicit merces in mare ne periclitetur, & in isto violento, quamvis hoc, quod fit non sit per se voluntarium, tamen consideratis circumstantiis, hic & nunc voluntarium est. Hæc coactio, sive metus potest esse in consensu, qui est actus voluntatis; non autem prima coactio, sive violentia, quæ facit necessitatem absolutam, quia contra rationem ipsius actus voluntatis est, quod sit coactus, vel violentus. Nam actus voluntatis prout est elicitus a voluntate nihil aliud est, quam inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoscente; violentum autem absolutum est a principio extrinseco nihil conferente vim passo. Quantum igitur ad actus a voluntate imperatos ab alia potentia violentiam pati potest in quantum per violentiam exteriora membra impediri possunt ne imperium voluntatis exequatur, sed quantum ad ipsum actum internum voluntatis non potest ei violentia inferri, 4. *sent. dist.* 29. *q.* 1. *art.* 1. *&* 2.

13. *Quer.* An vis, & metus, licet non causent involuntarium, habeat saltem minuere, & aliquando totaliter excusare a culpa?

Resp. Div. Th. Nunc cum agatur de consensu interiori, in quem non cadit coactio, seu vis, quæ a metu distinguatur, ut dictum est supra; ideo quantum ad propositum pertinet idem est in præsenti vis, & coactio, quod metus. Est autem metus, secundum Iurisperitos, instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio. Cogitur quis metu quando aliquid facit, quod alias non vellet, sed tamen facit ad evitandum aliquod malum, quod timet. Metus tamen aliquando talis est ut cadet in constantem virum, aliquando non. In hoc autem constans ab inconstanti distinguitur quantum ad duo. Primo quantum ad qualitatem periculi, quod timetur, quia constans sequitur rationem rectam, per quam scit quando, & pro quo sit dimicandum, vel faciendum, nam minus malum, vel maius bonum semper est eligendum: Et ideo constans ad minus malum sustinendum cogitur, metu maioris mali, non autem cogitur ad maius malum, ut evitet minus malum, & intrepidus dicitur, non ita quod omnino non timeat, sed quia non timet, quæ non oportet, vel ubi, vel quando non oportet: & quia peccata sunt maxi-

maxima malorum, & ideo ad hæc non potest ullo modo homo constans cogi, immo debet magis homo mori, quam talia sustinere. Sed quædam damna corporalia sunt minora, quibusdam aliis, sicut mors, verbera, dehonestatio, & servitus, & ideo homo constans potius cogitur ad minora damna corporalia sustinenda, ad evitanda maiora. Nec differt utrum hæc pertineant ad personam propriam, vel uxoris, vel filiorum, aut aliorum huiusmodi propter coniunctionem cum propria persona. Sed inconstans cogitur ad maius malum propter metum minoris mali, puta ad peccatum propter metum corporalis pœnæ, vel ex alia levi æstimatione, ut dicitur *Prov.* 18. Fugit impius nemine persequente. Licet igitur, quod per metum cadentem in virum constantem aliquid agitur, absolute voluntarium sit, secundum quod actu agitur, puta quia hic & nunc vult dare pecuniam aggressori ob metum mortis, est tamen involuntarium sub conditione, idest non daret si talis metus non immineret. Unde postea potest petere restitutionem, & Iudici spectat pronunciare & dispensare si se promisit vel iuravit non petiturum restitutionem, & Legislator competens in integrum semper restitutionem adiudicat, ratum non habens, quod vi, sive metus causa factum est, quia quod per metum agitur quodammodo est involuntarium, & ut *Damascen.* dicit *lib.* 2. *orth. fidei cap.* 24. Involuntarium est misericordia, vel indulgentia dignum, 4. *sent. dist.* 29. *q.* 1. *art.* 1. *&* 2. *&* *p.* 2. *q.* 6. *art.* 4. 5. 6. *&* 7. *promiscue*.

14. *Quær.* An requiratur ad moralitatem actus humani libertas nedum a coactione, sed etiam a necessitate?

Resp. Div. Th. Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur, non enim omne necessarium est violentum, sed solum id, cuius principium est extra. Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus: non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non potest. Est enim enumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones, quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ Moralis: si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed de necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis Philosophia consistit. Homo enim debet esse dominus sui actus, & in ipso est agere, & non agere: hoc non esset, si non haberet liberam actionem suorum actuum. Dicitur enim *Eccl.* 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui: Potest igitur homo velle, & non velle, agere, & non agere, cuius ratio ex ipsa virtute rationis accipitur. Quidquid enim ratio potest apprehendere ut bonum non solum hoc, quod est velle, aut agere, sed hoc etiam, quod est non velle, non agere. Et rursum in omnibus particularibus bonis potest quis considerare rationem boni alicuius, & insimul defectum alicuius boni, quod habet rationem mali, & secundum hoc potest unumquodque huiusmodi bonorum apprehendere ut eligibile, vel fugibile. Solum autem perfectum bonum, quod est beatitudo non potest ratio apprehendere sub ratione mali, aut alicuius defectus; & ideo ex necessitate solum beatitudinem, & bonum in genere homo vult, nec potest velle non esse beatus. Sed electio cum non sit de fine quatenus tali, & multo minus de ultimo fine, sed de mediis, ideo homo non ex necessitate, sed libere eligit, & agit, quia non omne, quod est ad finem tale est, quod sine eo finis haberi non possit, aut si tale sit, non semper sub tali ratione consideratur, *quæst. disput. q.* 6. *& unica* de electione, seu libero arbitrio, & *p.* 2. *q.* 13. *art.* 6. *in corp. ad* 1. *promiscue*.

Hic recolantur prop. damnatæ a Pio V. contra Michaelem Bajum, scilicet

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali; & 39. *Quod voluntate fit etiam si necessitate fiat, libere tamen fit*. Et sub Innocentio X. contra Iansenium 3. in ordine, scilicet.

Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. Et iamdudum sub Leone X. contra Lutherum 31. scilicet.

Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo, & dum facit quod in se est peccat mortaliter.

Con-

Contra has, & huiusmodi propositiones Concilium Trid. Sess. 6, cap. 1. decrevit oppositum, scilicet.

In hominibus liberum arbitrium minime extinctum esse, viribus licet attenuatum, & inclinatum: Unde Can. 5. inquit: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana inventum in Ecclesia: anathema sit.*

15. *Quær.* An voluntas saltem a Deo moveatur ex necessitate, vel ad aliquod impossibile?

Resp. Div. Th. Ad Providentiam Divinam non pertinet naturas rerum corrumpere, sed servare, sicut dicit *Dionys.* 4. *cap. de Divin. nom.* Unde omnia movet secundum eorum conditionem: ita quod ex causis necessariis per motionem divinam consequitur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius; quia voluntas Divina non solum se extendit, ut aliquid fiat per rem quam movet, sed etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius, & ideo magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quam si moveretur libere prout competit suæ naturæ, *p.* 2. *q.* 10. *art.* 4.

16 *Quær.* An ratio humana habeat ex lege æterna quod sit regula humanorum actuum, & moralitatis?

Resp. Div. Th. In omnibus causis ordinatis effectus plus pendet a causa prima, quam a causa secunda, quia causa secunda non agit, nisi in virtute primæ causæ. Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua eius bonitas mensuratur, hoc habet ex lege æterna, quæ est ratio Divina: unde in *Psal.* 4. dicitur: Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine; quasi diceret, lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest ostendere bona, in quantum est lumen vultus tui, idest a vultu tuo derivatum: Unde manifestum est, quod multo magis dependet bonitas voluntatis humanæ a lege æterna Dei, quam a ratione humana, & ubi deficit ratio humana, oportet ad rationem æternam recurrere. Igitur in his, quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana; regula autem suprema est lex æterna. Quandocumque actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis, & legis æternæ, tunc actus est rectus, quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum. Actus igitur moralis est actus, qui est a ratione procedens voluntarius, & liber, unde si sit conveniens rationi erit actus bonus, si autem sit discordans a ratione secundum speciem malus erit, *p.* 2. *q.* 19. *art.* 4. & *q.* 2. *de malo art.* 6.

17. *Quær.* De Sinderesi quid sit?

Resp. Div. Th. Sinderesis non est potentia, sed habitus naturalis, quo cognoscimus principia operabilium nobis naturaliter indita, & ad bonum tantum inclinat. Unde Sinderesis dicitur instigare ad bonum, & murmurare de malo. Principia indita sunt, puta virtus est amanda, vitium fugiendum: nulli est nocendum; beatitudo est appetenda, & similia; propterea non potest in ea esse peccatum, *p. p. q.* 79. *art.* 12. & *de verit. q.* 16. *a.* 2.

18. *Quær.* An Sinderesis in aliquibus extinguatur?

Resp. Div. Th. Impossibile est in universali iudicium Sinderesis extingui, in particulari vero operabili extinguitur, quandocumque peccator in eligendo vis concupiscentiæ, vel alterius passionis ita rationem absorbet, ut in eligendo Sinderesis universale iudicium ad particularem actum non applicet. Sed hoc non extinguit Sinderesim simpliciter, sed secundum quid; sicut in hæreticis puta non remurmurat conscientia eorum infidelitati, propter errorem, qui est in ratione, ex quo contingit, quod iudicium Sinderesis huic particulari non applicetur; in universali tamen iudicium Sinderesis in eis manet. Iudicat enim hæreticus malum esse non credere iis, quæ a Deo dicuntur, in hoc autem errant hæretici, quia non credunt hoc aliquid esse a Deo revelatum, vel dictum, vel dicendum; quod quidem, quia privati lumine fidei, excæcati sunt, non remurmurat eorum Sinde-

de-

deresis in his, quæ contra fidem sunt; & sic proportionaliter potest contingere in aliis peccantibus, *q. 16. de verit. artic.* 3. *ad* 2.

19. *Quær.* Quid sit Conscientia?

Resp. Div. Th. Conscientia dicitur cum alio scientia, applicatio vero scientiæ ad aliquid fit per aliquem actum. Unde ex ista ratione nominis patet, quod conscientia sit actus, idem apparet ex his quæ conscientiæ attribuuntur; dicitur enim conscientia testificari, ligare, accusare, vel remordere, vel etiam reprehendere, & hæc omnia consequuntur applicationem alicuius nostræ cognitionis, vel scientiæ ad ea, quæ agimus; quæ quidem applicatio fit tripliciter, uno modo secundum quod recognoscimus aliquid nos fecisse, vel non fecisse, secundum illud *Eccl.* 7. Scit conscientia sua crebro male dixisse aliis; & secundum hoc conscientia dicitur testificari: alio modo applicatur secundum quod per nostram conscientiam iudicamus aliquid esse faciendum, vel non faciendum, & secundum hoc dicitur conscientia ligare, vel instigare; tertio modo applicatur secundum quod per conscientiam iudicamus, quod aliquid, quod est factum, sit benefactum, vel non sit benefactum, & secundum hoc conscientia dicitur excusare, vel accusare, seu remordere; tota vis attamen conscientiæ examinantis, vel consiliantis ex iudicio sinderesis pendet *p. p. q.* 79. *art.* 13. & *q.* 17. *de verit. art.* 1. *ad* 1.

20. *Quær.* Quid sit Conscientia probabilis?

Resp. Div. Th. Probabilia dicuntur, quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel sapientioribus, & de præcipuis, & maxime notis, *opusc. de fallaciis* 1. 2.

Recolatur prop. 27. damn. ab Alex. VII. scilicet:

Si liber sit alicuius iunioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat reiectam esse a S. Sede.

21. *Quær.* Quid sit Conscientia opinativa?

Resp. Div. Th. Opinio se habet & ad verum, & ad falsum; unde non est necesse esse veram simpliciter, sed secundum partem. Unde de ratione opinionis est id, quod est opinatum existimetur possibile aliter se habere: amittitur, quando quis discredit, quod prius credebat, immutans propter aliam rationem, *p.* 2. *q.* 45. *art.* 4. 2. 2. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 4. *Lect.* 5. *super* 3. *de anima.*

22. *Quær.* Quid sit falsa opinio?

Resp. Div. Th. Falsa opinio est quædam defectuosa operatio intellectus: defectuosa operatio nostri intellectus semper procedit ex defectu alicuius principii, & plerumque ex indebita ratiocinatione, *q.* 16. *de malo art.* 6.

Recolatur propos. 11. contra Molinos damn. ab Inn. XI. scilicet:

Ad Dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur nec ne, non opus est reflectere.

23. *Quær.* An hæreticum sit falsa opinari circa ea, quæ sunt fidei?

Resp. Div. Th. Absque periculo hæresis aliquis falsum opinatur antequam determinatum sit, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei: sed postquam manifestum est, & præcipue si sit per Ecclesiam determinatum, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei in hoc errare, non esset absque hæresi; & propter hoc multa nunc reputantur hæretica (ut videre est in omnibus propositionibus ab Ecclesia proscriptis:) quæ prius non reputabantur, propter hoc quod nunc est magis manifestum, quod ex eis sequitur contra fidem, vel contra bonos mores, *p. p. q.* 32. *art.* 4.

Unde Conc. Trid. sess. 4. cap. 2. inquit: *Ad coercenda petulantia ingenia decernit Sancta Synodus, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus Fidei, & morum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia.*

24. *Quer.* An aliquando Discipuli excusentur si sequantur opinionem Magistrorum suorum?

Resp. Div. Th. Diversæ opiniones Doctorum si non pertineant ad fidem, & ad bonos mores absque periculo Auditores utramque opinionem sequi possunt. Tunc enim habet locum quod *Apost.* dicit *ad Rom.* 14. Unusquisque in sensu suo abundet: in his vero, quæ pertinent ad fidem, & ad bonos mores nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri, in talibus enim ignorantia non excusat, alias immunes a peccato fuissent, qui sequuti sunt opinionem Arii, Nestorii, & aliorum hæreticorum. Nec potest excusationem habere propter sim-

simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequantur. In rebus enim dubiis non est de facili præstandus assensus, quin immo, *ut Aug.* dicit *in lib.* 3. *de doctrin. Christ.* Consulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit. Qui ergo assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. *Quodlib.* 4. *art.* 2.

Videatur prop. 1. damn. ab Inn. XI. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti.*

25. *Quær.* An eodem modo in materia morum periculosum sit determinare quæstiones maximè in his, quibus agitur de peccato mortali propter diversas opiniones Doctorum?

Resp. Div. Th. Temporibus nostris audivimus multas controversias inter Doctores non solum in naturalibus, verum etiam in moralibus, in quibus periculosum est diversa sentire, & opinari; præcipue in illa parte iustitiæ, quæ commutativa dicitur: nec minus periculosa est omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, si temere determinetur, quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto, error vero quo creditur esse mortale ex conscientia ligat, periculosum est ubi veritas ambigua est, puta an liceat v. gr. habere plures præbendas. Hæc quæstio ad Theologos pertinet, in quantum vero ex iure dependet pertinet ad Iuristas; inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Iuristæ Iuristis contraria sentire. Quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem oportet esse alteram falsam, & sic manente dubitatione quis periculo se committit, & sic procul dubio peccat utpote magis amans puta beneficium temporale, vel aliquid huiusmodi, quam propriam salutem, si vero ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ita non se committat discrimini, tunc homo non peccat, *Quodlib.* 8. & 9. *q.* 6. & 7. *art.* 3. & *opusc.* 73.

Hinc recolatur prop. 3. ab Innoc. XI. damn. scilicet. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Et prop. 3. damn. ab Alex. VIII. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

26. *Quær.* An Conscientia erronea obliget, an aliquando excuset?

Resp. Div. Th. Actus humanus iudicatur virtuosus, vel vitiosus secundum bonum apprehensum in quod per se voluntas fertur, & non secundum materiale obiectum actus; si ergo aliquid, quod secundum se non est contra legem Dei, puta levare festucam, vel iurare, apprehendatur, errante conscientia, ut sit contra legem Dei existens, & voluntas in ipsum feratur, manifestum est, quod voluntas fertur per se loquendo, & formaliter in id, quod est contra legem Dei, materialiter in id, quod est secundum legem Dei, & ideo manifestum est, quod est ibi contemptus legis Dei, ideo necesse est, quod sit ibi peccatum, propterea omnis conscientia sive sit recta, sive sit erronea, sive in per se malis, sive in indifferentibus est obligatoria; qui enim contra conscientiam facit, peccat, ita quod si alicui dicat conscientia, ut faciat illud, quod est contra legem Dei, si non faciat, peccat, & similiter si faciat, peccat, nec tamen sequitur quod sit perplexus simpliciter, sed est secundum quid, potest enim conscientiam erroneam deponere, & tunc faciens secundum legem Dei non peccat. Si vero ratio, & conscientia erret errore voluntario vel directe, vel propter negligentiam indirecte, quia est error circa id, quod quis scire tenetur, tunc talis error rationis, vel conscientiæ non excusat, quin voluntas concordans rationi, vel conscientiæ sic erranti non sit mala: si autem sit error, qui causat involuntarium proveniens ex ignorantia circumstantiæ absque omni negligentia, tunc talis error rationis vel conscientiæ excusat, & voluntas concordans rationi erranti non sit mala, puta si ratio errans dicat, quod homo tenetur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala, eo quod error iste est ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur: si

autem

autem ratio erret in hoc, quod credat aliquam mulierem submissam esse suam uxorem, & ea petente debitum, velit eam cognoscere, excusatur voluntas eius, ut non sit mala, quia error iste ex ignorantia circumstantiæ provenit, & involuntarium causat. *Quodlib.* 3. *art.* 23. *& p.* 2. *q.* 19. *art.* 6. *& Lect.* 2. *cap.* 14. *ad Rom.*

27. *Quær.* An Conscientia scrupulosa post factum faciat peccatum?

Resp. Div. Th. Si autem aliquis post factum habet conscientiam erroneam, per quam credit id quod est licitum a se factum, fuisse peccatum, vel quod est veniale, fuisse mortale, non propter hoc efficitur id quod prius non erat vel peccatum veniale, vel mortale, quia voluntas, & actio non informantur ex apprehensione sequenti, sed ex præcedenti, *Lect.* 2. *cap.* 14. *ad Rom. & Quodlib.* 3. *&* 4. *art.* 25.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Regula Moralitatis, scilicet de Lege.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit Lex in genere?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Lex nihil aliud est, quam quædam ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam gerit Communitatis promulgata; & dicitur lex a ligando, quia obligat ad agendum, distinguitur a præcepto, quia præceptum est de particulari opere; lex ad bonum commune ordinatur; præterea præceptum importat applicationem legis ad ea, quæ ex lege regulantur, *p.* 2. *q.* 90. *art.* 2.

2. *Quær.* Quinam sint legis actus?

Resp. Div. Th. Sicut enunciatio est rationis dictamen per modum enunciandi, sic etiam lex per modum præcipiendi. Præcepta autem legis sunt de actibus humanis in quibus lex dirigit, sunt autem tres differentiæ humanorum actuum. Nam quidam actus sunt boni ex genere, qui sunt actus virtutum, & respectu horum ponitur legis actus præcipere, vel imperare, quidam autem sunt actus mali ex genere suo, sicut actus vitiosi, & respectu horum lex habet prohibere, quidam autem ex genere suo sunt actus indifferentes, & respectu horum lex habet permittere, & possunt etiam indifferentes dici omnes illi actus, qui sunt vel parum boni, vel parum mali. Id autem quod inducit lex ad hoc, quod sibi obediatur, est timor pœnæ, & quantum ad hoc ponitur legis effectus punire, *p.* 2. *q.* 92. *art.* 2.

3. *Quær.* Quid sit finis legis?

Resp. Div. Th. Manifestum est, quod hoc sit proprium legis inducere subditos ad propriam ipsorum virtutem. Cum igitur virtus sit, quæ facit bonum habentem, sequitur quod proprius effectus legis sit bonos facere eos quibus datur, *p.* 2. *q.* 92. *art.* 1.

4. *Quær.* Nunc de lege in particulari, & primo de lege æterna quid sit?

Resp. Div. Th. Æternæ legis notio nobis impressa est, ait *August.* quæ est summa ratio Divinæ sapientiæ, cui semper obtemperandum est: nulloque modo aliquis legibus Summi Creatoris, ordinationique subtrahitur, a quo pax universalis administratur: immo ex eodem *Div. Aug. in* 1. *de libero arbitrio*; Omnes leges in quantum participant de ratione recta, derivantur a lege æterna, nihilque temporali lege est iustum, ac legitimum, quod non ex lege æterna homines non sibi derivaverint. Quare *Prov.* 8. Divina Sapientia dicit, per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; omnis enim potestas a Domino Deo est, ut dicitur *Rom.* 13. *p.* 2. *q.* 93. *per totam promiscue*.

5. *Quær.* Quid sit lex naturalis, & quænam eius præcepta?

Resp. Div. Th. Lex naturalis nihil aliud est quam ipsum lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, quid sit malum, seu est participatio divini luminis, & participatio legis æternæ in rationali creatura, secundum illud quod supra dictum est: Signatum est super nos

lumen vultus tui Domine. Primum præceptum legis naturæ est, quod bonum est faciendum, & prosequendum, & malum est vitandum, & super hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ; quia vero bonum, (ut alibi dictum est) habet rationem finis, malum autem rationem contrarii, inde est, quod omnia illa, ad quæ homo habet naturalem inclinationem ratio naturaliter apprehendit ut bona, & per consequens, ut opere prosequenda, & contraria eorum mala ut vitanda: secundum igitur ordinem inclinationum naturalium est ordo præceptorum legis naturæ. Inest primo inclinatio homini secundum naturam ad conservationem sui, & secundum hanc pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis conservatur, & contrarium impeditur: secundo inest homini inclinatio secundum naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus, & secundum hoc dicitur esse de lege naturali commixtio maris, & fœminæ, & educatio liberorum, & similia. Tertio modo inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quæ est sibi propria: sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoscat de Deo, & ad hoc, quod in societate vivat, & secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea, quæ ad huiusmodi inclinationem spectant, utpote ut homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat, cum quibus debet conversari, & cætera huiusmodi: & secundum hoc sunt multa præcepta legis naturæ in se ipsis, quæ tamen conveniunt in una radice, scilicet quod bonum est faciendum, & prosequendum, & malum vitandum, *p. 2. q. 91. art. 2. & q. 94. art. 2. totum promiscue*.

6. *Quær.* An lex naturæ, & bonum rationis, & virtutis sit unum in omnibus hominibus, & an possit mutari, aut omnino aboleri?

Resp. Div. Th. Cum anima rationalis sit propria forma hominis, naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc quod agat secundum rationem, hoc est agere secundum virtutem. Et secundum hoc omnes actus virtutis sunt de lege naturali: dictat enim hoc naturaliter unicuique propria ratio, ut virtuose agat. Sed si loquamur de actibus virtuosis secundum se ipsos, ut scilicet in propriis speciebus considerantur, sic non omnes actus virtuosi sunt de lege naturæ: multa enim secundum virtutem fiunt, ad quæ natura non primo inclinat, sed per rationis inquisitionem ea homines invenerunt, quasi utilia ad bene vivendum. Sic igitur dicendum est, quod lex naturæ quantum ad prima principia communia est eadem apud omnes, & secundum rectitudinem, & secundum notitiam; unde *Isidorus* dicit *in lib. Etymol. Tex. 2. 3. & 4. tom. 2.* Ius naturale est commune omni nationi. Et *Gratianus in Decretis dist. 1.* Ius naturale est quod in lege continetur, quod quisque iubetur aliis facere, quod sibi vult fieri. Sed quantum ad quædam propria, quæ sunt quasi conclusiones principiorum communium est eadem apud omnes, ut in pluribus secundum rectitudinem, sed in aliquibus potest deficere propter aliqua particularia impedimenta: & hoc propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, & habitus corruptos, seu ex mala habitudine naturæ, sicut apud quosdam non reputantur latrocinia peccata, ut refert *Iulius Cæsar in lib. 6. de Bello Gallico*: Apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum; Cum tamen sit expresse contra legem naturæ. Vel etiam vitia contra naturam, ut *Apost.* dicit *ad Rom. 1.* Immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam, quia, quamvis lex naturalis, & ratio nullo modo possit in cordibus hominum aboleri in universali, quia præcepta communissima sunt omnibus nota; cum lex naturalis scripta sit in cordibus nostris; debetur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem, & propter malas persuasiones, vel etiam propter pravas consuetudines, vel habitus corruptos, ut supra dictum est, *p. 2. q. 94. art. 4. & 6.*

7. *Quær.* An detur, & quid sit lex Divina positiva, & ad quid fuit data, & an corrigat legem naturalem?

Resp. Div. Th. Ipsa ratio gubernationis rerum in Deo sicut in Principe universitatis existens legis habet rationem, ex parte Dei, quia verbum Divinum est æternum, scriptura libri vitæ dicitur æter-

terna, sed ex parte creaturæ audientis non est æterna. Duplex est lex Divina positiva, scilicet lex vetus, & lex nova. Præcepta legis naturæ manent eodem modo, in lege Moysi, & in lege nova; quod si lex scripta dicitur esse data ad correctionem legis naturalis, hoc est, quia per legem scriptam suppletum est, quod legi naturali deerat, vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus, ut supra dictum est, quantum ad aliqua corrupta erat in tantum, ut existimarent esse bona, quæ sunt mala, & talis corruptio correctione indigebat. Unde lex Divina positiva non solum instinctum naturæ explicat, sed etiam defectus naturalis instinctus supplet. Præterea lex Divina fuit ad directionem humanæ vitæ necessaria, & hoc propter quatuor rationes. Primo quia per legem Divinam positivam dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad ultimum finem supernaturalem; homo ordinatur ad finem Beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ, ideo necessarium fuit, ut supra legem naturalem, & humanam dirigeretur etiam ad suum finem supernaturalem lege divinitus data. Secundo quia de actibus humanis patet diversorum esse, ut videbimus infra, diversa iudicia, ex quibus etiam diversæ, & contrariæ leges procedunt: ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit, quid ei sit agendum, & quid vitandum, necessarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat, quod non potest errare. Tertio quia de his potest homo legem facere de quibus potest iudicare, ut suo loco dicetur: iudicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent, & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quod in utrisque actibus homo rectus existat, & ideo lex humana non potest cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus, sed necessarium fuit, quod adveniret lex Divina. Quarto, quia sicut *Aug.* dicit in *lib.* 1. *de libero arbitr. cap. 6.* Lex humana non potest omnia, quæ mala fiunt punire, vel prohibere, quia dum auferre vellet omnia mala, sequeretur, quod etiam multa bona tollerentur, & impediretur utilitas boni communis, quod est necessarium ad conversationem humanam, ut ergo nullum malum improhibitum, & impunitum remaneat, necessarium fuit supervenire legem Divinam, per quam omnia peccata prohibentur. Nam alius est finis Divinæ legis, alius legis humanæ; legis humanæ finis est temporalis tranquillitas Civitatis, ad quem finem pervenit lex humana cohibendo exteriores actus, quantum ad illa mala, quæ possunt perturbare pacificum statum Civitatis; Finis autem legis Divinæ est perducere hominem ad finem felicitatis æternæ, qui quidem finis impeditur per quodcumque peccatum, & non solum per actus exteriores, sed etiam per interiores, & ideo illud, quod sufficit ad perfectionem legis naturalis, & humanæ, ut scilicet peccata prohibeat, & pænam apponat, non sufficit ad perfectionem legis Divinæ, sed oportet, quod hominem totaliter faciat idoneum ad participationem felicitatis æternæ. Istæ quatuor causæ tanguntur in *Psal.* 18. ubi dicitur lex Domini immaculata, idest nullam peccati turpitudinem permittens, convertens animas, quia non solum exteriores actus, sed etiam interiores dirigit: Testimonium Domini fidele propter certitudinem veritatis, & rectitudinis: Sapientiam præstans parvulis, in quantum ordinat hominem ad supernaturalem finem, & divinum *p.* 2. *q.* 91. *per totam*, *&* *q.* 98. *art.* 1. *&* *supl. contr. Gentes cap.* 123. *totum promiscue.*

8. *Quær.* Quæ contineantur in lege Divina scripta?

Resp. Div. Th. Continentur in lege Divina scripta tria, scilicet Testimonia, iudicia, & præcepta. Testimonia, quia lex Divina procedit ex necessitate super aliqua credulitate *Heb.* 11. Accedentem ad Deum oportet credere: Præcepta moralia, quæ fundantur in debito omnis virtutis; virtutes morales enim ordinant bene actus rationis circa interiores passiones, & exteriores operationes, ita tamen, quod quædam, sine quibus ordo rationis observari non potest cadunt sub obligatione præcepti, quædam vero, quæ pertinent ad bene esse virtutis perfectæ, cadunt sub admonitione consilii: Iudicialia vero præcepta fundantur in debito quod est inter homines quantum ad societatem, & contractus; & sic oportuit

per legem Divinam iustitiæ præcepta dari, ut unusquisque alteri redderet quod suum est, & abstineret a nocumentis ei inferendis. Et quia inter homines maxime est aliquis parentibus debitor, ideo inter præcepta legis, quæ nos ad proximum ordinant primo ponitur *Exod.* 20. Honora patrem tuum, & matrem tuam, in quo intelligitur præcipi, ut tam parentibus, quam etiam aliis, maxime superioribus unusquisque reddat quod debet, secundum illud *Rom.* 13. Reddite omnibus debita: Deinde ponuntur præcepta, quibus præcipitur abstinendum esse a nocumentis proximo inferendis, ut neque facto eum offendamus in persona propria, quia dictum est *Non occides*; neque in persona coniuncta, quia scriptum est *Non mœchaberis*: neque etiam in exterioribus rebus, quia scriptum est *Non furtum facies*. Prohibemur etiam, ne contra iustitiam proximum offendamus verbo, quia dictum est *Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium*. Et quia Deus etiam cordium Iudex est, prohibemur, ne corde proximum offendamus concupiscendo, scilicet Uxorem eius, aut aliquam rem eius. Ad huiusmodi igitur iustitiam observandam lege Divina statuitur. In hac lege dantur præcepta negativa, quæ prohibent actus peccatorum, præcepta affirmativa, quæ inducunt ad actus virtutum: actus autem peccatorum, quia sunt secundum se mali, nullo modo fieri possunt, nec aliquo tempore, & loco, & ideo præcepta negativa obligant semper, & ad semper, sed quia actus virtutum non quolibet modo fieri possunt, sed observatis debitis circumstantiis, ut scilicet fiat ubi debet, & quando debet, & secundum quod debet, ideo præcepta affirmativa obligant semper, sed non ad semper, *p.* 2. *q.* 100. *&* 2. 2. *q.* 33. *& q.* 57. *art.* 2. *&* 3. *contra Gentes promiscue*.

9. *Quær.* Quid contineatur in lege nova Evangelii supra legem veteris Testamenti?

Resp. Div. Th. Differentiæ, quæ assignantur inter novam legem, & veterem accipiuntur secundum perfectum, & imperfectum. Præcepta legis cuiuslibet dantur de actibus virtutum: sed lex vetus dicebatur lex testimonii; inducebat enim ad observantiam præceptorum per comminationem quarumdam pœnarum: & dicebatur etiam habere temporalia promissa. Lex nova, cuius principalitas consistit in ipsa spirituali gratia indita cordibus, dicitur lex amoris; & dicitur habere promissa spiritualia, & æterna. Continentur insuper in Evangelio ea, quæ pertinent ad manifestandum Divinitatem, vel humanitatem Christi. Et secundum affectum continentur in Evangelio, quæ pertinent ad contemptum Mundi, & superaddendo quædam perfectionis consilia; ut patet *Matth.* 19. ubi dicenti se observasse præcepta veteris legis, dicit; Unum tibi deest: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes &c. *& Apost.* dicit *ad Heb.* 11. quod maiores divitias æstimabat Thesauro Egiptiorum Improperium Christi, *p.* 2. *q.* 106. *art.* 1. *ad* 1. *& q.* 107. *per totam*, *& promiscue*. In quæstionibus de Sacramentis redibit Sermo de lege Evangelii.

10. *Quær.* An lex nova præcipiat actus interiores; & aliquos actus exteriores?

Resp. Div. Th. Lex nova in exterioribus illa solum præcipere debuit per quæ in gratiam introducimur, vel quæ pertinent ad rectum gratiæ usum ex necessitate. Et quia gratiam ex nobis consequi non possumus sed per Christum solum; ideo quia Sacramenta per quæ gratiam consequimur, ipse Dominus instituit per se ipsum, lex nova nulla alia exteriora opera determinare debuit præcipiendo, nisi Sacramenta, & moralia præcepta. Ordinat vero interiorem hominis intentionem, dicens, quod in bonis, quæ agimus non quæramus humanam gloriam, neque mundanas divitias, & delicias; & implorando divinum auxilium conatum apponamus ad ingrediendum peranguştam portam perfectæ virtutis, & cautelam adhibeamus, ne a seductoribus corrumpamur: hæc autem adimpletio mandatorum est necessaria, non enim sufficit sola externa confessio fidei, vel miraculorum operatio, vel solus auditus, *p.* 2. *q.* 108. *art.* 2. *&* 3. *promiscue*.

11. *Quær.* An Consilia Evangelica cadant, saltem aliquando, sub præcepto?

Resp. Div. Th. Consilia nunquam obligant, nisi secundum animi præparationem, ut scilicet homo sit paratus illa adimplere, si necessitas ex aliquo accidenti immineat, cum consilia dentur de melio-

liori bono, & de rebus expedientibus ad finem. Sed si referantur ad præparationem animi sunt de necessitate salutis, ut scilicet homo, puta, sit paratus benefacere inimicis, & alia huiusmodi facere, cum necessitas hoc requirat. *Quodlib. 6. art. 2. ad 2. & p. 2. q. 108. art. 4.*

12. *Quær.* De lege humana quid sit?

Resp. Div. Th. Lex, seu ius positivum est determinatio iuris naturalis per quemlibet Principem, qui potest leges condere, ad cuius officium pertinet iustitiam facere. Unde ut supra dictum est, nihil aliud est quam quædam ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam gerit Communitatis promulgata. Dividitur lex, seu ius positivum in ius Gentium, & in ius civile. Ad ius Gentium pertinent ea, quæ immediate derivantur ex lege naturæ, sicut conclusiones ex principiis; ut sunt emptiones iustæ & venditiones, & alia huiusmodi, sine quibus homines ad invicem convenire non possunt, nam est de lege naturæ quod homo sit animal sociale. Ideo, *Caius Iurisconsultus in Digesto Veteri lib. 1. tit. 1. leg. 9.* dicit, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit id, quod apud omnes gentes custoditur, vocaturque ius gentium. Quæ vero derivantur a lege naturæ per modum particularis determinationis pertinent ad ius civile, secundum quod quælibet Civitas aliquid sibi accomodate determinat per aliquas particulares modificationes, ad quas se habet expertorum, & prudentum, ac seniorum iudicium, in quantum isti vident quid congruentius sit particulariter determinandum, *p. 2. q. 95. per totam & 2. 2. q. 8. & seq.*

13 *Quær.* Quid sit Civitas, sive Respublica, & an Civibus necessariæ sint leges?

Resp. Div. Th. Civitas ex *Aug. de Civitate Dei*, est hominum multitudo aliquo societatis vinculo colligata, quæ vera virtute beata redditur: Impossibile est, quod bonum commune Civitatis bene se habeat, nisi Cives sint virtuosi, ad minus illi, quibus convenit principari. Sed ipsa virtutis perfectio necesse est, quod homini adinveniat per aliquam disciplinam. Unde necessarium fuit ad pacem hominum, & virtutem, quod leges ponerentur: Quia sicut *Phil.* dicit in 1. *Polit.* sicut homo si sit perfectus virtute est optimum animalium; si sit separatus a lege, & iustitia est pessimum omnium animalium; quia homo habet arma rationis ad expellendas concupiscentias, & sævitias, quæ non habent alia animalia. Factæ igitur sunt leges, ut *Isidor.* dicit *in lib. Etymol.*, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, ut in ipsis improbis formidato supplicio refrænetur nocendi facultas. Cum Communitas Civium consistat in communi benevolentia; & quod Cives Principum mandatis obediant. Ad hoc autem ut Civitas sit una ab aliis distincta, quatuor debet habere communia, scilicet unum Gubernator, unam legem, eadem insignia, unum finem. Quilibet homo taliter est pars Civitatis, ut oporteat etiam se exponere mortis periculo pro totius Reipublicæ conservatione. Mulieribus vero non competit simpliciter esse Cives, multo minus servis, *p. p. q. 60. & p. 2. q. 92. art. 1. & q. 95. art. 1. & 2. 2. q. 26. & opusc. 20. lib. 4. de Reg. totum promiscue.*

14. *Quær.* Quomodo diversificentur Leges, & Regimina?

Resp. Div. Th. De Ratione legis humanæ, (ut supra notavimus,) est quod ordinentur ad bonum commune Civitatis, & secundum hoc lex humana dividi potest secundum diversitatem eorum, qui specialiter dant operam ad bonum commune, sicut sunt primo Sacerdotes pro Populo Deum orantes, & sic dantur leges Ecclesiasticæ. Secundo Principes populum gubernantes, & sic dantur leges Civiles; & milites pro salute populi pugnantes, & istis etiam specialia quædam iura aptantur. Distinguuntur præterea leges secundum diversa Regimina Civitatum, quorum unum est Regnum, quando scilicet Civitas, vel Provincia gubernatur ab uno Rege, & dicitur Monarchia; & secundum hoc accipiuntur constitutiones Principum. Aliud vero regimen est Aristocratia, idest Principatus optimatum: Et secundum hoc sumuntur responsa Prudentum, & etiam Senatus Consulta. Aliud autem est regimen Populi, quod nominatur Democratia, & secundum hoc sumitur Plebiscita. Aliud Regimen est Olicharchia, idest Principatus paucorum Divitum, & Potentum, & secun-

cundum hoc sumitur ius Prætorium, quod etiam honorarium dicitur. Aliud autem est Tyrannicum, quod est omnino corruptum: unde ex hoc non sumitur aliqua lex. Est etiam aliquod Regimen ex istis commixtum, quod est optimum, & secundum hoc sumitur lex, quam maiores natu simul cum plebibus sanxerunt: ut *Isidorus* dicit *lib.* 2. *cap.* 10. Et cum de ratione legis sit, quod directiva sit humanorum actuum, & secundum hoc, secundum diversa, de quibus leges feruntur, distinguuntur leges, quæ interdum ab actoribus nominantur, sicut distinguitur Lex Iulia de adulteriis, Lex Cornelia de Sicariis, & sic de aliis, non tantum propter actores, sed propter res, de quibus sunt *p.* 2. *q.* 95. *art.* 4.

15. *Quær.* Quæ nam debeant esse conditiones legis?

Resp. Div. Th. *Isidorus lib.* 1. *etym. cap.* 3. *&* 21. qualitatem legis positivæ describit dicens: Erit lex honesta, iusta, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem Patriæ, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat: nullo privato commodo, sed pro communi utilitate Civium scripta; quod signanter Religioni congruat, quod Disciplinæ conveniat, quod saluti proficiat: Religioni congruat, in quantum scilicet est proportionata legi Divinæ, Disciplinæ conveniat, in quantum est proportionata Legi naturæ; quod saluti prospiciat, in quantum est proportionata utilitati humanæ ad remotionem malorum, & ad consequutionem bonorum. Ad hæc tria omnes aliæ conditiones, si quæ sunt, reducuntur. *p.* 2. *q.* 95. *art.* 3. *totum promiscue.*

16. *Quær.* In quo diversificentur Leges humanæ a Lege Divina, & an leges humanæ habeant omnia vitia cohibere, & præcipere omnes virtutes?

Resp. Div. Th. Dictum est, quod præcepta legis diversificantur secundum diversos modos Communitatis, alias enim leges oportet statuere in Civitate, quæ regitur a Rege, & alias in ea, quæ regitur per Populum, vel per aliquos Potentes de Civitate. Est etiam alius modus Communitatis ad quam ordinatur Lex humana, & ad quam ordinatur Lex Divina. Lex enim humana ordinatur ad Communitatem Civilem, quæ est hominum ad invicem: homines ordinantur ad invicem per exteriores actus, quibus homines sibi invicem communicant; huiusmodi autem communicari pertinet ad rationem iustitiæ, quæ est propria directiva Communitatis humanæ, & ideo Lex humana, maxime Civilis non proponit præcepta nisi de actibus iustitiæ, & si præcipiat actus aliarum virtutum, hoc non est, nisi in quantum assumunt rationem iustitiæ. Unde Legislator humanus legem ferre debet secundum ea, quæ accidunt in pluribus, nam ad singulares actus dirigendos dantur singula præcepta Præsidentium. Et quia lex humana ponitur multitudini hominum non perfectorum virtute, ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, sed solum graviora, & præcipue quæ sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset, sicut prohibentur lege humana homicidia, & furta, & huiusmodi. Pariformiter quamvis nulla virtus est, de cuius actibus lex præcipere non possit, non tamen de omnibus Lex humana præcipit, sed solum de illis ad bonam disciplinam, per quam Cives informantur, ut commune bonum iustitiæ & pacis conservetur. Sed Communitas ad quam ordinat Lex Divina est hominum ad Deum vel in præsenti, vel in futura vita, & ideo Lex Divina proponit de omnibus illis, per quæ homines bene ordinantur ad communicationem cum Deo. Homo autem coniungitur cum Deo ratione, sive mente, in qua est Dei imago, & ideo Lex Divina præcepta proponit de omnibus illis, per quæ ratio hominis bene ordinata est: hoc autem contingit per actus omnium virtutum: Nam virtutes intellectuales ordinant bene actus rationis in se ipsis; virtutes autem morales ordinant bene actus rationis circa interiores passiones, & exteriores operationes, & ideo manifestum est, quod Lex Divina communiter proponit præcepta de actibus omnium virtutum, ita tamen quod quædam sine quibus ordo virtutis, qui est ordo rationis, observari non potest, cadunt sub obligatione præcepti; quædam vero, quæ pertinet ad bene esse virtutis perfectæ (, ut supra dictum est,) cadunt sub admonitione Consilii, *p.* 2. *q.* 96. *art.* 2. *&* *q.* 100. *art.* 2.

17. *Quær.*

17. *Quær.* An sit melius omnia ordinari Lege, quam ea dimittere Iudicum arbitrio?

Resp. Div. Th. Melius est omnia ordinari lege, quam dimittere Iudicum arbitrio, & hoc propter tria; primo quidem, quia facilius est invenire paucos sapientes, qui sufficiant ad rectas leges ponendas, quam multos, qui requirerentur ad recte iudicandum de singulis. Secundo, quia illi, qui leges ponunt ex multo tempore considerant quid lege ferendum sit, sed iudicia de singularibus factis fiunt ex casibus subito exortis: facilius autem ex multis consideratis potest homo videre, quid rectum sit, quam solum ex uno aliquo facto. Tertio quia Legislatores iudicant in universali, & de futuris; sed homines iudiciis præsidentes iudicant de præsentibus, ad quæ afficimur amore, vel odio, aut aliqua cupiditate, & sic eorum sæpe depravatur iudicium. Quia ergo iustitia animata iudicis non invenitur in multis, & quia flexibilis est, ideo necessarium fuit lege determinare, quid iudicandum sit, & quædam singularia paucissima, quæ non possunt lege comprehendi committere iudicibus, *p.* 2. *q.* 95. *art.* 1. *ad* 2. *&* *ad* 3. *promiscue.*

18. *Quær.* An promulgatio sit de ratione legis necessaria?

Resp. Div. Th. Lex imponitur per modum Regulæ, & mensuræ. Regula autem, & mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quæ regulantur, & mensurantur. Unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet, quod ipsa applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent: Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem. Unde dicitur etiam in Decretis *dist.* 4. quod leges instituuntur cum promulgantur, & in definitione legis ponitur cum dicitur: Lex est quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata. Promulgatio legis naturæ fit ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam. Promulgatio vero legis positivæ fit verbo, vel scripto, nam promulgatio præsens in futurum extenditur per firmitatem scripturæ, quæ quodammodo semper eam promulgat; & illi, coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem observandam, in quantum ad eorum notitiam devenit per alios, vel devenire potest promulgatione facta. Unde *Isidorus* dicit in 1. *Etymologiarum*, quod lex a legendo vocata est, quia scripta est. Et sic obligatio legis extenditur etiam in futurum, quia leges futuris negotiis necessitatem imponunt, ut iura dicunt in *Cod. lib.* 1. *tit.* 17. *de Legibus* 7. *p.* 2. *q.* 90. *art.* 4. *per totum*, *&* *q.* 91. *art.* 1. *ad* 2.

19 *Quær.* An leges humanæ obligent in conscientia?

Resp. Div. Th. Leges positæ humanitus, si iustæ sunt, habent vim obligandi in foro Conscientiæ a lege æterna, a qua derivantur secundum illud *Prov.* 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Dicuntur iustæ ex fine, quando scilicet ordinantur ad bonum commune, & ex actore, quando scilicet lex lata non excedit potestatem ferentis, & ex forma, quando scilicet secundum æqualitatem proportionis imponitur subditis, & secundum hoc leges iustæ sunt, & obligant in foro conscientiæ, & sunt leges legales, *p.* 2. *q.* 96, *art.* 4. *in corp.*

Hic recolatur, *prop.* 28. *damn. ab Alex. VII.* scilicet: *Populus non peccat, etiam si absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

20 *Quær.* An sit obediendum legibus, quæ sunt contra mandata Dei?

Resp. Div. Th. Leges possunt esse iniustæ per contrarietatem ad bonum Divinum, & tales leges nullo modo licet observare, nam ordo potestatis non se extendit ad ea, quæ ordinantur contra Dei mandatum; unde in talibus legi humanæ non est parendum: quia sicut dicitur, *Actor.* 4. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus, *p.* 2. *q.* 96. *art.* 4. *in corp. circa finem*, *&* *ad* 2.

21. *Quær.* Quorum sit condere leges, & quibus legitime imponantur?

Resp. Div. Th. Condere leges vel pertinet ad totam multitudinem Reipublicæ, vel pertinet ad personam publicam Principis, qui totius multitudinis curam habet. Lex non imponitur tamen ab aliquo Domino, nisi suis subditis, & ideo præ-

ce-

ecpta legis præsupponunt subiectionem cuiuslibet recipientis legem. Omnes igitur illi solum, qui subduntur potestati, subduntur legi, quam fert potestas. Et hoc est, quod dicit *Apost. Rom.* 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Ordo enim iustitiæ requirit, ut inferiores suis superioribus obediant: aliter non posset humanarum rerum status conservari, & ideo non excusantur fideles subditi, quin Principibus sæcularibus obedire teneantur. Nam idem *Apost. ad Titum* 3. inquit: Admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse: *& Petri* 2. habetur: Subiecti estote omni humanæ creaturæ, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis, *p.* 2. *q.* 90. *art.* 3. *& q.* 95. *art.* 5. *&* 2. 2. *q.* 16. *art.* 1. *& q.* 114. *art.* 6.

22. *Quær.* An præcepta iuris positivi magis obligent ex intentione legislatoris, quam ex verbis ipsis?

Resp. Div. Th. Præcepta iuris positivi magis obligant ex intentione legislatoris, quam ex verbis ipsis, & ideo transgressor præcepti magis est reputandus, qui obviat intentioni legislatoris, quam qui deviat in aliquo a legis ordinatione: intentioni autem legislatoris obviat, quando probabiliter credi potest, si legislator adesset, eum obligare non velle: talis non est reputandus legis, & præcepti transgressor: cum præcepta iuris positivi non se extendant ultra intentionem præcipientis, quæ est finis legis, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *& dist.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *quæst.* 4. *ad* 5.

Videatur infra quomodo agendum sit circa interpretationem legis.

23. *Quær.* Quotuplex est finis legislatoris?

Resp. Div. Th. Intentio Legislatoris est de duobus; de uno quidem ad quod intendit per præcepta legis inducere; aliud est de quo intendit præceptum ferre: non enim idem est finis præcepti, & id de quo præceptum datur; sicut neque in aliis rebus idem est finis, & quod est ad finem, *p.* 2. *q.* 100. *art.* 9. *ad* 2.

24. *Quær.* Quomodo præcepta sint inæqualia?

Resp. Div. Th. Præcepta sunt disparia, vel propter diversam auctoritatem præcipientis, vel propter diversam dignitatem, aut necessitatem præceptorum, *q.* 2. *de malo art.* 9.

25. *Quær.* An possit poni aliqua lex quod in nullo casu contingat prætermitti?

Resp. Div. Th. Modus observandi ea, quæ sunt de lege non potest esse uniformiter in omnibus propter diversitates, quæ in singularibus contingunt, sicut non idem modus in curationibus potest adhiberi omnibus laborantibus eadem infirmitate. Ideo Legislator non potest aliquod præceptum ponere, quod non oporteat in casu aliquo prætermitti, tamen considerans, quod frequentius accidit, legem ponit. Nulla enim hominis sapientia tanta est, ut possit omnes singulares casus excogitare, & ideo non potest sufficienter per verba sua exprimere ea, quæ conveniunt ad finem intentum: etsi etiam posset Legislator omnes casus considerare, non oporteret, quod omnes exprimeret propter confusionem vitandam, sed legem debet ferre secundum ea, quæ in plurimum accidunt. Qui in casu necessitatis agit præter verba legis, non iudicat de ipsa lege, sed iudicat de casu singulari, in quo videt verba legis observanda non esse. Si tamen dubium sit, debet vel secundum verba legis agere, vel sapientem consulere, *p.* 2. *q.* 96. *art.* 6. *&* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 2. *in corp.*

26. *Quær.* An lex humana semper sit mutanda quando occurrit aliquid melius?

Resp. Div. Th. Nunquam Lex humana debet mutari, nisi ex aliqua parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex aliqua parte derogatur, quod quidem contingit, vel ex eo quod aliqua maxima evidentissima utilitas ex novo statuto provenit, vel ex eo quod est maxima necessitas, ex eo quia lex consueta eius observatio est plurimum nociva. Unde dicitur a iurisperito, quod in rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut recte recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est, nisi forte propter hoc inutilis lex videatur, quando non est possibilis secundum consuetudinem Patriæ, quæ est una de conditionibus legis. Non igitur pro quacumque melioratione, sed pro magna utilitate, vel necessitate leges sunt mutandæ; cum ad observantiam legum plurimum valeat consuetudo; nam quæ contra communem consuetudinem fiunt, etiamsi sint leviora de se, graviora videntur, *p.* 2. *q.*

p. 2. *q.* 97. *art.* 2. *per totum*, *& art.* 3. *ad* 2. Recolantur ea, quæ dicta sunt superius in quæst. de conditionibus rectæ legis.

27. *Quær.* An Princeps teneatur legibus, an sit solutus a lege?

Resp. Div. Th. Legislator, & Princeps dicitur solutus a lege quantum ad vim coactivam legis, quia nullus in se ipso potest iudicium condemnationis ferre si contra legem agat; sed quantum ad vim directivam legis Princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod dicitur, *in Decretali lib.* 1. *tit.* 2. *extra de constitutionibus cap. cum omnes.* Quod quique iuris in alterum statuit, ipse eodem iure uti debet. Et Sapientis dicit authoritas, Patere legem, quam ipse tuleris. Unde quantum ad Dei iudicium Princeps non est absolutus a lege, quantum ad vim directivam eius, sed debet voluntarius, non coactus legem implere. Est tamen Princeps supra legem, in quantum si expediens fuerit, potest legem mutare, & in ea dispensare pro loco, & tempore, *p.* 2. *q.* 96. *art.* 5. *ad* 3.

28. *Quær.* An leges Tyrannorum obligent?

Resp. Utilius est remissam tyrannidem tollerare, quam Tyrannum agendo multis implicari periculis, quæ sunt graviora ipsa tyrannide: ideo docet *Petrus* 1. *cap.* 2. Subditi estote in omni timore dominis, non bonis tantum, & modestis, verum etiam discolis. Hæc est enim gratia si propter Dei conscientiam sustineat quis tristitias patiens iniuste. Quod si contra Tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum est ad Regem omnium Deum. Promittit enim Populo suo per Isaiam, requiem se daturum a servitute dura. Sed ut hoc beneficium Populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare. Tollenda igitur est culpa, ut cesset Tyrannorum plaga. *Opuscul.* 20. *lib.* 1. *cap.* 6.

29. *Quær.* An aliqui non subdantur legibus Principis?

Resp. Div. Th. Quod aliquis non subdatur potestati Principis potest contingere dupliciter, uno modo quia est simpliciter absolutus ab eius subiectione: Unde illi, quia sunt de una Civitate, vel Regno, non subduntur legibus Principis alterius Civitatis vel Regni, sicut nec eius dominio. Alio modo secundum quod regitur superiori lege: puta si aliquis subiectus sit Proconsuli, regulari debet eius mandato, non tamen in his, quæ dispensantur ei ab Imperatore: quantum enim ad illa non adstringitur mandato inferioris cum superiori mandato dirigatur: & secundum hoc contingit, quod aliquis simpliciter subiectus legi, secundum aliqua legi non abstringatur, secundum quod regitur superiori lege, *p.* 2. *q.* 96. *art.* 3. *in corp.*

Prop. damn. ab Alex. VII. *Populus non peccat; etiam si absque ulla causa non recipit legem a Principe promulgatam.*

Error Io. Hus: *Nullus est Dominus Civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus dum est in peccato mortali.*

30. *Quær.* Quid sit Ecclesia, & quanta sit eius potestas, & vis obligandi?

Resp. Div. Th. Ecclesia secundum statum viæ est congregatio Fidelium; secundum statum Patriæ est congregatio comprehendentium. Præcepta vero Ecclesiæ habent eamdem obligandi efficaciam, quam & præceptum Divinum, & Ecclesia habet eamdem potestatem statuendi, & destruendi in spiritualibus, quam tempore Apostolorum habebat, 3. *p. q.* 8. *art.* 4. *ad* 2. *&* 4. *sent. dist.* 27. *q.* 3. *ad* 3. *& dist.* 49. *art.* 4. *ad* 1. Christus fundavit Ecclesiam, cuius ministerium Petro, & Pastoribus commisit; & quia Ecclesia fundatur in fide, & Sacramentis, ideo ad Ministros Ecclesiæ nec novos articulos fidei edere, aut editos removere, aut nova sacramenta instituere, aut instituta removere pertinet, sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 5. *&* 3. *p. q.* 8. *art.* 4. *ad.* 2. *& op.* 20. *lib.* 3. *cap* 10.

31. *Quær.* An Prælati Ecclesiastici possint condere leges?

Resp. Div. Th. Sicut ad sæculares Principes pertinet præcepta legalia iuris naturalis determinativa tradere de his, quæ pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus; ita etiam ad Prælatos Ecclesiasticos pertinet ea statutis præcipere, quæ ad utilitatem communem fidelium pertinent, maxime in spiritualibus bonis, 2. 2. *q.* 147. *art.* 3. *in corp.*

Hic recolatur prop. 22. damn. sub Leone X. contra Lutherum scilicet: *Certum*

est in manu Ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse statuere articulos fidei, immo nec leges morum, seu bonorum operum.

32. *Quær.* An Papa habeat in tota Ecclesia supremam potestatem condendi leges, creandi Episcopos, & Cardinales, aliosque Prælatos eiusdem Ecclesiæ?

Resp. Div. Th. Cum Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiæ, supra potestatem etiam Episcopalem, qua unaquæque Ecclesia regitur, & hoc est potestas Papæ, & illi, qui hanc potestatem negant Schismatici dicuntur: Papa igitur, contra damnatos hæreticos infra ponendos, habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, quasi Rex in Regno, & sic Christi Vicarius in suo primatu, & providentia universam Ecclesiam conservat, & est primus, & maximus omnium Episcoporum, cum cæteri Episcopi assumantur in partem sollicitudinis quasi iudices in singulis civitatibus Præpositi, propter quod in suis litteris fratres vocat; Reliquos autem filios. Ad summum Pontificem pertinet Synodum generalem congregare, & eius sententiam confirmare, & quæ sunt fidei determinare, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, 2. *sent. dist.* 44. *ad* 4. *& p.* 3. *in supl. q.* 40. *art.* 6. *&* 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. *&* 4. *sent. dist.* 20. *& opusc.* 1. *&* alibi sæpe sæpius.

Qua de re Concil. Triden, *sess.* 24. *de reform. cap.* 1. nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium fatetur, ut Beatissimus Romanus Pontifex quam sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex munere sui officii debet, ut bonos maxime, atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis ipse præficiat: Et *sess.* 14. *de Pænit. cap.* 7. iam dixerat, *Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare.* Et *sess.* 6. *de refor. cap.* 1. *inquit, Confidens itaque per Domini, ac Dei nostri misericordiam, providamque ipsius Dei in terris Vicarii solertiam omnino futurum, ut ad Ecclesiarum regimen, qui maxime digni fuerint secundum venerabiles beatorum Patrum sanctiones assumantur, &c*

Contra præfatas conclusiones adsunt nonnullæ propositiones damnatæ a Martino V. contra Vicelff. & contra Io. Hus signanter 41.

Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

Et damn. a Leone X. contra Lutherum, signanter 20. *Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in Beato Petro institutas.*

33. *Quær.* An definitio Papæ prævaleat nedum opinioni, sed etiam cuicumque Patrum auctoritati?

Resp. Div. Th. Magis standum est sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam iudicio profert, quam quorumcumque sapientum opinioni. Immo magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumque Doctoris; ipsa enim doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Et si quis dicat, quod Romanæ sedis auctoritas non potest aliquid condere, vel mutare contra statuta Sanctorum Patrum, dicendum, quod verum est in illis, quæ statuta Sanctorum determinaverunt esse de iure Divino, sicut articuli fidei, qui determinati sunt per Concilia: sed illa, quæ Sancti Patres determinaverunt esse de iure positivo, sunt relicta sub dispositione Papæ, ut possit ea mutare, vel dispensare secundum opportunitates temporum, vel negotiorum, & in hoc servatur intentio Patrum statuentium, quæ est utilitas Ecclesiæ, *Quodlib. art.* 16. *&* 2. 2. *q.* 10. *art.* 12. *in corp. & opusc.* 79. *cap.* 4.

Hic recolatur prop. damn. ab Alex. VIII. scilicet 30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

34. *Quær.* An Concilium generale possit condere leges, & statuta de fide?

Resp. Div. Th. Sicut tenemur credere illud, quod est in Scriptura: ita illud, quod est communiter per Ecclesiam determinatum. Unde Hæreticus iudicatur, qui sentit contra determinationem Conciliorum, dummodo a Pontifice sint congregata, & confirmata, *Quodlib.* 9. *art.* 16. & habetur etiam *in decreti dist.* 17. *& Quodlib.* 16. *&* 2. 2. *q.* 1. *art.* 10.

35. *Quær.* Quare congregentur Concilia,

a, maxime generalia, & quænam sit potestas Papæ supra Concilium, & an possit se solus determinare ea, quæ sunt fidei, & morum?

Resp. Div. Th. In Concilio institutum fuit Symbolum aliquod propter errorem aliquem, qui in Concilio damnabatur; ita tamen quod Concilium sequens non faciebat aliud Symbolum quam primum, sed quod implicite continebatur in primo Symbolo per aliqua addita explanabatur contra hæreses insurgentes. Sicut puta propter insurgentes errores eorum, qui Spiritum Sanctum a Filio esse negabant, conveniens fuit, ut in Symbolo expresse poneretur. Sicut si insurgerent hæreses, quæ negarent Spiritum Sanctum esse factorem Cœli, & terræ, oporteret hoc explicite poni, cum in Symbolo non dicatur nisi de Patre. Igitur posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum a priore Synodo constitutum, ac ponendi aliqua ad eius explicationem. Hoc eo magis Romanus Pontifex sua auctoritate potest, cuius sola auctoritate Synodus congregari potest, & a quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum a Synodo appellatur: sicut & omnia alia, quæ pertinet ad Ecclesiam. Hoc autem pertinet ad actoritatem Summi Pontificis, ad quod maiores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur *in decretal. dist.* 42, *& habetur* 2. *q.* 6. *cap. Oppressus*. Cuius auctoritate etiam antiqua Concilia congregabantur, & confirmabantur. Quæ omnia patent ex gestis Concilii Calcedonensis: nec est semper necessarium, quod universale Concilium congregetur, cum ad auctoritatem solius Summi Pontificis pertineat finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, & morum, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Unde Dominus *Luc.* 22. Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit, Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Maxime cum quandoque Concilia fieri prohibeant bellorum dissidia, sicut in septima Synodo legitur, quod Constantinus Augustus propter imminentia bella universaliter Episcopos congregare non potuit, *p. p. q.* 36. *art.* 2. *ad* 2. *&* 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. *& in quæst. disput. quæst.* 10. *de potentia Dei concl.* 4. *ad* 13.

Conc. Trid. sess. 3. declarat, *Symbolum fidei Sancta Romana Ecclesia utitur tamquam principium, ac fundamentum firmum, & unicum, contra quod portæ inferi non prævalebunt*. Et sess. 25. *Multa in hoc Sacro Concilio, quod dogmata, ac morum reformationem statuta, & definita sunt, & quæ in ea decreta, & definita sunt confirmatio a Beatissimo Romano Pontifice petatur. Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem, aut definitionem postulet, confidit Sancta Synodus Beatissimum Romanum Pontificem curaturum quod ei visum fuerit.* Et sess. eadem 25. cap. 21. magis clare profitetur dicens. *Postremo Sancta Synodus omnia, & singula sub quibuscumque clausulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina in hoc Sacro Concilio statuta sunt declarat, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas sedis Apostolicæ, & sit, & esse intelligatur.*

Hic recolatur prop. 29. damn. ab Alex. VIII. *Scilicet futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium OEcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.*

Et 24. damn. a Leone X. contra Lutherum. *Via nobis facta est enerrandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.*

Et 22. *Certum est in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsus non esse statuere articulos fidei, immo nec leges morum, seu bonorum operum.*

Concil. Trid. Sess. 24. *de refor.* cap. 2. decernit circa alia Concilia, *ut Provincialia Concilia quolibet saltem triennio, Synodi quoque Diæcesanæ quotannis celebrentur pro moderandis moribus, corripiendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis renoventur.*

36. *Quær.* Quæ fuerunt principalia Concilia, quæ sicuti sancta quatuor Evangelia in venerationem habentur?

Resp. Div. Th. Primum Concilium fuit Nicænum, tercentorum & octo Episcoporum tempore Constantini, ubi condem-

natus fuit Arius Præsbyter Alexandrinus, qui Filium Dei asserebat minorem Patre. Beatus Sylvester absens fuit ab eodem ex speciali causa. Secundum autem Concilium fuit Constantinopoli sub Ciriaco Papa celebratum, quidam tamen dicunt sub Damaso præsente Theodosio Seniore, centum quinquaginta Episcoporum, in quo fuerunt multæ hæreses condemnatæ, sed præsertim Macedonii Episcopi Constantinopolitani, qui Spiritum Sanctum negabat esse Deum Patri Consubstantialem, & Filio. Tertium autem Concilium celebratum fuit sub Theodosio iuniore apud Ephesum ducentorum Episcoporum, tempore Celestini Primi, licet præsens non fuerit, eius vices gessit Cyrillus Alexandrinus. Synodus autem prædicta contra Nestorium Constantinopolitanum Episcopum congregata fuit, qui duas Personas ponebat in Christo, & duo supposita, per quæ tollebatur vera unio utriusque naturæ. Quartum Concilium fuit celebratum in Calcedonia sexcentorum triginta Episcoporum, sub Leone I. (præsente Principe Marciano ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, per quod habes, quod tota intentio Principum antiquitus erat ad favendum fidei, & Ecclesiæ Romanæ.) In hoc autem Concilio damnatus est Eutyches cum Dioscoro Episcopo Alexandrino, qui sicut Nestorius ponebat naturas, & personas distinctas, sic isti asserebant confusas, & admixtas, *opusc.* 20. *lib.* 3. *cap.* 17.

37. *Quær.* An Ecclesia aliquando in suis determinationibus possit decipi?

Resp. Div. Th. Certum est, quod iudicium Ecclesiæ universalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impossibile est: in aliis vero sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus; vel de huiusmodi, possibile est iudicium Ecclesiæ errare propter falsos testes. *Quodlib.* 9. *art.* 16. *in corp.*

Unde Concil. Trid. sess. 25. de delectu lib. *Hortatur sancta Synodus Pastores omnes, & obtestatur, ut tamquam boni milites illa omnia, quæ sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater, & magistra statuit, necnon ea, quæ tam in hoc Concilio, quam in aliis OEcumenicis Conciliis statuta sunt quibuscumque fidelibus sedulo commendent, omnique diligentia utantur, ut illis omnibus sint obsequentes.*

38. *Quær.* Quinam sint specialiter Prælati Ecclesiastici, qui ius habent condendi leges, & præcepta, seu statuta?

Resp. Div. Th. Primo Papa, ut supra dictum est, pro tota Ecclesia: Archiepiscopus, & Legatus in Provincia sua: Episcopus in sua Diœcesi: Abbas in Abbatia sua: sive Prælati Regulares in sua Congregatione, *opusc.* 61. *cap.* 5.

39. *Quær.* An sit de necesse salutis subesse omnes Christifideles Romano Pontifici?

Resp. Div. Th. De necesse salutis est subesse Romano Pontifici; quia dictum est a Christo Domino Petro, & successoribus eius. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Cœlis, &c. *opusc.* 1. *cap.* 52. *& opuscul.* 20. *lib.* 1. *cap.* 14. *& lib.* 3. *cap.* 10.

Recolatur hic prop. 9. damn. a Martino V. contra Io. Hus, scilicet: *Papalis dignitas a Cæsare inolevit, & Papæ perfectio, & institutio a Cæsaris potentia emanavit.*

Et propoſit. 10. *Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel de alio, quod esset caput particularis Ecclesiæ, nec Romanus Pontifex est Caput Romanæ Ecclesiæ particularis.*

40. *Quær.* An Papa possit se submittere iudicio aliorum?

Resp. Div. Th. In rebus humanis aliqui secundum quid propria sponte possunt se subiicere aliorum iudicio, sicut qui compromittunt in aliquos arbitros, quamvis non sint superiores, sic & Christus propria sponte humano iudicio se subdidit, sicut Paulus iudicio Cæsaris: *Actorum* 25. Et Leo Papa iudicio Imperatoris. Nullus igitur potest absolute habere in Papam potestatem simpliciter, maxime coercitivam, & quia ipse fungitur publica, & primaria potestate, potest solum secundum quid, ex suppositione, quod ipse sponte se submittat iudicio aliorum, 2. 2. *q.* 67. *art.* 1. *in corp. & ad* 2. *& opusc.* 20. *lib.* 1. *& 3. cap.* 10. Plura alia circa iura Summi Pontificis, & Conciliorum generalium statuta, quæ a D. Thoma differuntur in suis Operibus, & Opusculis de Regimine, &c. ut consu-

la-

amus brevitati studioso Lectori remittimus.

41. *Quær.* Quid debeat regulariter Prælatus Ecclesiarum præcipere?

Resp. Div. Th. Prælatus non debet imponere subdito quidquam, nisi quod vel est ad utilitatem Ecclesiæ, vel bonorum morum Christianæ Religionis. Et magnis Viris de facili non debet fieri præceptum, sed potius, ait Apostolus, Seniorem obsecra. Tandem cum potestas Prælati in ædificationem sit data, non in destructionem, non potest imponere, quæ secundum se Deo displicent, nec prohibere, quæ secundum se Deo placent, scilicet virtutis opera. Ad Prælatum tamen pertinet diiudicare quid sit magis virtuosum, & Deo magis acceptum, 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 1. *& Lect.* 1. *ad Philem. & Lect.* 2. *cap.* 16. *ad Cor.*

42. *Quær.* An Prælatus debeat uti multitudine præceptorum?

Resp. Div. Th. Quod Augustinus dicit esse moderationem attendendam præceptorum, ne conversatio subditorum, & fidelium onerosa reddatur: ipsa lex nova præter præcepta legis naturæ, paucissima superaddit in Doctrina Christi, & Apostolorum, licet aliqua sint postmodum superaddita ex institutione sanctorum, 1. 2. *q.* 107. *art.* 4.

43. *Quær.* An pro adimpletione præceptorum sufficiat solus actus mere extraneus, an requiratur etiam internus, simul & externus?

Resp. Div. Th. Præcepta dantur de actibus virtutum; duplex autem est actus virtutis, scilicet interior, & exterior, & uterque actus sub legis præcepto cadit. Regnum enim Dei in interioribus actibus consistit principaliter, & ex consequenti etiam ad Regnum Dei pertinent omnia illa, sine quibus interiores actus esse non possunt. Sicut si Regnum Dei est interior iustitia, & pax, necesse est etiam, quod omnes exteriores actus, qui repugnant iustitiæ, aut paci, repugnent Regno Dei, & ideo sunt prohibendi. E contra firma exteriorum actuum observatio virtutum causatur ex interiori affectione bene disposita, qua virtutes servantur, nam Charitas præcipue custoditur, si charitati virtus, si charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur. *Quodlib.* . *art.* 24. *& p.* 2. *q.* 108. *art.* 1. *ad* 1. *totum romiscue.*

Recolatur prop. damn. ab Alexan. VII. scilicet 14. *Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ*; sic & 55. de præcepto Comm: & 25: *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi sive res sit levis, sive sit gravis.*

Et sub Clem. XI. *Ad obedientiam Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis Iansenii libri sensum in quinque propositionibus damnatum, interius, ut hæreticum damnet: sed satis esse si de ea re obsequiosum silentium teneat.*

Et similiter 5. *Formulæ ab Alexandro VII. præscriptæ posse licite subscribi etiam ab iis, qui interius non iudicant in Iansenii libro doctrinam hæreticam contineri.*

44. *Quær.* An Ecclesia possit errare in suis determinationibus, & præcipue in Canonizatione Sanctorum?

Resp. Div. Th. Aliquid potest iudicari possibile secundum se consideratum, quod relatum ad aliquod extrinsecum impossibile invenitur: Dico ergo, quod iudicium eorum, qui præsunt Ecclesiæ potest errare in quibuslibet, si personæ earum tantum respiciantur. Si vero consideretur Divina Providentia, quæ Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit, ut non erret, sicut ipse promisit *Ioan.* 14. Quod Spiritus adveniens doceret omnem veritatem de necessariis, scilicet ad salutem. Unde certum est iudicium Ecclesiæ universalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impossibile est. Quia tamen puta honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod in his iudicium Ecclesiæ errare non possit. Et Pontifex, cuius est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicuius per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum. Et Divina Providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus, per fallibile testimonium hominum, fallatur. Et præcipue per instinctum Spiritus Sancti, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei, ut 1. *Cor.* 2. dicitur. *Quodlib* 9. *art.* 16. De hac re iterum erit sermo in Quæstionibus de Fide Theologica.

Concil. Triden. sess. 25. de invocatione, & veneratione, & Reliquiis Sanctorum. *Decernit, & statuit sancta Synodus nemini licere ullo loco, vel Ecclesia*

sia ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla esse admittenda nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum fuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis Viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea iudicaverit: ita tamen, ut nihil inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.

45. *Quær.* An Papa pro necessitate Ecclesiarum possit sumere subsidium ab aliis partibus mundi?

Resp. Div. Th. Dominus Papa pro necessitate potest accipere subsidium ab aliis partibus mundi: ratio est, quia Ecclesia est sicut unum corpus: Natura quando deficit in uno membro subministrat humores, & virtutem, accipiens ab aliis membris. *Gratis*, ait Apostolus, *Evangelium Dei evangelizavi vobis: alias Ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum*. Lec. 2 cap. 11. ad Corinthios.

46. *Quær.* De consuetudine an possit obtinere vim legis, & legem humanam abolere?

Resp. Div. Th. Lex humana a voluntate hominis ratione regulata pendet. Sicut enim voluntas hominis manifestatur verbo, vel scripto in rebus agendis, ita etiam manifestatur facto; hoc enim unusquisque eligere videtur ut bonum, quod opere implet. Manifestum est, quod verbo potest mutari lex, & etiam exponi, ergo etiam per actus maxime multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt, potest lex mutari, & exponi, & etiam aliquid causari, quod legis virtutem obtineat. Cum enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis iudicio provenire; & secundum hoc consuetudo habet vim legis, & legem antiquam abolet, & est legum interpretatrix; maxime si per eos tolleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere, hoc enim ipso videtur approbare, quod consuetudo introduxit: difficile enim est consuetudinem multitudinis removere, *p. 2. q. 97. art. 3.*

47. *Quær.* An etiam contra legem Divinam, & naturalem consuetudo operetur?

Resp. Div. Th. Quamvis ea, quæ sunt de iure positivo per consuetudinem aboleantur, tamen ea, quæ sunt a iure naturali, vel de iure Divino nulla dissuetudine aboleri possunt; nulla enim dissuetudine fieri potest, ut sit licitum furari, vel mæchari. Lex enim naturalis, & Divina procedit a voluntate Divina, unde non potest mutari per consuetudinem procedentem a voluntate hominis, sed solum per auctoritatem Divinam mutari posset. Inde est, quod nulla consuetudo vim legis obtinere potest contra legem Divinam, vel naturalem. Dicit enim *Isidorus* in *Synonimis*, usus auctoritati cedat, pravum usum lex, & ratio vincat. Immo etiam in lege positiva humana si ratio eadem maneat propter quam lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit, *p. 2. q. 97. art. 3. ad 1. & ad 2. & quodlib. 2. a. 8.*

48. *Quær.* An traditiones, & consuetudines Ecclesiæ sint omnino servandæ?

Resp. Div. Th. Generales consuetudines Ecclesiæ servari debent sicut Evangelia, ut habetur 11. *distint. Ecclesiasticarum*. Unde *Aug.* dicit in quadam Epistola ad Casulanum, Mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege sunt tenenda, & sicut prævaricatores legum Divinarum, ita & contemptores consuetudinum Ecclesiarum coercendi sunt, unde consuetudo honesta habet vim præcepti, *opusc. 65. cap. 3. & p. 2. q. 97. art. 3. & 2. 2. q. 79. art. 2. ad 2. Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi*, Deuteron. 32. *State & tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram*, 2. Thess. 2.

49. *Quær.* De interpretatione legis an liceat uti aliquando?

Resp. Div. Th. Interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet absque determinatione superioris a verbis legis recedere, & interpretari intentionem legislatoris. Sed tamen hoc est considerandum, ut alibi dictum est, quod si observatio legis secundum verba non habet subitum periculum, cui oporteat statim occurri, non pertinet ad quemlibet, ut interpretetur quid sit utile, & quid inutile, sed hoc solum pertinet ad Principes, qui propter huiusmodi casus, ut videbimus infra, habent auctoritatem in legibus dispensandis, si vero sit subitum pe-

periculum non patiens moram, ut ad superiorem recurri possit, ipsa necessitas dispensationem habet adnexam, quia necessitas non subditur legi: Immo in manifestis non est opus interpretatione, sive dispensatione, sed excusatione, *p.* 2. *q.* 96. *art.* 6. *&* 2. 2. *q.* 120. *art.* 1. *ad* 3. *promiscue*.

50. *Quær*. Quid est privilegium?

Resp. Div. Th. Sunt quædam quæ simpliciter in communi ponuntur, & hæc sunt leges; Quædam vero sunt, quæ sunt communia quantum ad aliquid, & singularia quantum ad aliquid, & huiusmodi sunt privilegia, quasi leges privatæ, quia respiciunt singulares personas, & tamen potestas eorum se extendit ad multa negotia, *p.* 2. *q.* 96. *art.* 1. *ad* 1.

51. *Quær*. De dispensatione quid sit, & quomodo intercedat?

Resp. Div. Th. Dispensatio est communis iuris relaxatio. Quando tamen dispensatur in lege, non fit ut legi humanæ non obediatur, quod esset contra legem naturæ, & contra mandatum Divinum: sed fit quod hoc, quod erat lex, non sit in hoc, vel in illo casu. Nam in particularibus non potest inveniri ratio, quæ omnibus competat æqualiter propter eorum diversitatem: ideo quod universaliter statutum est, rationaliter consideratis istis, vel illis circumstantiis, quæ in pluribus accidunt, potest lex per dispensationem rationabiliter removeri in aliquo casu determinato. Notandum tamen, quod quando dispensatur, ut quis legem communem non servet, debet fieri ex intentione, ut ad bonum commune proficiat, 4. *sent. dist.* 44. *&* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 10. *ad* 2. *& iterum* 4. *sent. dist.* 27. *q.* 3. *art.* 3. *& p.* 2. *q.* 97. *art.* 4.

52. *Quær*. An in lege naturali, & Divina possit fieri dispensatio?

Resp. Div. Th. Lex naturalis in quantum quod continet præcepta communia, quæ nunquam fallunt, dispensationem recipere non potest: in aliis vero præceptis, quæ sunt quasi conclusiones præceptorum communium, quandoque per hominem dispensatur; puta quod mutuum non reddatur proditori Patriæ, vel aliquid huiusmodi. Circa vero legem Divinam ita se habet quilibet homo, sicut persona privata ad legem publicam, cui subiicitur. Unde sicut in lege humana publica non potest dispensare nisi ille, a quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit; ita in præceptis iuris divini, quæ sunt a Deo nullus potest dispensare, nisi Deus, vel cui ipse specialiter committeret: Quia quamvis absolute præcepta ipsa Decalogi quantum ad rationem iustitiæ, quam continent sint immutabilia, quia Deus negaret se ipsum, si ordinem iustitiæ auferret, cum ipse sit ipsa iustitia; sed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad singulares actus, ut scilicet hoc, vel illud sit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non, hoc quidem est mutabile, & dispensabile quandoque sola auctoritate Divina, in his scilicet, quæ a solo Deo sunt instituta; sicut quando filii Israel præcepto Dei tulerunt Ægiptiorum spolia, non fuit furtum indebitum, quia hoc eis debebatur ex sententia Dei; similiter cum Abraham consensit occidere filium, non consensit in homicidium, quia debitum erat eum occidi per mandatum Dei, qui est Dominus vitæ, & mortis: & similiter cum Osea accessit ad Uxorem fornicariam, non est mæchatus, quia accessit ad eam, quæ sua erat secundum mandatum Divinum, qui est auctor institutionis matrimonii: & in aliis huiusmodi. Lex autem humana non potest hoc concedere, quod licite homo occidatur, sed solum malefactores, & hostes Reipublicæ. Quandoque auctoritate humana dispensatur in his, quæ sunt commissa hominum iurisdictioni, prout homines gerunt vices Dei, non autem quantum ad omnia; puta ut homini liceat non ordinate se habere ad Deum, vel non subdi ordini iustitiæ, & in his secundum quæ homines ad invicem ordinantur, ut scilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum secundum intentionem legislatoris, scilicet Dei, prout præcepta Decalogi continent, & hæc etiam omnino sunt indispensabilia. Ratio est, quia in præceptis debet fieri dispensatio quando occurrit aliquis casus particularis, in quo si verbum legis observaretur, contrariaretur intentioni legislatoris; intentio autem legislatoris cuiuslibet ordinatur primo & principaliter ad bonum commune; secundo autem ad ordinem iustitiæ, & virtutis, secundum quem bonum commune conserva-

conservatur, & ad ipsum pervenitur. Si quæ ergo præcepta dantur, quæ continent ipsam conservationem boni communis, vel ipsum ordinem iustitiæ, & virtutis, huiusmodi præcepta sunt indispensabilia; puta si poneretur hoc præceptum, quod nullus destrueret rempublicam, neque proderet civitatem hostibus, sive quod nullus faceret aliquid iniuste, vel male, huiusmodi præcepta essent indispensabilia. Sed si aliqua præcepta traderentur ordinata ad ista præcepta, puta si ad conservationem reipublicæ statueretur, quod aliqui vigilarent ad custodiam civitatis, posset cum aliquibus dispensari propter aliquam maiorem utilitatem & in aliis huiusmodi, *p. 2. q. 97. art. 4. ad 3. & q. 100. art. 8. promiscue*.

53. *Quær.* Cuinam competat dispensare in legibus humanis?

Resp. Div. Th. Contigit autem, ut dictum est, quod aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis, ut in pluribus non est conveniens huic, vel alteri personæ, vel in hoc, vel in illo casu, quia per hoc impediretur aliquod melius, vel etiam induceretur aliquod malum, periculum esset, ut in hoc iudicium omnibus committeretur, nisi forte propter evidens, & subitum periculum. Ideo qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege, quæ suæ auctoritati nititur; ut scilicet in personis, vel in locis, vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum legis non servetur, quod proprie est dispensare in lege. Dispensatio mihi credita est, dicit *Apostolus* prima ad *Cor. 9.* Debet tamen fieri rationabiliter; si autem absque ratione, pro sola voluntate licentiam tribuat, aut erit infidelis in dispensatione, aut erit imprudens; infidelis quidem si non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem si rationem dispensandi ignoret: propter quod Dominus dicit *Luc. 12.* Quis putas est fidelis dispensator, & prudens super familiam suam? *p. 2. q. 97. art 4 & 2. 2. q. 88. art. 10.*

54. *Quær.* Quæ nam sit auctoritas Papæ in dispensando?

Resp. Div. Th. Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita scilicet quod quæcumque sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos sunt dispensabilia a Papa. Hæc enim sunt, quæ dicuntur esse iuris humani, vel iuris positivi. Quæ vero sunt de lege naturæ, & in articulis fidei, & Sacramentis novæ legis dispensare non potest. Papa igitur quamvis non possit dispensare quantum ad ea, quæ sunt de iure naturali, & quantum ad ea, quæ sunt de necessitate sacramentorum, & fidei: in aliis tamen, quæ pertinent ad determinationem iudiciorum, vel ad determinationem Divini Cultus, etsi de institutione Apostolorum, libere permisit Christus, qui est novæ legis Lator, possit dispensare; cum Ecclesia habeat nunc eamdem potestatem statuendi, & decernendi, quam tunc tempore Apostolorum habuit, *4. sent. dist. 17. q. 3. ad 2. & Quodlib. 4. art. 13.*

55. *Quær.* An in dispensatione sit personarum acceptio?

Resp. Div. Th. Quod quando cum aliquo dispensatur, ut legem communem non servet, non est acceptio personarum, si non serventur æqualia in personis inæqualibus: unde quando conditio alicuius personæ requirit rationabiliter, ut in ea aliquid specialiter observetur, vel indulgeatur, non est personarum acceptio, si sibi aliqua specialis gratia fiat, *p. 2. q. 97. art. 4. ad 2.*

56. *Quær.* An habens iurisdictionem possit illam regulariter aliis committere in causa dispensationis?

Resp. Div. Th. Quicumque habet iurisdictionem potest generaliter, ea quæ sunt iurisdictionis committere, & sic inferior potest dispensare, quando dispensatio a superiore sibi relinquitur, *4. sent. dist. 15. q. 3. art. 2.*

Circa dispensationes causa voti, iuramenti, sive matrimonii, & huiusmodi suis in locis dabuntur regulæ, & quomodo, & quando, & a quibus possit fieri dispensatio.

Hic tamen apponitur in hac materia regula generalis circa dispensationes, quæ decernitur a Conc. Trid. sess. 25. *de reform. cap. 18.* scilicet; *Sicuti Reipublicæ expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus, & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere exemplo potius, quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus*

but indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exacte ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens, iustaque ratio, & maior quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse; id causa cognita, ac summa maturitate a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum: aliterque facta dispensatio surreptitia censeatur.

57. *Quer.* De lege pœnali, an sit necessarium, & utile pœnam imponere transgressoribus?

Resp. Div. Th. Ex supradictis patet, quod lex de sui ratione duo habet. Primo quidem, ut sit regula humanorum actuum. Secundo, quod habeat vim coactivam. Homines bene dispositi melius inducuntur ad disciplinam, & ad virtutem monitionibus voluntariis, quam coactione: sed quidam male dispositi non ducuntur ad disciplinam virtutis nisi cogantur. Ideo factæ sunt leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia; & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur nocendi facultas, ut sic male facere desistentes, & aliis quietam vitam redderent, & ipsi tandem ad hoc perducerentur, quod voluntarii facerent, quæ prius metu implebant, & sic fierent virtuosi: Quia ut alibi dictum est ex *Philosoph. 1. Polit.* Homo si sit perfectus virtute est optimum animalium, si sit separatus a lege, & iustitia, est pessimum omnium animalium, quia habet arma rationis ad expellendas concupiscentias, & sævitias, quæ non habent alia animalia. Unde necessarium fuit ad pacem hominum, & virtutem, quod leges pœnales ponerentur, *p. 2. q. 95. art. 1. & quæst. 96. art. 5. in corp.*

58. *Quer.* Quibus competat pœnas infligere, & premia quandoque conferre?

Resp. Div. Th. Lex non habet vim coactivam, nisi ex Principis potestate. Unde cura imminet Rectoribus, ut suis legibus, & præceptis, pœnis, & premiis, homines sibi subiectos ab iniquitate coerceant per pœnas, & ad opera virtuosa inducant per premia: exemplum a Deo accipiens, qui hominibus legem dedit observantibus quidem mercedem, transgressoribus pœnas retribuens, *p. 2. q. 96. art. 5. ad 3. & opusc. 20. lib. 1. cap. 15.*

59. *Quer.* De Lege Gratiæ. Primo an homo absque gratia per suas vires naturales possit totius legis præcepta implere?

Resp. Div. Th. Implere mandata legis contingit dupliciter; uno modo quantum ad substantiam operum, prout scilicet homo operatur iusta, & fortia, & alia virtutis opera: & hoc modo in statu naturæ integræ potuisset omnia mandata legis implere. Sed in statu naturæ corruptæ potest quidem aliquod bonum particulare agere, non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat: sicut homo infirmus potest per se ipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ: Alio modo possunt impleri mandata legis non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad modum agendi, ut scilicet ex charitate fiant: & sic neque in statu naturæ integræ, neque in statu naturæ corruptæ potest absque gratia homo implere legis præcepta. Sic igitur virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ quantum ad unum, idest ad operandum, & volendum bonum supernaturale, quia quantum ad sufficientiam operativæ virtutis poterat homo per sua naturalia velle, & operari bonum suæ naturæ proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitæ: non autem bonum superexcedens, quale est bonum virtutis infusæ. Sed in statu naturæ corruptæ, quantum ad duo scilicet ut sanetur, ut possit totum bonum sibi connaturale implere ita quod in nullo deficiat, & ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur; quod est meritorium. In statu igitur naturæ corruptæ non potest homo implere omnia mandata Divina, sine gratia sanante: Indiget insuper in utroque statu auxilio Dei moventis ad mandata implenda: ut scilicet ex charitate fiant, *p. 2. q. 109. art. 2. & 4.*

Error Pelagii: *Gratia necessaria non est ad simpliciter, sed tantum ad facilius promerendum vitam æternam.*

60. *Quer* Quomodo in utroque statu homo, cum sit liber, & Dominus suorum

actuum, indigeat auxilio Divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum?

Resp. Div. Th. Quamvis homo sit Dominus suorum actuum, & volendi, & non volendi per suum liberum arbitrium, scilicet propter deliberationem rationis, quæ potest flecti ad unam partem, vel ad aliam: Deus enim constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui, *Eccl.* 15. attamen, ut deliberet, vel non deliberet, etsi huiusmodi etiam sit Dominus, oportet, quod hoc sit per deliberationem præcedentem, & cum hoc non procedat in infinitum, oportet, quod finaliter deveniatur ad hoc, quod liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam, scilicet a Deo. Unde mens hominis etiam sani non ita habet dominium sui actus, quin indigeat ex generali ratione moveri a Deo: & multo magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum, per quod impeditur a bono per corruptionem naturæ indiget moveri a Deo, & sanari, ut totum bonum sibi connaturale possit implere; & eo magis indiget motione, & auxilio gratiæ elevantis naturam, ut bonum supernaturalis virtutis attingat. Nulla res enim potest agere ultra suam speciem, & naturam, neque ultra suam activitatem: impossibile est, quod aliquid igneat, nisi solus ignis. Sic enim necesse est, quod solus Deus deificet. Unde *Hieronymus* dicit ad Damasum in *Expositione Catholicæ fidei*, & confitetur, sic nostrum liberum esse arbitrium, ut dicamus nos semper indigere Dei auxilio. Non tamen propter hoc Deus ex necessitate movet voluntatem. Ad providentiam Divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare: ita quod ex causis necessariis per motionem Divinam consequatur effectus ex necessitate, ex causis contingentibus sequatur effectus contingenter; & quia voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinet, sed remanet motus eius contingens. Deus autem movet omnia secundum modum uniuscuiusque, sicut in naturalibus videmus, quod aliter moventur ab ipso gravia, & aliter levia propter diversam naturam utriusque; unde magis repugnaret Divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quam si moveatur libere, prout competit suæ naturæ. Igitur Deus hominem movet secundum conditionem naturæ humanæ. Et cum homo secundum propriam naturam habeat, quod sit liberi arbitrii, ideo non fit motio a Deo absque motu liberi arbitrii; nam ita infundit donum gratiæ quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ libere acceptandum, *p.* 2. *q.* 10. *art.* 4. *&* *q.* 109. *art.* 2. *ad* 1. *&* *art.* 4. *ad* 2. *&* *art.* 9. *in corp.* *&* *q.* 112. *art.* 1. *&* *q.* 113. *art.* 3. *totum promiscue.*

Error Pelagii: *Liberum arbitrium potest sine gratia Dei facere opus bonum vitæ æternæ meritorium.*

61. *Quær.* Quid sit Gratia?

Resp. Div. Th. Donum gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ, cum nihil aliud sit, quam quædam participatio Divinæ naturæ, quæ excedit omnem aliam naturam. Secundum quod dicitur 2. *Petr.* 1. Maxima, & pretiosa vobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ. Gratia secundum quod gratis datur excludit rationem debiti, alioquin ut dicit *Apost. ad Rom.* 2. Gratia non esset Gratia, quæ nulli deest, sed omnibus quantum in se est, se communicat, *cap.* 12. *ad Hebræos*, *lect.* 3. *p.* 2. *q.* 112. *art.* 1. *in corp.* *&* *quæst.* 110. *art.* 1. *&* 3. *&* *q.* 111. *art.* 1.

Error Pelagii, *Gratia datur secundum merita*. Error Iansenii: *Pagani, Iudæi, Hæretici, aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum, adeoque hinc recte infers, in illo esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.*

62. *Quær.* An possit homo se præparare ad gratiam?

Resp. Div. Th. Gratia dicitur dupliciter. Quandoque quidem ipsum habituale donum Dei, quandoque autem auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primo igitur modo accipiendo Gratiam, præexigitur ad Gratiam aliqua gratiæ præparatio, quia nulla forma connaturaliter potest esse nisi in materia disposita; sed si loquamur de Gratia, secundum quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla præparatio requiritur ex pa-

parte hominis, quasi præveniens Divinum auxilium, sed potius quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et secundum hoc ipse bonus motus liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrii moti a Deo; & quantum ad hoc dicitur homo se præparare, secundum illud, *Prov.* 16. Hominis est præparare animam; & est principaliter a Deo movente liberum arbitrium. Sic igitur cum Deus sit primus movens, simpliciter ex eius motione est, quod omnia in ipsum convertantur: & ideo quod homo convertatur ad Deum hoc non potest esse nisi Deo ipsum convertente, hoc autem est præparare se ad Gratiam, quasi ad Deum converti sicut ille, qui habet oculum aversum a lumine solis, per hoc se præparat ad recipiendum lumen solis, quod oculos suos convertit versus solem, secundum illud, *Ier.* 33. Converte, & convertar, & *Tren. ultimo*, Converte nos Domine ad te, & convertemur. Hominis igitur est præparare animam quod facit per liberum arbitrium: sed tamen hoc non facit sine auxilio Dei moventis, & ad se attrahentis ut dicitur *Io.* 6. Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui me misit traxerit eum; & item *Io.* 15. sine me nihil potestis facere. Et cum dicitur homo facere quod in se est, hoc intelligitur in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo. Qui cum sit agens infinitæ virtutis non exigit semper dispositionem materiæ, quasi præsuppositam ex alterius causæ motione. Contingit enim quandoque, quod Deus per auxilium movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum; & talis præparatio gratiæ imperfecta præcedit donum gratiæ gratum facientis, & ista non sufficit ad meritum nedum in homine per gratiam iustificato. Sed quandoque statim perfecte movet ad bonum, & subito gratiam homo accipit, quia tunc præparatio hominis ad gratiam habendam est simul cum ipsa infusione gratiæ, & talis operatio est quidem meritoria: & ita contigit Paulo: qui subito, cum esset in pregressu peccati, perfecte motum est cor eius a Deo, audiendo, & addiscendo, & veniendo, & subito est gratiam consecutus, *p.* 2. *q.* 109. *art.* 2. *ad* 2. & *art.* 6. & *q.* 110. *art.* 3. *q.* 111. *art.* 1. *in corp.* & *ad* 2. & *q.* 112. *art.* 1. & 2.

63. *Quær.* An facienti quod est in se necessario detur gratia se præparanti ad gratiam?

Resp. Div Th. Supra dictum est: præparatio hominis ad gratiam est a Deo, sicut a movente, a libero arbitrio, sicut a moto. Potest igitur præparatio dupliciter considerari, uno modo secundum quod est a libero arbitrio, & secundum hoc nullam necessitatem habet ad gratiæ consecutionem: quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo secundum quod est a Deo movente, & tunc habet necessitatem id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis: quia ordinatio, & intentio Dei deficere non potest, quam ipse statuit, secundum quod Aug. dicit in *lib. de prædestinatione sanctorum*, quod per beneficia Dei certissime liberantur, quicumque liberantur: Nam collationis gratiæ prima infallibilis causa est a solo Deo; et solum defectus gratiæ prima causa est ex nobis, secundum illud, *Osee* 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum. Quia homo per se ipsum solum potest deficere a bono, sicut per se ipsum, secundum suam naturam potest deficere in esse, nisi divinitus conservetur. *p.* 2. *q.* 109. *art.* 2. *ad* 2. & *art.* 6. *in corp. q.* 110. *art.* 3. *in corp. circa medium*, *q.* 111. *art.* 1. & *ad* 2. & *q.* 112. *art.* 1. & *art.* 2. & *art.* 3. *totum promiscue*.

64. *Quær.* Quomodo Gratia convenienter dividatur, & diversimode nuncupetur?

Resp. Div. Th. Cum Gratia ad hoc ordinetur, ut homo reducatur in Deum ordine quodam, secundum hoc primo duplex est gratia; una quidem, per quam ipse homo Deo coniungitur, quæ vocatur gratia gratum faciens. Alia vero per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc ut ad Deum reducatur. Huiusmodi autem donum vocatur gratia gratis data, quia non datur ad hoc, ut homo ipse per eam iustificetur, sed ut ad iustificationem alterius cooperetur. Iterum gratia gratum faciens dupliciter potest sumi, ut supra dictum est. Uno modo Divinum auxilium, quo nos movet ad be-

ne volendum, & agendum. Alio modo habituale donum nobis divinitus inditum: utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur per operantem, & cooperantem. Operatio enim alicuius effectus non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectu, in quo mens nostra est mota, & non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur, & secundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens nostra, est movens, & movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ: & secundum hoc dicitur gratia cooperans. Est autem in nobis duplex actus. Primus quidem interior voluntatis, & quantum ad istum actum voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens: & præsertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat. Et ideo secundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans. Alius autem actus est exterior, qui cum a voluntate imperetur, consequens est, quod ad hunc actum operatio attribuatur voluntati: & quia etiam ad hunc actum Deus nos adiuvat, & interius confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, & exterius facultatem operandi præbendo, respectu huiusmodi actus dicitur gratia cooperans. Unde *Aug.* dicit *de grat. & lib. arbit. cap.* 17. cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incepit, quia ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Ut autem velimus operatur, cum autem volumus, ut perficiamus cooperatur. Itaque si gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, qua movet nos ad bonum, hoc modo dividitur per operantem, & cooperantem. Si vero accipiatur gratia pro habituali dono, sic est duplex gratiæ effectus, sicut & cuilibet alterius formæ. Quorum primus est esse, secundus est operatio, sicut caloris operatio est facere calidum, ut exterior calefactio. Sic igitur habitualis gratia in quantum animam sanat, vel iustificat, sive gratam Deo facit, dicitur gratia operans, in quantum vero est principium operis meritorii, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans. Deus non sine nobis nos iustificat; quia per motum liberi arbitrii dum iustificamur, Dei iustitiæ consentimus, motus tamen liberi arbitrii non est causa gratiæ, sed effectus; unde tota operatio pertinet ad gratiam: homo autem per gratiam operantem adiuvatur a Deo, ut bonum velit. Et præsupposito iam fine consequens est, ut gratia nobis cooperetur sicut adiuvans ad præsuppositum finem. Ista gratia operans, & cooperans est eadem gratia, & solum distinguitur secundum diversos effectus. Sicuti etiam distinguitur in prævenientem, & subsequentem. Sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis; quorum primus est, ut anima sanetur: secundus, ut bonum velit: tertius est, ut bonum, quod vult, efficaciter operetur: quartus est, ut in bono perseveret: quintus est, ut ad gloriam perveniat: Et ideo gratia secundum quod causat in nobis primum effectum, vocatur præveniens, respectu secundi effectus: & prout causat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus. Et sicut unus effectus est posterior uno effectu, & prior alio, ita gratia potest dici præveniens, & subsequens secundum eumdem effectum respectu diversorum: & hec est quod Divus *August.* dicit in *lib. de natura, & gratia cap.* 32. Gratia prævenit ut sanemur, subsequitur ut sanati vegetemur: prævenit ut vocemur, subsequitur ut glorificemur. *p.* 2. *q.* 111. *art.* 1. *&* 2. *&* 3. *totum promiscue.*

Error Pelagii. *Initium fidei & bonæ voluntatis est a nobis, & libero arbitrio adscribendum est, quod unus præ alio finaliter perseveret.*

65. *Quær.* An gratia distinguatur a virtutibus?

Resp. Div. Th. Virtus est dispositio perfecti, secundum quod perficit ad bene operandum: nam virtutes acquisitæ sunt dispositiones, quibus homo convenienter disponitur in ordine ad naturam, qua homo est. Virtutes infusæ disponunt hominem altiori modo, & ad altiorem finem (ut videbitur infra in *quæst.* de virtutibus), in ordine scilicet ad altiorem naturam, hoc est, in ordine ad naturam Divinam participatam. Sicut igitur lumen naturale rationis est aliquid præter virtutes acquisitas: ita etiam lumen gratiæ est aliquid præter virtutes infusas, scilicet participatio formalis Divinæ naturæ, quæ præsupponitur virtutibus infusis,

ix, sicut earum esse, principium, & radix, *p* 2. *q.* 110. *art.* 3.

66. *Quær.* An iustificatio impii sit maximum opus Dei, & quomodo fiat?

Resp. Div. Th. *In Psal.* 144. dicitur: Miserationes eius super omnia opera eius; & in Collecta dicitur: Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miserando manifestas, & *Aug.* dicit exponens illud *Io.* 14. Maiora horum faciet, Quod maius opus est, ut ex impio iustus fiat, quam creare Cælum, & terram, quia bonum gratiæ etiam unius maius est quam bonum naturæ totius universi, nam iustificatio impii terminatur ad bonum æternum Divinæ participationis, creatio Cæli, & terræ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. Et ideo *Aug.* cum dixisset, quod maius est, quod ex impio fiat iustus, quam creare Cælum, & terram: subiungit, Cælum, & terra transibit, prædestinatorum autem salus, & iustificatio permanebit. Iustificatio importat transmutationem quamdam de statu iniustitiæ ad statum iustitiæ. Quatuor requiruntur ad iustificationem impii, quæ tempore quidem sunt simul, cum iustificatio fiat in instanti, sed ordine naturæ unum eorum est prius altero. Et deo inter ea connaturali ordine primum est gratiæ infusio. Homo peccando Deum offendit, offensa non remittitur nisi per hoc quod animus offensi pacatur offendenti, hoc non potest contingere absque speciali benevolentia Benevolentia autem Dei ad hominem reparari dicitur per donum gratiæ. Nam licet homo antequam peccet potuerit esse sine gratia, & sine culpa, post peccatum non potest esse sine culpa, nisi gratiam habeat. Secundum est motus liberi arbitrii in Deum, sicut in finem. Tertium est motus liberi arbitrii in peccatum. (Motus liberi arbitrii in Deum præcedit motum liberi arbitrii in peccatum, cum sit causa, & ratio eius.) Cum enim in infusione gratiæ iustificantis sit quædam transmutatio animæ humanæ, ut anima moveatur secundum modum suum, ut scilicet per motum liberi arbitrii moveatur a Deo a statu peccati in statum iustitiæ, quatenus humana mens se habet ad utrumque extremorum, sicut se habet corpus localiter motum. In motu locali corporum, corpus quatenus motum recedit a termino a quo, & accedit ad terminum ad quem. Sic mens humana dum iustificatur per motum liberi arbitrii recedit a peccato, & accedit ad iustitiam: recessus autem, & accessus in motu liberi arbitrii accipitur secundum detestationem, & desiderium. Iste recessus a termino, & accessus ad terminum dupliciter considerari possunt. Uno modo ex parte mobilis, & sic naturaliter recessus a termino a quo præcedit accessum ad terminum ad quem. Sed ex parte agentis est e converso. Sicut sol per suam lucem agit ad removendum tenebras: & ideo ex parte solis prius est illuminare, quam tenebras removere: ex parte autem aeris illuminandi prius est purgari tenebris, quam consequi lumen ordine naturæ, licet utrumque sit simul tempore. Et quia infusio gratiæ, & remissio culpæ dicuntur ex parte Dei iustificantis, ideo ordine naturæ prius est gratiæ infusio, quam culpæ remissio, hoc est enim ultimum, in quo iustificatio consumatur. Sed si sumantur ea, quæ sunt ex parte hominis iustificati, est e converso: nam prius est ordinæ naturæ liberatio a culpa, quam consecutio gratiæ iustificantis. Quatuor igitur requiruntur ad iustificationem impii, scilicet gratiæ infusio, motus liberi arbitrii in Deum per fidem, secundum quod mens hominis movetur a Deo in quantum est obiectum beatitudinis, & iustificationis causa (nam per cognitionem, & operationem mere naturalem homo non convertitur): deinde motus liberi arbitrii in peccatum, & remissio culpæ: quia in quolibet motu tria requiruntur. Primo motio ipsius moventis; secundo motus mobilis; tertio consumatio motus, sive perventio ad terminum, & ad finem. Ex parte motionis accipitur primo gratiæ infusio, ex parte vero liberi arbitrii accipiuntur duo motus secundum recessum a termino a quo, & accessum ad terminum ad quem; Consumatio autem, sive perventio ad terminum, & complementum huius motus importatur tandem per remissionem culpæ: In hoc enim iustificatio consumatur, & quiescit, *p.* 2. *q.* 113. *per totam promiscue.*

Hisce omnibus consonat Doctrina Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 5. *Declarat S. Synodus ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum præ-*

ve-

veniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur; ut qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiae libere assentiendo, & cooperando disponantur. Et *cap.* 8. inquit, *Gratis iustificari, quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, iam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia.*

Unde *Canon.* 1. inquit, *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo: anathema sit.*

Et *Can.* 3. *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit.*

Et *Can.* 4. *Si quis etiam dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti; neque posse dissentire: anathema sit.*

Hic ponitur prop. 4. Iansen. damn. ab Innocent. X. scilicet: *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei: & in hoc erant Haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

Et prop. itidem Michael. Baii. 69. *Iustificatio Impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiae, quae per eam iustificatos facit implere legem.*

67. *Quaer.* An homo iustificatus per gratiam, indigeat auxilio gratiae ad non peccandum, & ad bonum operandum, sicut etiam ad perseverandum in gratia usque ad finem vitae?

Resp. Div. Th. Homo ad recte vivendum dupliciter auxilio Dei indiget, ut supra dictum est, uno modo quantum ad aliquid habituale donum, per quod natura humana corrupta sanetur, & etiam ut sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitae aeternae, quae excedunt proportionem naturae. Alio modo indiget homo auxilio gratiae, ut a Deo moveatur ad agendum. Quantum igitur ad primum auxilii modum homo in gratia existens non indiget alio auxilio gratiae habitualis, quasi aliquo habitu infuso, indiget tamen aliquo auxilio actuali, ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum, & hoc propter duo, ut supra pariter dictum est; Primo quidem ratione generali, quia nullum ens creatum in actum potest prodire, nisi virtute motionis Divinae: Secundo ratione speciali propter conditionem status humanae naturae corruptae, quae quidem licet per gratiam habitualem sanetur quantum ad mentem, remanet tamen corruptio, & infectio quantum ad carnem: remanet etiam quaedam ignorantiae obscuritas in intellectu, nam propter varios rerum eventus non possumus ad plenum scire, quid nobis expediat, secundum illud, *Sap.* 9. Cogitationes mortalium timidae, & incertae providentiae nostrae; & ideo necesse esse nobis ut a Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia novit, & omnia potest. Et propter hoc semper convenit dicere: Et ne nos inducas in tentationem &c. & fiat voluntas tua sicut in Caelo, & in terra. Unde *August.* dicit *in lib.* 3. *de liber. arbitr. cap.* 18. & in fine libri *de perfectione*: Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem; negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum gratiae Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem. Unde idem *Aug. cap.* 26. *de natura, & gratia*, inquit. Sicut oculus corporis plenissime sanus nisi candore lucis adiutus non potest cernere; sic & homo perfectissime etiam iustificatus, nisi aeterna luce iustitiae divinitus adiuvetur, recte non potest vivere, & multo minus perseverare, cum perseverantia sit quaedam continuatio boni usque ad finem vitae; ad talem enim perseverantiam habendam, homo etiam in gratia constitutus indiget pariter Divino auxilio ipsum dirigente, & protegente contra tentationum impulsus, quia dum quis uni resistere nititur, fortassis alius in-

insurgit, ut custodiatur a malo usque ad finem vitæ, & ne removeatur a bono, quod est secundum virtutem per irruentes tristitias; ut sic cor firmatum per gratiam, pro nullo bono temporali consequendo, vel pro nullo malo vitando, a Deo separare velit usque in finem vitæ. Et ideo postquam aliquis est iustificatus per gratiam, indiget alio auxilio gratiæ ad hoc ut rectè vivat, & necesse habet a Deo petere perseverantiæ Donum: multis enim datur gratia, quibus non datur perseverare in gratia, *p. 2. q. 109. art. 6. art. 7. art. 8. & 9. promiscue.*

Hoc etiam Concil. Triden. docet, & decernit, *Sess. 6. Can. 22. Si quis dixerit iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse: anathema sit.*

Error Beguardorum. *Homo in hac vita potest talem perfectionis gradum assequi, ut reddatur penitus impeccabilis, nec amplius in gratia proficere possit.*

68. *Quær.* An Homo per gratiam legem implendo mereatur vitam æternam?

Resp. Div. Th. Meritum, & merces ad idem referuntur pro retributione operis, vel laboris quasi pretium. Opus igitur meritorium hominis dupliciter considerari potest; sicut in superiori quæstione dictum est, uno modo secundum quod procedit ex libero arbitrio: alio modo secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti. Si consideretur secundum substantiam operis, & secundum quod procedit ex libero arbitrio, sic non potest esse condignitas propter maximam inæqualitatem. Eorum enim, quorum non est simpliciter æqualitas, non est simpliciter iustitia, & condignitas: Manifestum est, quod inter Deum, & hominem est maxima inæqualitas, in infinitum enim distat, & totum quod est hominis bonum est a Deo. Unde non potest hominis a Deo esse iustitia secundum absolutam æqualitatem, sed est ibi congruitas propter quamdam æqualitatem proportionis. Videtur enim congruum, ut homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis. Si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitæ æternæ ex condigno. Sic enim valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam æternam: secundum illud *Ioan.* 4. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Attenditur etiam pretium operis, secundum dignitatem gratiæ, per quam homo consors factus Divinæ naturæ adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipso iure adoptionis: secundum illud *Rom.* 8. Si filii, & hæredes. Et quia progressus ad hunc terminum est secundum augumentum eiusdem gratiæ, & charitatis, sic etiam augumentum gratiæ, & charitatis eodem modo cadit sub merito condigni: secundum illud *Prov* 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem, qui est dies gloriæ. Deus enim ordinavit humanam naturam ad finem vitæ æternæ consequendum non propria virtute, sed per auxilium gratiæ, quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi in præsuppositione divinæ ordinationis; cum homo non possit mereri, nisi per donum eius; & sic Deus non efficitur simpliciter debitor nobis, quando mercedem rependit merenti, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur. Ex dictis colligitur, quod humanus actus habet rationem merendi ex duobus. Primo quidem & principaliter ex divina ordinatione, secundum quod actus dicitur esse meritorius illius boni, ad quod homo divinitus ordinatur. Secundo vero ex parte liberi arbitrii, in quantum scilicet homo habet præ cæteris creaturis, ut per se agat voluntarie agens, quia creatura rationalis se ipsam movet ad agendum per liberum arbitrium, & sic etiam, si reddat Deo, & si faciat illud quod alias debet, adhuc meretur; alioquin actus iustitiæ, quo quis reddit alteri debitum non esset meritorius; Deus enim ex bonis nostris non quærit suam utilitatem, sed gloriam, idest manifestationem suæ bonitatis, etiam ex suis operibus. Ex hoc autem quod eum colimus: nihil ei accrescit, sed nobis: & ideo meremur aliquid a Deo in quantum propter eius gloriam operamur, *p. 2. q. 114. art. 1. art. 2. & 3. & 4. totum promiscue.*

Quare Concil. Triden. *Sess. 6. cap. 16.* declarat hoc idem, dicens: *Proponenda est vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer*

diter promissa. Et infra: *Cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*.

Inter damn. Prop. Michaelis Baii, recensetur 8. scilicet: *Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic opus bonum ex natura sua est vitæ æternæ meritorium*.

69. *Quær*. An aliquis possit alteri mereri gratiam, & vitam æternam?

Resp. Div. Th. Nullus certe peccator, ut supponitur, potest sibi mereri primam gratiam, vel reparationem post lapsum, neque merito condigni, neque merito congrui. Merito condigni hoc sibi mereri non potest, non solum propter rationem generalem doni gratuiti, scilicet quia omne meritum repugnat gratiæ primæ, quia ut ad *Rom*. 2. Apostolus dicit; Si ex operibus iam non ex gratia, sed specialiter etiam, quia ratio huius meriti dependet ex motione divinæ gratiæ; quæ quidem motio interrumpitur per peccatum. Nam peccatori non debetur vita, sed mors, secundum illud *Rom*. 6. Stipendia peccati mors; neque merito congrui potest sibi mereri, quia impeditur talis meriti efficacia per impedimentum peccati, quod est & in eo, qui meretur, & in eo cui meretur: hic enim utrumque in præsenti in unam personam concurrit. Restat igitur dubium, an homo iustus possit alteri mereri primam gratiam, & per consequens vitam æternam. Ex dictis patet quod opus nostrum habet rationem meriti ex duobus; primo quidem, & principaliter ex vi motionis divinæ, & sic meretur homo ex condigno. Alio modo habet rationem meriti, secundum quod procedit ex libero arbitrio in quantum voluntarie aliquid facimus, & ex hac parte est meritorium congrui, quia congruum est, ut dum homo bene utitur sua virtute, Deus secundum suam superexcellentem virtutem operetur. Ex quo patet, quod merito condigni nullus potest mereri alteri primam gratiam, nisi solus Christus; quia unusquisque nostrum movetur a Deo per donum gratiæ, ut ipse ad vitam æternam perveniat, & ideo meritum condigni ultra hanc motionem non se extendit. Sed anima Christi mota est a Deo per gratiam, non solum ut ipse perveniret ad gloriam vitæ æternæ, sed ut alios in eam adduceret, in quantum quod humanitas Christi est organum divinitatis, & ipse Christus est caput Ecclesiæ, & Auctor salutis humanæ. Secundum illud *Hebr*. 2. Qui multos filios in gloriam adduxerat Auctor salutis, &c. Sed merito congrui potest utique quilibet iustus mereri alteri primam gratiam. Quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est, secundum amicitiæ proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius (licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius, cui aliquis Sanctus iustificationem desiderat) meritum congrui innititur misericordiæ, meritum condigni innititur iustitiæ: ideo multa orando impetrat homo de congruo ex divina misericordia, quæ tamen non meretur de condigno secundum iustitiam, *p*. 2. *q*. 112. *art*. 1. *&* *q*. 114. *art*. 5. *&* 6. *&* 7. *totum promiscue*.

TRACTATUS TERTIUS.

De Vitiis, & Peccatis.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit Vitium?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Augustinus dicit in *lib*. 4. *de perfectione iustitiæ*, quod vitium est qualitas, secundum quam malus est animus, in quantum quod vitium est habitus contra ordinem rationis. Nam in qualibet re vitium dicitur ex hoc, quod res est male disposita contra id, quod convenit suæ naturæ. Unde idem *Aug*. in 3. & 6. *lib*. *de liber*. *arbitr*. dicit, quod perfectioni naturæ deesse perspexeris, id voca vitium: a quo nomen vituperationis detractum creditur, quatenus vitium contrariatur virtuti, *p*. 2. *q*. 71. *art*. 1. *&* 2. *promiscue*.

2. *Quær*.

2. *Quær*. An vitium sit peius quam actus vitiosus, sive peccatum?

Resp. Div. Th. Actus vitiosus, sive peccatum est peius quam habitus vitiosus. Nam pro actu vitioso aliquis iuste punitur, non autem pro habitu vitioso, si non procedat ad actum. Pro quo sciendum, quod habitus medio modo se habet inter potentiam, & actum. Manifestum est autem, quod actus in bono, & malo præeminet potentiæ, ut dicitur in 19. *Metaph*. Melius est enim bene agere, quam posse bene agere, & similiter vituperabilius est male agere, quam posse male agere. Unde etiam sequitur, quod habitus in bonitate, & malitia medium gradum obtineat inter potentiam, & actum: ut scilicet sicut habitus bonus, vel malus præeminet in bonitate, vel malitia nudæ potentiæ, ut etiam subdatur actui; quod etiam ex hoc apparet, quod habitus non dicitur bonus, vel malus, nisi ex hoc, quod inclinat ad actum bonum, vel malum. Unde propter bonitatem, vel malitiam actus dicitur habitus bonus, vel malus, & sic potior est actus in bonitate, vel malitia, quam habitus, quia propter quod unumquodque tale, & illud magis. Oportet etiam actus peccatorum præcedere, ex quibus generatur habitus ad peccatum inclinans: nam actus est causa habitus maxime in genere causæ finalis, secundum quam consideratur ratio moralitatis. Et cum causa sit potior quam effectus, actus vitiosus est peior quam habitus vitiosus, quia habitus est in potentia ad operationem, quamvis, ut qualitas, sit etiam principium operationis in genere causæ efficientis, *p. 2. q. 49. art. 3. & q. 71. art. 3.*

3. *Quær*. Quid sit peccatum, & an de ratione eius debeat esse actus voluntarius?

Resp. Div. Th. Peccatum, secundum *Aug. lib. 22. contra Faustum*, est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei; sive peccatum nihil aliud est, quam actus humanus malus voluntarius, sive sit voluntarius a voluntate elicitus, ut ipsum velle, & eligere, sive sit voluntarius a voluntate imperatus, ut sunt exteriores actus vel locutionis, vel operationis: nam necesse est, omne peccatum esse voluntarium; habet tamen actus humanus, quod sit malus ex eo, quod caret debita commensuratione per comparationem ad aliquam regulam: regula autem voluntatis humanæ est duplex, una propinqua, & homogenea, scilicet ipsa humana ratio, alia autem est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei. A Theologis enim consideratur peccatum præcipue secundum quod est offensa contra Deum, a Philosopho autem morali secundum quod contrariatur rationi: ideo *August*. convenientius definit peccatum ex hoc quod est dictum, factum, concupitum contra legem æternam, quam quod si contra rationem, cum lex æterna comparetur ad ordinem rationis humanæ, sicut ars ad artefactum, & præcipue cum per legem æternam regulemur in multis, quæ excedunt rationem humanam, sicut in his, quæ sunt fidei. In hac definitione peccati ponuntur duo, unum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dicitur, dictum, factum, vel concupitum: aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato; scilicet contra legem æternam, *p. 2. q. 71. art. 6. in corp. & ad 3. & 4. sent. dist. 41. art. 1. totum promiscue.*

Hic recolatur proposit. 46. damnat. a S. Pio V. contra Michaelem Baynm, scilicet: *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ, & originis: utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.*

Sicut & alia proposit. ab Alexan. VIII. damn. die 24. Augusti anni 1690. scilicet. *Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

4. *Quær*. Quomodo peccatum habeat causam, & quænam sit præcipua causa peccati?

Resp. Div. Th. Apostolus dicit *Rom. 7.* Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in legem peccati. Duplex igitur causa peccati potest assignari, una

proxima ex parte rationis, & voluntatis, alia vero remota ex parte imaginationis, & appetitus sensitivi; ita quod causa immediata humani actus est ratio, & voluntas, secundum quod homo est liber arbitrio; causa remota est apprehensio sensitivæ partis, per quam voluntas carens directione regulæ rationis, & legis Divinæ intendens aliquod bonum commutabile, causat actum inordinatum: appetitus enim sensitivus non potest directe trahere, & movere voluntatem ad malum, sed indirecte, & hoc dupliciter, uno quidem modo secundum quamdam abstractionem. Abstractus, & illectus, ut ait *Iacob. cap.* 4. Cum in operibus animæ, dum vehementer applicatur ad unum, non potest alteri vehementer attendere: alio modo ex parte obiecti, quod est bonum apprehensum sive verum, sive falsum. Nam peccator, puta incontinens (ait *Philosoph. in 7. eth.*) habet quatuor propositiones in suo discursu duas universales, quarum una est rationis, puta, nullam fornicationem esse committendam: alia est passionis, puta delectationem esse sectandam, passio aliquando ligat rationem, ne concludat sub prima, & durante passione concludit sub secunda: vel etiam si habet scientiam in universali, puta nullam fornicationem esse faciendam, tamen non considerat in particulari, hunc actum non esse faciendum, & per hunc modum passio trahit rationem ad agendum in particulari contra scientiam, quam habet in universali. Ita quod præmissis suppositis, ipse actus voluntatis est quoddam peccatum. Nam idem *Iac.* 4 ait: Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Unde quamvis amor sui, quando est ordinatus, sit debitus, & naturalis cuicumque, & bonus, si quis velit bonum, quod congruit rectæ rationi; tamen amor sui, plerumque inordinatus, ponitur in præsenti esse præcipua causa peccati, in quantum quod omne peccatum provenit vel ex inordinato appetitu alicuius boni, vel ex inordinata fuga alicuius mali Propter hoc enim homo per conversionem ad commutabile bonum, vel appetit bona, vel fugit mala, quia amat se ipsum. Ideo *August.* dicit 14. *de Civitate Dei:* Amor sui usque ad contemptum Dei facit Civitatem Babylonis, *p.* 2. *q.* 75. *art.* 1. *&* 2. *& q.* 77. *art.* 1. *&* 2. *& art.* 4. *& q.* 84. *art.* 1. *ad* 2. *totum promiscue.*

5. *Quær.* An peccata dividantur in peccatum commissionis, & omissionis, & an hæc divisio sit specifica?

Resp. Div. Th. In lege Dei alia sunt præcepta affirmativa, contra quæ est peccatum omissionis, & alia sunt præcepta negativa, contra quæ est peccatum commissionis. In peccatis invenitur duplex differentia, una materialis, & alia formalis; materialis quidem attenditur secundum naturalem speciem actuum peccati, formalis autem secundum ordinem ad unum finem proprium, quod est obiectum. Unde inveniuntur aliqui actus materialiter specie differentes, qui tamen formaliter sunt in eadem specie peccati, quia ad idem ordinantur (sicut supra dictum est in q. 3. de ultimo fine) sicut ad eamdem speciem homicidii pertinet iugulatio, lapidatio, & perforatio, quamvis actus sint specie differentes, secundum specie naturæ. Sic ergo si loquamur de specie peccati omissionis, & commissionis, materialiter differunt specie, large tamen secundum quod negatio, vel privatio speciem habere potest. Si autem loquamur de specie peccati omissionis, & commissionis formaliter, sic non differunt specie. Avarus & aliena rapit, quod est peccatum commissionis, & sua non dat, quibus dare debet, quod est peccatum omissionis. Et similiter gulosus, & superflua comedit, & ieiunia debita prætermittit. Et idem est videre in cæteris, *p.* 2. *q.* 72. *art.* 6.

6. *Quær.* An in quolibet peccato sive omissionis, sive commissionis sit aliquis actus: & contra quæ præcepta peccata commissionis, & omissionis reducantur?

Resp. Div. Th. Ista quæstio principaliter movetur propter peccatum omissionis. Si enim intelligatur in peccato omissionis illud solum, quod per se pertinet ad rationem peccati, sic quandoque omissionis peccatum est cum actu interiori, ut cum aliquis vult non ire ad Ecclesiam. Quandoque vero absque omni actu interiori, vel exteriori, sicut cum aliquis hora, qua tenetur ire ad Ecclesiam, nihil cogitat de eundo, vel non eundo ad Ecclesiam. Si vero in peccato omissionis intelligantur causæ, vel occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis aliquem actum esse: non enim est pec-

peccatum omissionis, nisi cum aliquis prætermittit, quod potest facere, & non facere. Quod autem aliquis declinet ad non faciendum illud, quod potest facere, & non facere, non est nisi ex aliqua causa, vel occasione coniuncta, vel præcedente. Et si causa illa non sit in potestate hominis, omissio non habet rationem peccati, sicut cum aliquis propter infirmitatem prætermittit ad Ecclesiam ire. Si vero causa, vel occasio omittendi subiacet voluntati, omissio habet rationem peccati, ut dictum est supra in quæst. *de voluntario. p. 2. q. 6. art.* 3. & tunc oportet, quod ista causa in quantum est voluntaria habeat aliquem actum ad minus interiorem voluntatis, qui quidem actus quandoque directe fertur in ipsam omissionem, puta cum aliquis vult non ire ad Ecclesiam, vitans laborem, & tunc talis actus per se pertinet ad omissionem; voluntas enim cuiuscumque peccati per se pertinet ad peccatum illud; eo quod voluntarium est de ratione peccati. Quandoque vero actus voluntatis directe fertur in aliud, per quod homo impeditur ab actu debito, sive illud in quod fertur voluntas sit coniunctum omissioni, puta cum aliquis vult ludere, quando ad Ecclesiam debet ire, sive etiam sit præcedens, puta cum aliquis vult vigilare de sero; ex quo sequitur, quod non vadat hora matutinali ad Ecclesiam: & tunc actus iste interior, vel exterior per accidens se habet ad omissionem; quia omissio sequitur præter intentionem. Unde manifestum est, quod tunc peccatum omissionis habet quidem aliquem actum coniunctum, vel præcedentem, qui tamen per accidens se habet ad peccatum omissionis. Iudicium autem de rebus dandum est secundum illud, quod est per se, & non secundum quod est per accidens. Nam ipsum non facere quod quis facere tenetur, peccatum est. Et sic dici potest, quod aliquod peccatum possit esse absque omni actu; alioquin etiam ad essentiam aliorum peccatorum actualium pertinerent actus, & occasiones circumstantes: quod tamen manifeste est falsum. Peccatum vero omissionis, quod contrariatur præcepto affirmativo, obligat quidem semper, sed non ad semper. Unde solum pro tempore illo aliquis, cessando ab actu, peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat; peccatum vero commissionis contrariatur præcepto negativo, *p. 2. q. 71. art. 5. per totum*.

7. *Quær.* An peccata distinguantur specie secundum obiecta, an per oppositionem ad omnes virtutes?

Resp. Div. Th. Peccatum non est pura privatio, sed est actus debito ordine privatus. Nam ad rationem peccati duo concurrunt, scilicet actus voluntarius, & inordinatio eius, prout receditur ab ordine rationis, & legis divinæ. Horum duorum unum per se comparatur ad peccantem, aliud autem, scilicet inordinatio, habetur per accidens: Nullus enim intendens ad malum operatur, ut *Dionysius* dicit 4. de *Divin. nom.* Species igitur peccati attenditur, non ex parte inordinationis, & privationis, seu aversionis a Deo, quæ per accidens se habet, & est præter intentionem peccantis; sed magis ex parte conversionis ipsius actus, secundum quod terminatur ad obiectum, scilicet ad aliquod bonum commutabile, in quod fertur per se, & directe intentio peccantis tamquam ad finem. Quatenus scilicet peccans intendit inordinate talem, vel talem actum voluntarium exercere puta in tali, vel tali materia: unde peccata magis distinguuntur specie secundum obiecta actuum, quam ex parte inordinationis; sicut etiam magis secundum obiecta, quam secundum oppositas virtutes, quamvis etiam si distinguerentur peccata secundum oppositas virtutes, in idem rediret: virtutes enim, ut videbitur infra, destinguuntur specie secundum obiecta, & ubicumque etiam occurrit diversum motivum inclinans intentionem ad peccandum, ibi erit etiam nova, & diversa species peccati propter eamdem rationem, quia motivum ad peccandum est finis, & obiectum, *p. 2. q. 72. art. 1. & art. 8. & art. 9. totum promisene, & q. 73. art. 3. ad 2.*

8. *Quær.* An peccatum convenienter distinguatur in peccatum in Deum, in se ipsum, & in proximum; & an hæc distinctio dicatur specifica?

Resp. Div. Th. Sunt enim diversa, quibus homo ordinatur ad Deum, ad proximum, & ad se ipsum. Unde hæc distinctio peccatorum proprie est secundum diversas peccatorum species: nam virtutes, quibus peccata opponuntur secun-

eundum hanc differentiam, specie distinguuntur. Manifestum est enim, quod virtutibus Theologicis homo ordinatur ad Deum, sicut & quæ debentur soli Deo. Unde qui in talibus peccat, dicitur in Deum peccare, sicut hæreticus, & sacrilegus, & blasphemus. Temperantia, & fortitudine ad se ipsum: & quando in his peccatur, dicitur homo peccare in se ipsum: sicut patet de guloso, luxurioso, & prodigo. Iustitia autem ordinatur ad proximum; quando vero homo peccat in his, quibus ad proximum ordinatur, dicitur peccare in proximum; sicut patet de fure, & homicida. Et quamvis commune sit omni peccato quod sit contra Deum; & qui peccat in proximum, peccet simul, & semel in se ipsum, & in Deum: attamen quando aliqua, quorum unum includit alterum, & excedit ipsum, adinvicem distinguuntur, & intelligitur fieri distinctio, non secundum illud quod unum excedit alterum, sicut patet in divisione numerorum, & figurarum; non enim triangulus dividitur contra quadratum, secundum quod continetur in eo, sed secundum quod exceditur ab eo, & similiter est de ternario, & quaternario. Sic peccare in Deum secundum quod ordo, qui est ad Deum, includit omnem humanum ordinem, commune est omni peccato: sed quantum ad id, quod ordo Dei excedit alios duos ordines, sicut in his, quæ sunt fidei, & quæ debentur soli Deo, sic peccatum in Deum est speciale genus peccati, & sic de aliis duobus ordinibus. Nam aliud est peccatum fornicationis, aliud peccatum adulterii, quia quamvis istud includat illud, diversificatur in eo, quod adulterium excedit fornicationem, propter specialem deordinationem, *p. 2. q. 72. art. 4. & q. 2. de malo art. 6.*

9. *Quær.* An peccatum dividatur in peccatum cordis, oris, & operis, & an hæc sit divisio specifica?

Resp. Div Th. Peccatum dividitur per hæc tria, scilicet peccatum cordis, oris, & operis non sicut per diversas species completas, sed incompletas: nam consummatio peccati est in opere. Unde peccatum operis habet speciem completam. Nam sicut collocatio fundamenti, & erectio parietis sunt species incompletæ, ædificatio est completa generatio domus, sic prima inchoatio peccati est quasi fundatio in corde. Secundus gradus eius est in ore. Tertius autem gradus iam est in consummatione operis. Et sic hæc tria quamvis differant secundum diversos gradus peccati, tamen pertinent ad unam perfectam peccati speciem, cum ab eodem motivo procedatur. Iracundus enim ex hoc, quod appetit vindictam, primo quidem perturbatur in corde; secundo in verba contumeliosa prorumpit; tertio procedit usque ad facta iniuriosa: & idem patet in luxuria, & in quolibet alio peccato. Nam luxuriosus primo delectatur in corde; secundo in verba amatoria prorumpit; tandem procedit usque ad facta turpia. Et sic peccatum cordis, & oris non distinguuntur a peccato operis, quando simul cum eo coniunguntur. Sed si quodlibet horum per se inveniatur, tunc erit distinctum peccatum. Nam pars motus non distinguitur a toto motu, quando motus est continuus, sed quando motus interrumpitur, & sistit in medio, tunc distinguitur. Sic & in proposito; sicut etiam quantitas continua cubitalis est una, sed si dividatur in ulnas, tot erunt quantitates, quot ulnæ. Sicut etiam si consideretur manus, vel lingua, secundum se ut divisa a corpore, sunt plures totales quantitates, prout unita, sunt una quantitas; sic peccatum oris, & operis, *p. 2. q. 72. art. 7.*

10. *Quær.* Quomodo in cogitatione sit peccatum?

Resp. Div. Th. Peccatum in cogitationibus potest esse duplex, vel in quantum cogitationes sunt, & sic in eis non est nisi peccatum vanitatis, secundum quod intellectus deberet occupari utilioribus cogitationibus, & occupatur inutilibus: quandoque sine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de eis cogitat, sicut cum vult prædicare, vel disputare, vel confessionis causa. Nec hoc in culpam imputatur, nisi in quantum cogitationes propter delectationem rei cogitatæ quæruntur, quia tunc talis delectatio procedit ex inclinatione appetitus voluntatis, non quidem in cogitationem, sed in rem, sive operationem cogitatam. Unde tale peccatum reducitur ad idem genus, puta fornicationis, vel homicidii, in quo esset ipse actus peccati exterius perpetrati, *p. 2. q. 74. artic.*

tic. 8. & 2. sent. distin. 39. q. 1. art. 2. ad 2.

Conc. Triden. *Sess. 14. cap. 5. Universa peccata mortalia etiam cogitationis homines iræ filios, & Dei inimicos reddunt.*

11. *Quær.* Quomodo differant inter se delectatio morosa, desiderium, & consensus in peccato?

Resp. Div. Th. Delectatio dicitur morosa non ex mora temporis, sed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec eam repellit tenens, & volens libenter ea, quæ statim ut attigerunt animam respui debuerunt, *ut Aug.* dicit *cap. 12. de Trinitate.* Nam cum aliquis postquam deliberavit per prævium cognitionem, quod motus passionis insurgentis est inordinatus, nihilominus circa ipsum immoratur, & ipsum non expellit; Secundum hoc dicitur peccatum delactationis morosæ esse in ratione. Desiderium vero importat simplicem motum in rem desideratam, & quodammodo facit desiderantem aptum, & paratum ad susceptionem desiderati. Consensus autem est ipsa applicatio appetitivæ virtutis ad rem, secundum quam inhæret, quasi experientiam quamdam sumens de re, cui inhæret, in quantum complacet sibi in ea. Neque oportet, quod consensus sit cuiuslibet potentiæ, sed est voluntatis, a qua dicitur voluntarius. Hæc tamen peccata cordis, scilicet cogitationis, delectationis desiderii, & consensus conveniunt in ratione occulti, *p. 2. q. 12. ad 6. & q. 15. art. 1. & art. 4. ad 2. & q. 72. & 74. art. 6. promiscue.*

De his redibit sermo in quæst. de IX. Præcepto Decalogi.

12. *Quær* Ex quo desumatur natura, & qualitas peccati verborum?

Resp. Div. Th. Verba inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, quæ quidem significatio ex interiori affectu procedit; & ideo in peccatis verborum maxime considerandum est, ex quo affectu aliquis verba proferat, *2. 2. q. 72. art. 1. & 2.*

De his redibit sermo in quæst. de VIII. Præcepto Decalogi.

13. *Quær* Quomodo pensetur natura, qualitas, & disparitas peccati operis?

Resp. Div. Th. Circa peccatum operis quadruplex gradus attenditur, etiam circa unum, & idem factum, quorum primus est, quando involuntarie peccatum committitur, tunc enim si omnino est involuntarium totaliter excusatur. Si vero aliquo modo fuit voluntarium, sed tamen ex infirmitate peccat, puta cum quis peccat ex passione, minuitur peccatum, & pœna, secundum veritatem iudicii diminui debet: nisi forte propter communem utilitatem pœna aggravetur ad abstrahendum homines ab huiusmodi peccatis. Secundus gradus est, quando quis per ignorantiam peccavit. Tertius gradus, quando aliquis peccat ex superbia, idest ex electione, vel ex certa malitia. Quartus autem gradus, quando peccat per proterviam, & pertinaciam. Unde illa peccata, quæ maiorem deordinationem continent, sunt magis illicita, & per consequens graviora peccata, *p. 2. q. 73. art. 1. ad 1. & q. 105. art. 2 ad 9.*

14. *Quær.* Quomodo passio habeat minuere peccatum, & an aliquando excusare totaliter possit?

Resp. Div. Th. Passio licet diminuat peccatum, non tamen totaliter excusat a peccato; nisi talis passio totaliter involuntarium redderet actum sequentem; quia passio quandoque potest esse tanta, quod totaliter auferat usum rationis, sicut patet ex his, qui propter amorem, vel iram insaniunt, & tunc si talis passio a principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum in sua causa: si vero causa non fuerit voluntaria, sed naturalis, puta cum aliquis in ægritudine incidit in talem passionem, quæ totaliter aufert usum rationis, actus redditur omnino involuntarius, & per consequens a peccato totaliter excusatur. Si vero passio non sit tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis, tunc ratio potest passionem excludere divertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur effectum, quia membra non applicantur ad opus, nisi per consensum rationis, & per applicationem, & imperium voluntatis, unde talis passio non excusat a peccato, immo si ratio non occurrat, potest etiam esse peccatum mortale, sicut videmus, quod multa homicidia, & multa adulteria per passionem committuntur, *p. 2. q. 7. & q. 77. art. 6. 7. & 8.*

Vi-

Videatur supra in quæst. de voluntario, & involuntario, *Tract.* 1.

15. *Quær.* Quomodo ignorantia habeat causare, vel excusare a peccato, sicut & metus, & violentia?

Videatur supra in quæst. *de voluntario, & involuntario, Tract.* 1. *quæst.* 12. *pag.* 4.

16. *Quær.* Quid sit peccare ex malitia, & quomodo distinguatur a peccato, quod est ex passione?

Resp. Div. Th. Ex certa malitia peccare, est quasi scienter, & ex industria malum eligere, in quantum quod aliqua inordinata voluntas scienter, & ex electione aliquod bonum temporale amat, quam ordinem rationis, vel legis Divinæ, vel charitatem, vel aliquod huiusmodi, ex quo sequitur, quod velit libenter dispendium pati in aliquo spiritualium bonorum, ut potiatur aliquo temporali bono; nam qui peccat ex passione, peccat quidem eligens, non tamen ex electione; inducitur enim ex passione ad eligendum id, quod extra passionem non eligeret; e contra qui peccat ex certa malitia, secundum se eligit malum, idest bonum commutabile, & electio est principium peccati, cum voluntas superbiendo ex se ipsa perverse movetur in illud, quod est lege prohibitum. E contra quando ex passione movetur, peccat quasi ex quodam extrinseco impulsu ad peccandum. Propterea ex certa malitia peccare, gravius est peccatum, *p.* 2. *q.* 78.

17. *Quær.* Quomodo peccare ex protervia, quod est peccare in Spiritum Sanctum, sit maius peccatum, quam peccare ex malitia, & dicatur insanabile?

Resp. Div. Th. Peccatum hoc dicitur in Spiritum Sanctum ex parte contemptus, puta quia homo contemnit vel misericordiam, vel iustitiam divinam, aut aliquid horum, per quæ peccata hominis sanantur; propterea dicitur insanabile, non quia non remittitur omnino, sed quia non facile remittitur, quia non habet aliquam rationem remittendi, sed ex sola gratia Dei. Sex sunt species peccati in Spiritum Sanctum, scilicet, Desperatio, Præsumptio, Impœnitentia, Obstinatio, Impugnatio veritatis, & Invidia fraternæ charitatis. Et sicut in Deo est misericordia, & iustitia, ex contemptu iustitiæ fit præsumptio, ex contemptu misericordiæ fit desperatio; ex parte conversionis ad bonum commutabile fit obstinatio; ex parte aversionis a summo bono fit impœnitentia; ex parte remedii, scilicet spei, & charitatis, fit impugnatio veritatis, & promissionis, & invidia fraternæ dilectionis, 2. 2. *q.* 118. *art.* 5. *ad* 3. *& super Matth. cap.* 12.

18. *Quær.* Quomodo circumstantiæ habeant diversificare, vel augere malitiam peccatorum, & trahere peccatum ad aliam speciem, & multiplicare peccata?

Resp. Div. Th. Supponendum est, quod conditiones, quæ sunt extra substantiam actus, & tamen attingunt aliquo modo actum humanum proprie circumstantiæ dicuntur. *Tullius* in sua Rethorica assignat septem circumstantias, quæ in hoc versu continentur. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, & additur etiam, *circa quid*. Nam considerandum est in actibus, quis fecit, quibus auxiliis, vel instrumentis fecit, quid fecerit, cur fecerit, & quando fecit. Et ratio huius enumerationis sic accipi potest. Nam circumstantia, ut dictum est, dicitur quasi extra substantiam actus existens, ita tamen quod attingat aliquo modo ipsam substantiam. Contingit autem hoc fieri tripliciter; uno modo in quantum attingit ipsum actum, alio modo in quantum attingit causam actus, tertio modo in quantum attingit effectum. Ipsum autem actum attingit vel per modum mensuræ, sicut tempus, & locus, vel per modum qualitatis, sicut modus agendi: ex parte autem effectus, ut cum considerat, quid aliquis fecerit: ex parte causæ actus, quantum ad causam finalem, accipitur propter quid; ex parte causæ materialis, sive obiecti, accipitur circa quid; ex parte agentis principalis accipitur quis egerit; ex parte vero agentis instrumentalis, accipitur quibus auxiliis. Principalissima vero est omnium circumstantiarum illa, quæ attingit actum ex parte finis, scilicet cuius gratia, secundaria vero, quæ attingit ipsam substantiam actus, idest quid fecit: aliæ vero sunt magis, vel minus principales, secundum quod magis, vel minus ad has appropinquant. Circumstantia proprie ex se non aggravat peccatum quasi trahens ad aliud genus peccati, sed solum multiplicat rationem peccati; quando in corruptioni-bus

bus diverſarum circumſtantiarum eſt idem motivum: ſicut illiberalis ab eodem movetur, quod accipiat, quando non oportet, & pluſquam non oportet; hoc enim facit propter idem motivum inordinatum, ſcilicet, propter appetitum pecuniæ congregandæ. Sicut & prodigus ſi det quando non debet, & cui non debet, multiplicius peccat in eodem genere peccati, quam ſi ſolum det cui non debet, & ex hoc ipſo peccata fiunt gravia in eodem genere. Circumſtantia igitur aggravat peccatum ex eo, quod augeat deformitatem, ſicut accipere alienum conſtituit peccatum furti; ſi autem addatur hæc circumſtantia, ut multum accipiat de alieno, erit peccatum gravius, quia accipere alienum in magna quantitate dicit maiorem repugnantiam ad rationem, propterea iſta circumſtantia aggravat peccatum, in quantum eſt determinativa illius rei, quæ dat ſpeciem peccato. Et ſimiliter de aliis circumſtantiis, in talibus, diverſarum circumſtantiarum corruptiones non diverſificant ſpecies peccatorum, ſed pertinent ad unam eamdem ſpeciem peccati, & aggravant in eodem genere. Nam circumſtantia, ut ſupra dictum eſt, nunquam transfert actum ad aliam ſpeciem, niſi quando eſt aliud motivum. Quandoque vero contingit, quod corruptiones diverſarum circumſtantiarum proveniunt a diverſis motivis, & ubi certe occurrit aliud motivum ad peccandum, ibi tunc eſt alia peccati ſpecies, quia motivum ad peccandum eſt finis, & obiectum. Unde diverſarum circumſtantiarum corruptiones inducunt diverſas peccati ſpecies. Circumſtantia igitur addita poteſt conſtituere novam ſpeciem peccati dupliciter, uno modo, ita quod ſpecies per circumſtantiam conſtituta ſit quædam ſpecies illius peccati, quod prius conſiderabatur in actu communiori, ſicut ſupra hoc quod dico, uti re aliena, addatur, uxore, transfertur iam ad aliud genus peccati, & iniuſtitiæ, ex quo conſtituitur adulterium; ſicut etiam ſi accipiam rem alienam de loco ſacro, fit enim ſacrilegium, quod eſt ſpecies furti. Aliquando autem per circumſtantiam conſtituitur quædam alia ſpecies diſparata, non pertinens ad illud genus peccati: ſicut ſi ego furer rem alienam, ut poſſim homicidium facere, vel ſimoniam committere. Si circumſtantia conſtituat ſpeciem, puta adulterii, quæ ſe habet ad peccatum fornicationis præintellectum, ut ſpecies eius, ſcilicet adulterium ad fornicationem, non ſunt duo peccata, ſed unum in ſpecie, ſicut non ſunt duæ ſubſtantiæ propter hoc, quod homo eſt, & animal eſt. Sic per hoc, quod ſacrilegium furtum ſit, non ſunt duo peccata, ſed unum. Sed ſi conſtituat ſpeciem diſparatam peccati, ut ſi furet rem alienam, ut poſſim homicidium facere, erit quidem propter unam ſubſtantiam actus unum peccatum in eſſe phyſico, ſed multiplex in eſſe morali propter multas, & diverſas diſparatas deformitates peccati. Nec hoc eſt inconveniens, quod idem factus ſit ſub diverſis ſpeciebus, quia ſpecies peccati non eſt ſpecies actus ſecundum naturam in eſſe phyſico, ſed ſecundum eſſe morale propter ſpeciale motivum, & multiplicem repugnantiam ad rationem, *p. 2. q. 7. art. 1. 3. & 4. & q. 72. art. 9. & q. 73. art. 7. & q. 2. de malo art. 6. & 7. & q. 23. de verit. art. 7. promiſcue totum.*

Redibit ſermo de Circumſtantiis in queſt. de *Sacramento Pœnitentiæ.*

Concil. Triden. *Seſs. 14. cap. 5.* declarat: *Eas circumſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant........Unde alienum a ratione eſt, docere circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe.*

19. *Quær.* Quomodo peccata diſtinguantur numero?

Reſp. Div. Th. Actus non ponitur in genere moris, niſi propter voluntatem, ſcilicet ſecundum quod eſt a voluntate elicitus, vel imperatus, & ideo ſecundum unitatem voluntatis eſt ſumendum iudicium de unitate actus, & ideo ubi non multiplicatur actus voluntatis non multiplicatur peccatum numero. Nam ut dictum eſt ſupra, pars motus non diſtinguitur a toto motu, quandiu motus eſt continuus, ſed ſolum quando motus interrumpitur, & ſiſtit, & ſicut ſi iterum incipiat idem motus, a primo motu diſtinguitur numero. Sic voluntas ceſſando ab actu peccati, ſi rurſus agat movendo ſe in actum peccati, tunc diſtinguuntur numero illi actus, & per conſequens plura diſtinguuntur numero peccata. Sicut etiamſi actus in eſſe naturæ unus, ſi pro-

cederet ex diversa, vel iterata intentione, in esse moris esset multiplex. Puta si quis ad Ecclesiam vadens intendat inanem gloriam, & postea in se reversus intendat Deo servire, erunt duo actus diversi in genere moris; licet sit unus in esse naturæ, 2. *sent. dist.* 42. *art.* 1. *ad* 4. & *p.* 2. *q.* 20. *art.* 7. *ad* 1, & *q.* 72. *art,* 7. *ad* 3.

20. *Quær.* An gravitas peccati accrescat secundum maius nocumentum?

Resp. Div. Th. Nocumentum tripliciter se habere potest ad peccatum; quandoque enim nocumentum, quod provenit ex peccato est prævisum, & intentum, sicut cum aliquis operatur animo nocendi alteri, ut homicida, vel fur, & tunc directe quantitas nocumenti adauget gravitatem peccati, quia tunc nocumentum est per se obiectum peccati: quandoque nocumentum est prævisum, sed non intentum: sicut cum aliquis transiens per agrum, ut compendiosius vadat ad fornicandum, infert nocumentum his, quæ sunt seminata in agro scienter, licet non omnino animo nocendi, & sic quantitas nocumenti aggravat peccatum, sed indirecte, in quantum scilicet ex voluntate multum inclinata ad peccandum procedit, quod aliquis non prætermittat facere damnum sibi, vel aliis, quod simpliciter non vellet. Quandoque nocumentum nec est prævisum, nec intentum, & tunc si per accidens se habet ad peccatum, non aggravat peccatum directe, sed propter negligentiam considerandi nocumenta, quæ consequi possunt, imputantur homini ad pœnam plus, minusve, secundum quantitatem negligentiæ, si dabat operam rei licitæ. Si vero nocumentum per se sequatur ex actu peccati, & ex re illicita, licet non sit intentum, nec prævisum, directe peccatum aggravat, quia quæcumque sequuntur per se ad peccatum pertinent quodammodo ad ipsam peccati speciem; puta si aliquis publice fornicetur sequitur scandalum plurimorum, quod quamvis non intendat, nec forte prævideat directe, hoc non obstante aggravatur peccatum. Non tamen sequitur, quod simplex fornicator propter damnum spirituale gravius peccet, quam, puta, homicida, qui infert damnum corporale, quia homicida per se intendit directe, & est sufficiens causa corporalis mortis; fornicator autem non intendit directe spirituale nocumentum, sed delectationem, & nullus potest esse alteri causa per se sufficiens ruinæ spiritualis, & mortis, quia nullus spiritualiter moritur, nisi propria voluntate peccando. *p.* 2. *q.* 73. *art.* 8. *per totum*.

21. *Quær.* An nocere sibi ipsi sit gravius peccatum, quam alteri nocumentum inferre, & nocere propinquis, quam extraneis?

Resp. Div. Th. Nocumentum, quod sibi quis infert in his, quæ subsunt dominio proprie voluntatis, sicut in rebus possessis, & substantiis, & bonis temporalibus habet minus de peccato, quam si alteri inferatur, quia propria voluntate hoc agit detrimentum. Sed in his, quæ non subduntur dominio voluntatis, sicut sunt naturalia, & spiritualia bona, est gravius peccatum, nocumentum sibi ipsi inferre, quam aliis: gravius enim peccat, qui occidit se ipsum, quam qui occidit alterum. Similiter iniuria, quæ fit coniunctis, vel benefactoribus, vel alicui publicæ, vel famosæ personæ videtur esse gravior ex hoc, quod in scandalum, & in tribulationem plurimorum parentum, amicorum, vel civium redundat; & regulariter gravius peccatum est, quod opponitur maiori virtuti, *p.* 2. *q.* 73. *art.* 4. & *art.* 9. *promiscue*.

22. *Quær.* An maior gravitas peccati principalius attendatur secundum maiorem deordinationem erga fines, & obiecta?

Resp. Div. Th. Ratio autem ordinat omnia in agibilibus ex fine, & ideo quanto peccatum contingit in actibus humanis ex altiori fine, tanto peccatum est gravius. Obiecta actuum sunt fines eorum, ut supra dictum est, & ideo secundum diversitatem obiectorum attenditur diversitas gravitatis in peccatis: sicut patet, quod res exteriores ordinantur ad hominem sicut ad finem: homo autem ordinatur ulterius in Deum sicut ad finem. Unde peccatum, quod est circa substantiam hominis, puta homicidium, est gravius peccato, quod est circa res exteriores, sicut furtum: sicut etiam est gravius adulterium, quam furtum, quanto homini charior est uxor, quam res possessa: & adhuc gravius peccatum est, quod immediate contra Deum committitur: sicut infidelitas, & blasphemia, & huius-

huiusmodi; nam sicut supra dictum est ex indebita conversione ad aliquod bonum commutabile, sequitur aversio ab incommutabili bono, in qua perficitur ratio mali, sic secundum diversitatem eorum, quæ pertinent ad conversionem in ordine quorumlibet horum peccatorum, unum peccatum est gravius altero, secundum quod est circa aliquid principalius, vel minus principale, *p.* 2. *q.* 73. *art.* 3. & secundum quod bonum oppositum magis, vel minus per charitatem debet amari, *q.* 2. *de malo art.* 10.

23. *Quær.* An peccata spiritualia sint graviora carnalibus?

Resp. Div. Th. Peccata spiritualia sunt maioris culpæ, quam peccata carnalia: non est tamen sic intelligendum, quasi quodlibet peccatum spirituale sit maioris culpæ quolibet peccato carnali. Sed quia considerata hæc sola differentia spiritualitatis, & carnalitatis, graviora sunt cæteris paribus. Nam peccata spiritualia pertinent ad spiritum, cuius est converti ad Deum, & ab eo averti; peccata vero carnalia consumantur in delectatione carnali appetitus. Ideo *Greg. lib.* 3. *moral. cap.* 31. dicit, quod peccata carnalia sunt minoris culpæ, & maioris infamiæ, quam spiritualia. Si tamen sub concupiscentia includatur etiam ipse motus voluntatis, quandoque potest esse maius peccatum: insurgit enim interdum maior concupiscentiæ motus, non tantum ex passione, sed ex hoc quod voluntas ineffrænate tendit ad suum obiectum, vel involvit aliquam iniustitiam, sicut adulterium. Et ex tali causa augetur peccatum. Unde ait *Psal.* Homo comparatus est iumentis insipientibus, *p.* 2. *q.* 73. *art.* 5. *&* 6. *&* 2. 2. *q.* 154. *art.* 3. *ad* 1.

24. *Quær.* Quænam sint peccata spiritualia, quævε vero carnalia?

Resp. Div. Th. Peccata, quæ perficiuntur in delectatione spirituali, quæ consumantur in sola apprehensione alicuius rei ad votum habitæ, ut puta superbia, avaritia, & huiusmodi, vocantur peccata spiritualia: illa vero, quæ perficiuntur in delectatione carnali, quæ in ipso tactu corporali perficiuntur, vocantur peccata carnalia, sicut gula, quæ perficitur in delectatione ciborum, & luxuria, quæ perficitur in delectatione venereorum. Unde *Greg.* dicit 31. *moral.* Septem sunt peccata Capitalium vitiorum, quinque sunt spiritualia, & duo carnalia, *p.* 2. *q.* 72. *art.* 4. *in corp.*

25. *Quær.* An magnitudo personæ peccantis aggravet peccatum?

Resp. Div. Th. Duplex est peccatum; quoddam enim est ex subreptione proveniens propter infirmitatem humanæ naturæ, & tale peccatum minus imputatur ei, qui maior est in virtute, eo quod minus negligit huiusmodi peccata reprimere: & quæ tamen omnino subterfugere infirmitas humana non sinit. Alia vero peccata sunt ex deliberatione procedentia, & ista peccata tanto magis alicui imputantur, quanto maior est: & hoc potest esse propter quatuor. Primo quidem, quia facilius possunt resistere peccato maiores, puta, qui excedunt in scientia, & virtute; Unde Dominus dicit *Luc.* 12. Quod servus sciens voluntatem Domini, & non facit, plagis vapulabit multis. Secundo, propter ingratitudinem, quia omne bonum, quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando; & quantum ad hoc quælibet maioritas, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat, secundum illud, *Sap.* 6. Potentes potenter tormenta patientur. Tertio, propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ: sicut si Princeps iustitiam violet, qui ponitur iustitiæ custos: & si Sacerdos fornicetur, qui castitatem vovit. Quarto, propter scandalum, quia *Greg.* dicit: In exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur. Ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata Magnorum, & magis homines ea indigne ferunt, *p.* 2. *q.* 72. *art* 9.

26. *Quær.* Quomodo Diabolus possit inducere ad peccandum ex suggestione?

Resp. Div. Th. Supponendum est, quod non quælibet potestas maior homine potest movere voluntatem hominis, sed solus Deus; nam solus Deus est causa actus voluntatis, non tamen est causa defectus, si forte sit concomitantis actus, qui non reducitur in Deum, sed in liberum arbitrium: sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam, non in virtutem motivam. Quare tota interior operatio Diaboli esse videtur solum circa phantasiam, & appetitum sensitivum,

quorum utrumque commovendo potest inducere ad peccatum per modum persuadentis, vel proponentis appetibile. Non autem sic quod possit inducere necessitatem ad peccandum. Nam illud, quod est apprehensum per sensum, vel per imaginationem non ex necessitate movet voluntatem, si homo habeat usum rationis: quod autem ratio non resistat, non est in potestate diaboli. Lattare enim potest, mordere omnino non potest, nisi volentem, ut dicit *Aug.* ideo non potest inducere necessitatem. Occasionaliter igitur, & indirecte solum diabolus est causa peccatorum nostrorum per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis. Sicut induxit primum hominem ad peccandum: ex cuius peccato in tantum viciata est humana natura, ut omnes ad peccandum proclives simus. Potest etiam facere, quod appetitus sensitivus concitetur ad aliquam passionem, & per hunc modum diabolus inducit ad peccandum, *p.* 2. *q.* 180. *per totam promiscue*.

27. *Quær.* Nunc de peccato originali quid sit, & an traducatur in posteros?

Resp. Div. Th. Peccatum originale est quædam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius armoniæ, in qua consistit ratio originalis iustitiæ. Iustitia vero originalis erat quoddam donum gratiæ toti humanæ naturæ divinitus collatum in primo Parente, quod quidem primus homo amisit per primum peccatum. Unde sicut originalis iustitia traducta fuisset in posteros simul cum natura, ita etiam inordinatio opposita peccati originalis, quæ est privatio quædam originalis iustitiæ, per quam sublata est subiectio humanæ mentis ad Deum. Et quamvis in semine corporali peccatum originale sit, sicut in causa instrumentali, eo quod per virtutem activam seminis traducatur in prolem simul cum humana natura: tamen sicut in subiecto est solum in anima, cum anima tantum possit esse subiectum culpæ. Nam caro de se non habet, quod sit subiectum culpæ, sed pœnæ. Secundum fidem Catholicam est tenendum, quod primum peccatum primi hominis originaliter transit in posteros. Apostolus enim dicit *Rom.* 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit. Contrarium est hæresis Pelagianæ, ut patet per *Aug.* in pluribus locis in *lib.* 1. *de retract. cap.* 9. & *lib.* 3. *contra Iul. cap.* 1. & *lib. de bono perse. cap.* 11 *&* 12. *prima* 2. *q.* 81. 82. *&* 83. *promiscue*.

Concil. Triden. *Sess.* 5. *in Decret. de peccato originali*, hoc idem decernit: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam a Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit. Cum contradicat Apostolo dicenti ad Rom.* 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*.

28. *Quær.* Quomodo sit de necessitate omnes homines nasci in peccato originali, & quid de Beata Virgine, an comprehendatur in tali necessitate?

Resp. D. Th. Necessarium est in omnes, qui ex Adam generantur per viam coitus, peccatum originale traduci. Nam *Aug.* dicit *in lib. de nuptiis*: Concupiscentia libidinis, quæ est in actu coitus, originale peccatum causat. Si enim defectus iste consequens naturam non traduceretur, non posset contingere nisi per hoc, quod natura generantis perfecte reintegrata esset: non enim potest contingere, ut virtute naturæ deficientis, aliquod in natura non deficiens generetur: Natura enim humana in statu huius viæ non reintegratur quantum ad id, quod naturæ est, etsi per gratiam reintegretur quantum ad hoc, quod ad personam. Sed in futuro perfecte reintegrabitur in Beatis. Et hoc quidem nulli dubium est, quod Deus in præsenti etiam facere posset, & si hoc fieret, procul dubio genitus sine originali nasceretur. Hoc habetur, 2. *dist.* 31. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 5.

„ Hæc reintegratio forte contigit in
„ Divis Ioachim, & Anna Deiparæ pa-
„ rentibus. Qui quidem (ut ex D. *Epi-*
„ *phanii* testimonio) in vita sua ii Deo
„ placuerunt, & germinaverunt Sanctam
„ Virginem Mariam, templum simul, &
„ Matrem Dei ..... Ioachim enim inter-
„ pretatur Præparatio Domini, eo quod
„ ex-

„ illo præparatum sit templum Domini, „ nempe Virgo Maria; & Anna rursus „ similiter gratia interpretatur: propterea „ quod Ioachim, & Anna gratiam acce- „ perunt, ut talem fructum germina- „ rent. Ex fructibus eorum cognoscetis „ eos, addit *Damascenus*, caste enim a: „ sancte munere functi virginitatis thesau- „ rum produxistis. Nam ex filia filius „ natus est nobis, & vocatur nomen eius „ magni Consilii Angelus. „

Quare si solus Christus est, qui non subiacet maledictioni culpæ, per virtutem propriam, tamen propter honorem Christi exeipitur etiam ex privilegio purissima, & omni laude dignissima Virgo Maria. (Hoc enim habetur *Lect. 6. ad cap. 3. Epistol. ad Gal.* ex impressione Parisiensi, ex Officina Oudini, an. 1541.) Nam *Augustinus* inquit in *lib. de natura, & gratia cap. 36.* & *refertur 3. p. q. 27. art. 4.* De Sancta Maria Virgine propter honorem Christi, nullam prorsus cum de peccatis agitur habere volo quæstionem. Non enim fuisset idonea Mater Dei, si aliquando peccasset; propterea Angelus ad eam dixit, Ave gratia plena, ne timeas invenisti gratiam apud Deum. Immo tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima Auctori gratiæ, ita quod eum, qui est plenus omni gratia in se reciperet, & cum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret. Decuit enim secundum *Anselmum 1. dist. 44. art. 3. ad 3.* ut Virgo quam Deus Unigenito Filio suo præparavit in Matrem, ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. Excedit enim etiam Angelos, quantum ad puritatem, quia Beata Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Nam Deum pariendo gratiam ad omnes derivavit. Et ideo concludit, quod aliquid creatum invenitur, quo nihil purius esse potest in rebus creatis: & talis fuit puritas Beatissimæ Virginis, quæ a peccato originali, & actuali immunis fuit, *1. dist. 44. art. 3. ad 3.* Sed dices, & quamvis S. D. *3. p. q. 27. art. 2. in corp.* sibi contradicere videatur asserendo, quod si Beata Virgo sanctificata fuisset, & non incurrisset maculam originalis culpæ, non indiguisset redemptione, & salute, quæ est per Christum: & hoc autem esset inconveniens, quod Christus non sit Salvator omnium hominum: cum tamen idem Sanctus Doctor *in Lect. 5. ad Dionysium* dicat, quod ratio salvationis consistit primo, & principaliter, ut quis in bono conservetur, liberando a malo; in quantum scilicet non permittit Deus cadere: sequitur quod dato etiam quod de Virgine aliter in summa definierit, hoc intelligendum est secundum legem communem originalis culpæ, & secundum communem, & universalem humanæ naturæ redemptionem. Non autem attento speciali privilegio, & singulari præservatione, & redemptione Deiparæ Virginis, quæ est per Christum. Et sicut idem Doct. in *art. 1. huius quæst.* obiiciendo sibi illud *Aug. in Epist. 57.* ad Dardanum, scilicet, sanctificatio non nisi renatorum est, nemo autem renascitur, nisi prius nascatur. Respondet, quod D. Augustinus loquitur secundum legem communem, secundum quam per Sacramenta non regenerantur aliqui, nisi prius nati; sed Deus huic legi potentiam suam non alligavit, quin aliquibus ex privilegio gratiam suam conferre possit antequam nascantur ex utero. Sicut de Hieremia dictum est: Antequam exires de vulva sanctificavi te; & sicut de Io. Baptista, de quo dictum est *Luc. 1.* Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ. Sic rationabiliter enim creditur, quod illa, quæ genuit Unigenitum a Patre plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus aliis maiora privilegia gratiæ acceperit; maiora inquam privilegia præ omnibus aliis, non solum in quantum Beata Virgo sanctificata fuerit antequam ex utero nasceretur, quod commune est aliquibus aliis Sanctis, sed in quantum Deipara fuit sanctificata in instanti animationis, & ita præ omnibus aliis privilegia gratiæ accipiat: & sic concludi possit, quod aliquod creatum inveniatur, quo nihil purius esse possit in rebus creatis, qualis est puritas Beatissimæ Virginis, quæ a peccato originali, & actuali immunis fuit, *1. sent. dist. 44. q. 1. art. 3. ad 3. & Lect. 6. cap. 3. Epist. ad Galat.*

Precipue propter communem consensum Ecclesiæ, quæ modo celebrat etiam festum Immaculatæ Conceptionis. Non autem, inquit Sanctus Doctor, celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo Sancto.

F 2 29. *Quer.*

29. *Quær.* Nunc de peccato actuali, scilicet de peccato mortali, & veniali. Quænam sit natura, & differentia inter peccatum mortale, & veniale, & quæ sint talia ex genere?

Resp. Div. Th. Peccatum, ut patet supra, est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam Dei. Peccatum veniale proprie non est contra legem, sed præter legem, quia si in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipsam corrumpit, quia non corrumpit dilectionem, quæ est plenitudo legis, ut dicitur *Rom.* 12. Solum igitur peccatum mortale proprie dicitur esse contra legem, quia solum repugnat charitati, per quam anima vivit Deo coniuncta. Contingit enim, quod aliquod peccatum contrarietur charitati, tum ex parte obiecti, tum ex parte materiæ. In actibus humanis aliqua contrariantur de se charitati Dei, & proximi, illa scilicet, per quæ tollitur subiectio, & reverentia hominis ad Deum, ut blasphemia, idololatria, & huiusmodi: & ea, quæ tollunt convictum societatis humanæ, sicut furtum, homicidium, adulterium, & aliæ species iniustitiæ. Non enim possent homines convivere ad invicem, ubi passim, & indifferenter ista perpetrantur, & nisi unicuique servetur quod suum est. Propterea ista sunt peccata mortalia ex obiecto, & ex genere suo, quacumque intentione, vel voluntate fiant. Quædam vero sunt, quæ licet inordinationem aliquam contineant, non tamen directe alterum prædictorum includunt, sine quibus societas humana servari potest. Sicut quod homo dicat mendacium, non tamen in fide, neque ad nocendum proximum, sed ad delectandum, vel etiam ad iuvandum, vel si quis excedat in cibo, vel in potu, sicut etiam superfluus ludus, & alia huiusmodi, quæ sunt peccata venialia ex genere, quia non contrariantur rationibus æternis, & quia non est cum aversione ab ultimo fine: sicut contrariantur actus peccati mortalis, *q. 7. de malo, & 2. sent. dist.* 42. *q.* 1. *art.* 4. *& p.* 2. *q.* 74. *art.* 9. *& q.* 88. *art.* 1.

30. *Quær.* Quomodo peccatum mortale habeat rationem maculæ, & an eius gravitas sit infinita?

Resp. Div. Th. Peccatum mortale, ut supra dictum est, proprie illud est, quod repugnat charitati, per quam anima vivit Deo. In peccato mortali duo sunt, quorum unum est aversio a bono incommutabili, quod est infinitum, unde ex hac parte potest dici infinitum. Aliud, quod est in peccato, est inordinata conversio ad bonum commutabile, & ex hac parte peccatum est finitum, tum quia ipsum bonum commutabile est finitum, tum etiam quia ipsa conversio est finita, non enim possunt esse actus creaturæ infiniti. Et quamvis formalis ratio peccati mortalis consistat in aversione a Deo; nam si esset inordinata conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, non esset peccatum mortale: nihilominus peccatum non habet speciem ex parte aversionis, quia secundum hoc est eadem privatio gratiæ in omnibus; sed ex parte conversionis, secundum quod est actus quidam. Et quando sic anima inordinate inhæret rebus aliquibus contra lumen rationis, & divinæ legis, ipsum detrimentum luminis, & nitoris ex tali contactu proveniens, macula animæ metaphorice dicitur. Unde privatio gratiæ non habet rationem maculæ, nisi secundum quod ex actu præcedentis peccati inducitur. Et secundum diversitatem actuum sunt etiam diversæ maculæ. Nam quamvis quolibet actu peccati mortalis quælibet virtus supernaturalis privetur, non tamen eodem modo. Sed actu luxuriæ, v. gr. castitas privatur, & aliæ virtutes ex consequenti, per furtum privatur actus iustitiæ, & aliarum virtutum ex consequenti, & sic de aliis, in ordine semper ad suam causam, quæ est peccatum. Et est simile de umbra, quæ est privatio luminis ex obiecto alicuius corporis, & secundum diversitatem corporum obiectorum diversificantur umbræ, sic diversa peccata diversas maculas inducunt, *p.* 2. *q.* 72. *art.* 6. *ad* 2. *& q.* 86. *art.* 1. *&* 2. *&* 2. *sent. dist.* 42. *art.* 2. *ad* 4. *& quodlib.* 5. *art.* 20.

31. *Quær.* An primi motus in his, quæ sunt ex genere gravia, sint peccata mortalia?

Resp. Div. Th. Primus motus non habet quod sit peccatum mortale ex eo, quod rationem non attingit, in qua completur; nam solum in assensu deliberato perficitur ratio peccati mortalis. Unde etiam in infidelibus primi motus non pos-

possint esse peccata mortalia, *q. 15. de verit. art. 4. ad 2. & Lect. 1. cap. 8. ad Rom.*

32. *Quær.* An existens in peccato mortali peccet mortaliter in quolibet actu?

Resp. Div. Th. Si qui sunt in peccato mortali in quolibet actu peccarent, non esset eis consulendum, quod interim quidquid boni possint facerent: nec opera ab eis facta, quæ sunt de genere bonorum, impetrando disponerent eos ad gratiam, quæ omnia sunt falsa. Immo sequeretur, quod si aliquis, charitatem non habens honoraret parentes, vel oraret, vel eleemosynam faceret, peccaret mortaliter, quod est falsum, *q. 2. de malo art. 5. & ad 7.*

Unde Concil Triden. *Sess. 6 Can. 7.* decernit: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri: anathema sit.*

Hinc merito damnatæ fuerunt a S. D. P. Pio V. nonnullæ propos. Mich. Baii, scilicet 35. *Omne quod agit Peccator, vel servus peccati, peccatum est*; Et 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.*

Et ab Alexandro VIII. consimiles damnatæ fuerunt, scilicet in ordine 8. *Necesse est Infidelem in omni opere peccare.* Et 11. *Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

33. *Quær.* An peccatum mortale possit fieri veniale?

Resp. Div. Th. Id, quod est ex genere mortale potest esse veniale propter imperfectionem actus, quia non pertingit ad rationem actus mortalis, cum non sit omnino deliberatus, sed subitus, ut supra dictum est. Sicut etiam ex parvitate materiæ. Illud, quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil. Et ideo in his etiam, quæ minima sunt, potest quis excusari a peccato mortali, *p. 2. q. 88. art. 6. & 2. 2. q. 66. art. 6. ad 3.*

34. *Quær.* An intendens peccare mortaliter, peccet per hoc mortaliter?

Resp. Div. Th. Improprie dicitur, quod aliquis intendat peccare mortaliter, aut venialiter, malum enim est præter intentionem, & voluntatem. Prædicta ergo quæstio nihil aliud quærit, nisi quare aliquis credens esse peccatum mortale, quod facit, peccet mortaliter. Quicumque igitur credit peccare mortaliter si faciat contra conscientiam, talis procul dubio peccat mortaliter, *Quodlib. 8. art. 15.*

35. *Quær.* An veniale peccatum convenienter dividatur contra mortale?

Resp. Div. Th. Cum enim peccatum sit quædam infirmitas animæ, peccatum aliquod dicitur mortale ad similitudinem morbi, qui dicitur mortalis, ex eo, quod inducit defectum irreparabilem, per destructionem alicuius principii: principium autem spiritualis vitæ est ordo ad ultimum finem, & ipse finis; qui quidem si destitutus fuerit reparari non potest per aliquod principium eo principalius; & ideo peccata huiusmodi dicuntur mortalia, quasi irreparabilia. Peccata autem, quæ habent inordinationem circa ea, quæ sunt ad finem, conservato tamen ordine, si non actu, saltem habitu ad ultimum finem, reparabilia sunt ex ipso fine, & hæc dicuntur venialia. Secundum hoc ergo peccatum mortale, & veniale dividitur secundum reparabile, & irreparabile, & hoc dico per principium interius, non autem per comparationem ad virtutem divinam; quæ omnem morbum, & corporalem, & spiritualem potest reparare. Peccatum igitur veniale a venia dicitur, quia reparabile: & dicitur tripliciter veniale; uno modo ex genere, sicut verbum otiosum, risus superfluus, & alia huiusmodi: alio modo ex eventu, sicut dicitur peccatum veniale motus concupiscentiæ sine consensu in parte superiori; tertio modo dicitur veniale ex causa, vel propter imperfectionem actus, sicut subiti motus in genere peccatorum mortalium, vel propter inordinationem existentem circa ea, quæ sunt ad finem, servato debito ordine ad finem, *p. 2. q. 88. art. 1. & 4. sent. dist. 16. q. 3. art. 2. q. 2. ad 4. & q. 3. de malo art. 15. ad 5.*

Error Michaelis Baii: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

36. *Quær.* An peccatum veniale possit fieri mortale ex se, vel ex aliqua circumstantia, vel saltem disponat ad mortale?

Resp. Div. Th. Peccatum veniale fieri mortale potest tripliciter intelligi. Uno modo sic, quod idem actus numero pri-

me

mo sit peccatum veniale, & postea mortale; & hoc esse non potest, quia peccatum principaliter consistit in actu voluntatis; unde si voluntas non mutetur, non potest esse, quod de veniali fiat mortale. Alio modo potest intelligi, ut id quod est veniale ex genere fiat mortale, & hoc quidem possibile est in quantum constituitur in eo ultimus finis, vel in quantum referatur ad mortale peccatum, sicut ad finem puta cum aliquis ordinat verbum otiosum ad adulterium committendum, & alia huiusmodi, quando scilicet aliqua circumstantia addit deformitatem alterius generis in his, quæ ex se sunt mortalia. Tertio modo potest intelligi ita, quod multa peccata venialia constituant unum peccatum mortale, & hoc falsum est; quæ enim differunt in infinitum non transmutantur adinvicem: sed peccatum mortale, & veniale differunt adinvicem in infinitum, sicut reparabile, & irreparabile, ergo veniale non potest fieri mortale: non enim omnia peccata de mundo venialia possunt habere tantum de reatu culpæ, quantum unum peccatum mortale, quod patet etiam ex hoc, quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ in duratione, peccatum autem veniale reatum pœnæ temporalis. Et ex parte pœnæ damni peccatum mortale meretur carentiam visionis divinæ, cui nulla alia pœna comparari potest. Si autem dicatur, quod multa peccata venialia faciunt unum mortale dispositive, sic enim verum est. Qui enim peccat venialiter prætermittit aliquem ordinem, & ex eo, quod consuevit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subiacere, disponitur ad hoc, quod etiam voluntatem suam non subiaceat ordini ultimi finis, quod est peccatum mortale ex genere; absolute tamen veniale non potest fieri mortale. Sicut accidens in substantiam absolute nunquam mutatur, *p. 2. q. 88. art. 2. & 3. & 4. & 5. promiscue, & q. 3. de malo art. 3. ad 4.*

37. *Quær.* Quomodo peccatum veniale, etsi reparabile dicatur maioris adhærentiæ quam mortale, quod est de se irreparabile?

Resp. Div. Th. Peccatum veniale non dicitur esse maioris adhærentiæ quam mortale, quasi ex parte sua firmius in anima maneat; sed ex parte nostra, quia peccata venialia non ita facile devitamus, sicut mortalia, ad quæ demittenda ex necessitate obligamur, *4. sent. dist. 16. q. 2. art. 1. q. 2. ad 2.*

38. *Quær.* An homo possit esse absque omni peccato veniali?

Resp. Div. Th. Non est inconveniens dicere, quod aliqua hora homo sit absque peccato veniali, quamvis hoc diu durare non possit propter difficultatem vitandi omnia peccata venialia: nam vitam istam etiam sancti non ducunt sine peccatis venialibus, *4. sent. dist. 12. q. 2. art. 2. q. 1. ad 1. & p. 3. q. 79. art. 4. ad 2.*

Unde Concil. Triden. *sess. 6. de iustificat. Can. 23.* decrevit: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit in tota vita posse peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Sic eadem *sess. cap. 11.* & *sess. 14. cap. 5.*

39. *Quær.* An aliquis possit peccare venialiter, ne alius peccet mortaliter?

Resp. Div. Th. Homo non tenetur aliquod peccatum veniale committere, ne alius peccet mortaliter, nec bene faceret committendo: quia ad vitandum peccatum non inclinamur principaliter ex damno proprio; sed inclinamur ne Deum offendamus, cuius offensa est etiam peccatum veniale. Unde nullus debet Deum offendere parum, ne alius offendat multum, quia homo debet in infinitum plus diligere Deum, quam proximum; neque ad vitandum scandalum: est enim oppositio in adiecto, si dicatur, quod aliquis debeat peccare, ut bene faciat peccando. Non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona, ut dicit *Apost.* Contingit tamen aliquem actum ex tali causa factum non esse peccatum veniale, quod alias veniale esset. Sicut V. G. dicere verbum otiosum, iam non esset tunc otiosum, cum non careret causa piæ utilitatis. De reliquo sicut peccatum mortale non potest bene fieri, ita nec veniale. Immo sicut homo debet potius sustinere mortem, quam peccet mortaliter, ita etiam quam quod peccet venialiter, illo modo, & debito, quo debet veniale vitare: ac magis deberet eligere esse in inferno sine culpa, ut ait *Anselmus*

mus in libro *de similitudinibus*, quam in Paradiso cum culpa etsi minima, quia innocens in inferno non sentiret pœnam, & peccator in Paradiso non gauderet de gloria, 4. *sent. dist.* 38. *q.* 2. *art.* 4. *q.* 1. *ad* 2. *& dist.* 18. *art.* 4. *q.* 3. *ad* 1. *& quodlib.* 1. *art.* 9.

40. *Quær.* De pœna peccati, an omnis pœna sit propter culpam?

Resp. Div. Th. Pœna potest dupliciter considerari, simpliciter, & ut satisfactoria, & si loquamur de pœna simpliciter sic semper habet ordinem ad culpam propriam, & est de ratione eius, quod sit contra voluntatem; puta quando aliquis vel a Deo, vel ab Homine pro peccato commisso punitur, & per recompensationem pœnæ reintegratur æqualitas iustitiæ. Si loquamur de pœna satisfactoria, est aliquo modo voluntaria, ut scilicet quis sibi pœnam spontaneus assumat in recompensationem culpæ præteritæ dimissæ, vel etiam a Deo illatam patienter sustineat, & hæc non habet simpliciter rationem pœnæ, sed potius medicinæ, patitur enim hoc detrimentum in minori bono, ut augeatur in maiori; sicut cum quis patitur detrimentum pecuniæ propter sanitatem corporis, vel in utroque eorum propter salutem animæ, & propter gloriam Dei. Inde est quod etiam interdum aliquis, qui non peccavit, pœnam satisfactoriam voluntarius pro alio portat, sicut etiam in humanis videmus, quod aliquis in se transfert alterius debitum. In bonis tamen animæ nullus patitur detrimentum sine culpa propria & sic filius non portabit iniquitatem patris, *Ezech.* 18. *p.* 2. *q.* 87. *art.* 6. 7. *&* 8. *promiscue*.

41. *Quær.* An lethale peccatum induceat reatum pœnæ æternæ, & infinitæ?

Resp. Div. Th. In peccato lethali duo sunt, scilicet aversio ab incommutabili bono, & ex hac parte peccatum est infinitum, cui respondet pœna damni, quæ etiam est infinita, est enim ammissio infiniti boni. Aliud, quod est in peccato, est inordinata conversio ad bonum commutabile, & ex hac parte peccatum est finitum, quia ipsum bonum commutabile est finitum, & quia conversio est finita, non enim possunt esse actus creaturæ infiniti: Ideo respondet ei pœna sensus, quæ etiam est finita secundum intensionem. In æternum tamen peccator debet puniri, secundum utramque pœnam, quia ex hoc ipso, quod peccator finem in peccato constituit, voluntatem habet peccandi in æternum, & quia præposuit fruitionem temporalem æternæ fruitioni ultimi finis, unde secundum divinum iudicium puniri debet, ac si æternaliter peccasset. Dicit enim *Greg.* 34. *moral.* Iniqui voluissent sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere, apud enim divinum iudicium voluntas pro facto computatur. Sic iustum est secundum eumdem *Greg.* quod qui in suo æterno peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur. Igitur quæcumque avertunt a Deo charitatem auferentia, quantum est de se, inducunt pœnam damni infinitam, & reatum æternæ pœnæ, quæ duratio correspondet durationi culpæ, quæ est de se ex parte hominis irreparabilis, & irremisibilitati eius. Quantitas vero, & acerbitas pœnæ sensus correspondet gravitati culpæ, quæ ex parte conversionis non est infinita secundum quantitatem, & ideo non debetur ei ex hac parte pœna infinita secundum quantitatem, *p.* 2. *q.* 87. *art.* 3. 4. *&* 5. *& Lib.* 3. *contra Gent. c.* 144. Hoc eruitur ex Concil. Trid. *sess.* 6. *Can.* 30.

42. *Quær.* An peccato veniali debeatur pœna æterna?

Resp. Div. Th. Manifestum est, quod in quibusdam peccatis est quidem aliqua inordinatio, non tamen per contrarietatem ad ultimum finem, sed solum circa ea, quæ sunt ad finem, in quantum plus, vel minus indebite eis intenditur, salvato tamen ordine ad ultimum finem, puta cum homo etsi ad aliquam rem temporalem nimis afficiatur, non tamen pro ea vellet Deum offendere, aliquid contra eius præceptum faciendo. Unde huiusmodi peccatis non debetur æterna pœna, sed temporalis: nisi forte culpa venialis cum mortali peccato inveniatur irremissibiliter in aliquo damnato, quia in inferno nulla potest esse remissio ratione conditionis status, & subiecti, scilicet hominis, qui sine gratia invenitur, per quam solum fit remissio pœnæ, *p.* 2. *q.* 87. *art.* 5.

Adest contra hanc conclusionem prop. Michael. Baii damn. a S. Pio V. scilicet 20. *Nullum est peccatum ex natura sua venia-*

niale: sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

43. *Quær.* An per peccatum mortale in hac vita mortificentur opera alias meritoria vitæ æternæ, & pro nihilo habeantur opera bona facta in statu peccati?

Resp. Div. Th. Res viva per mortem perdit operationem vitæ. Unde per quamdam similitudinem dicuntur res mortificari, quando impediuntur a suo effectu, vel operatione: effectus autem operum virtuosorum, quæ in charitate fiunt, est perducere ad vitam æternam, quod quidem impeditur per peccatum mortale, quod gratiam tollit, & sic opera in charitate facta mortificari dicuntur per sequens peccatum mortale, in quantum impeditur homo ne consequatur suam mercedem. Remoto tamen impedimento per pœnitentiam, quod est ex parte hominis operantis, Deus implebit ex parte sua illud, quod opera merebantur. Opera vero e contra etsi bona ex genere si fiant in statu peccati, quia carent omnino vita spirituali, quæ est ex charitate, per quam anima Deo coniungitur ex qua vivit, sicut corpus per animam, & cum sint omnino mortua ex parte principii, non reviviscunt per pœnitentiam: nec Deus recordatur, ut remuneret ea in vita æterna Unde *Apostolus* inquit: Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, 3. *p. q.* 89. *art.* 4. 5. *&* 6.

44. *Quær.* An induratio, & excæcatio sit semper pœna peccati in hac vita?

Resp. Div. Th. Excæcatio, & induratio cordis duo importat, quorum unum est motus animi inhærentis malo, & aversi a Divino lumine. Aliud est subtractio gratiæ, ex qua sequitur, quod mens divinitus non illuminatur ad recte videndum, & cor hominis non emolliatur ad recte vivendum: excæcatio hoc modo ordinatur ex sui natura ad damnationem. Sed aliquando ex Divina misericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum cognoscentes tandem humilientur, & convertantur. Sicut *Aug.* dicit in *lib. de natura, & gratia .p.* 2. *q.* 79. *art.* 3. *&* 4.

45. *Quær.* Quomodo ipsum peccatum dicatur pœna, & potio amara?

Resp. Div. Th. Potio peccati dicitur amara primo propter conscientiæ remorsum. *Prov.* 5. Novissima illius amara sunt. Secundo propter mortis metum. *Eccl.* 42. O mors quam amara est memoria tua. Tertio propter dulcedinis Divinæ defectum. *Hier.* 2. Scito, & vide, quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. Quarto propter pœnitentiæ planctum. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: *Isaiæ* 38. Duo tamen principaliter præservant hominem a peccato, timor Dei, & timor infamiæ; aliqui enim si propter timorem Dei mala non vitant, retrahuntur ab eis propter infamiam, & propter alias pœnas, quibus homo est obligatus secundum Dei iustitiam. Super *cap.* 24. *Isaiæ, &* 3. *p. q.* 48. *art.* 4.

46. *Quær.* Singillatim de peccatis, & vitiis capitalibus, & primo, quare aliqua vitia dicantur capitalia, & an sint septem?

Resp. Div. Th. Dicitur vitium capitale ex quo alia vitia oriuntur, & præcipue secundum originem causæ finalis, quæ est formalis origo moralitatis. Unde non solum est principium aliorum; sed etiam est directivum, & quodammodo ductivum aliorum. Unde *Greg.* 31. *Moralium*, vitia Capitalia metaphorice Ducibus exercituum comparat, sicut qui alios dirigunt, & gubernant, capita aliorum esse dicuntur. Septem, inquit ipse, sunt vitia Capitalia; scilicet inanis gloria, sive superbia, avaritia, luxuria, ira, gula, invidia, & accidia. Quorum fines habent quasdam primarias rationes movendi appetitum, & secundum harum rationum distinctionem distinguuntur. Movet autem aliquid appetitum dupliciter: uno modo directe, & per se, & hoc modo bonum movet appetitum ad prosequendum. Alio modo indirecte, & quasi per aliud: sicut aliquis aliquod malum prosequitur propter bonum adiunctum; vel aliquod bonum fugit propter aliquod malum adiunctum. Bonum autem hominis est triplex, scilicet honestum, delectabile, & utile: bonum animæ, & corporis, & rerum æternarum. Est igitur primo quoddam bonum animæ, quod scilicet ex sola apprehensione rationem appetibilis habet, sicut excellentia laudis, vel honoris, & hoc bonum inordinate

pro-

prosequitur inanis gloria, sive superbia. Aliud est bonum corporis: & hoc vel pertinet ad conservationem individui, sicut cibus, & potus, & hoc bonum inordinate prosequitur gula, aut ad conservationem speciei, sicut coitus, & ad hoc ordinatur luxuria. Tertium bonum est exterius, scilicet divitiæ, & ad hoc inordinate fertur avaritia. Er eadem quatuor vitia inordinata fugiunt quatuor mala contraria. Quod autem aliquis bonum fugiat propter aliquod malum coniunctum, hoc contingit dupliciter; quia aut hoc est respectu boni proprii, & sic accidia, quæ tristatur de bono spirituali propter laborem corporalem adiunctum: aut est de bono alieno, & hoc si sit sine insurrectione, pertinet ad invidiam, quæ tristatur de bono alieno inquantum est impeditivum propriæ excellentiæ; aut est cum quadam insurrectione ad vindictam: & sic est ira, & ad eadem vitia pertinet prosecutio mali oppositi, *p.* 2. *q.* 84. *art.* 3. & 4. *promiscue*.

47. *Quær.* An omnia vitia Capitalia sint ex genere suo mortalia?

Resp. Div. Th. Non est æstimandum, quod omnia peccata, quæ dicuntur capitalia sint ex genere suo mortalia, alioquin sequeretur, quod omne peccatum gulæ, & iræ esset peccatum mortale. Nam vitium capitale est ut diximus, tale, ex quo alia peccata oriuntur, sive sint venialia, sive mortalia. Si aliquis tamen afficiatur, puta ad delectationem gustus, quod propter hoc velit peccare mortaliter, ipsa etiam gula erit peccatum mortale, & sic etiam inanis gloria peccatum mortale est, quando aliquis propter inanem gloriam aliud peccatum mortale committit, *q.* 9. *de malo art.* 2. *ad* 5.

48. *Quær.* Quid sit superbia, quale peccatum, quæ filiæ, & quæ remedia?

Resp. Div. Th. Superbia est amor, sive appetitus propriæ excellentiæ, vel secundum *Aug. in* 14. *de Civitate Dei*, est perversæ celsitudinis appetitus. Superbia igitur importat immoderatum excellentiæ appetitum, qui non est secundum rationem. Cum superbire aliud non sit, quam superexcedere propriam mensuram appetitu excellentiæ, & cum non sit eadem mensura omnium, ideo contingit, quod aliquid non imputetur uni ad superbiam, quod alteri imputatur: sicut puta Episcopo non imputatur ad superbiam, si excerceat ea, quæ ad propriam excellentiam pertinent: imputaretur autem hoc ad superbiam Clerico, vel simplici Sacerdoti, si ea, quæ sunt Episcopi attentaret. Unde si appetitus excellentiam appetit secundum regulam rationis divinitus informatæ, erit appetitus rectus, & ad magnanimitatem pertinet. Si autem aliquis ab hac regula deficiat, incurret pusillanimitatis vitium; si vero excedat, vitium superbiæ. Hoc vitium distinguitur ab inani gloria, inquantum superbia inordinate excellentiam appetit, inanis gloria inordinate appetit excellentiæ manifestationem. Sic manifestum est, quod superbia est peccatum, quia importat aliquid, quod adversatur rationi rectæ, ex hoc quod aliquis per voluntatem tendit, super id quod est. Immo secundum genus suum est peccatum mortale, quando aliquis se extollit supra id, quod est sibi præfixum secundum Divinam regulam, vel mensuram, contra id quod Apostolus dicit: Nos autem non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram, qua mensum est nobis Deus; quia tunc radix superbiæ consideratur quasi homo non subiiciatur Deo, & regulæ ipsius, prout oportet. Hoc enim est averti a Deo, quod habet rationem peccati mortalis, & etiam quando inordinate se præfert proximo, & ab eius subiectione se retrahit, in quo etiam derogatur divinæ regulæ, ex qua sunt hominum ordines instituti prout unus sub alio esse debet. Sicut tamen in aliis, quæ ex suo genere sunt peccata mortalia, sunt aliqui motus, qui sunt peccata venialia propter eorum imperfectionem, quia scilicet præveniunt rationis iudicium, & sunt præter eius consensum, ita etiam circa superbiam aliqui motus sunt peccata venialia, dum eis ratio non consentit. Assignantur a *Greg. in lib.* 23. *moral. cap.* 7. quatuor superbiæ species. Primo cum quis a semetipso habere æstimat quod a Deo habet. Secundo quando id, quod sibi datum est desuper, credit pro suis accepisse meritis. Tertia species superbiæ est quando aliquis iactat se habere, quod non habet. Quarta superbiæ species est cum aliquis, despectis cæteris appetit singulariter videri, & habere, quod non habet. Bernardus vero in quodam *Tract. de duodecim gradibus humilitatis*, ponit etiam duodecim gradus super-

perbiæ, quasi filiæ. Sunt enim curiositas mentis, lævitas, inepta lætitia, iactantia, singularitas, arrogantia præsumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas, peccandi consuetudo. Facile enim evitatur hoc peccatum ex consideratione propriæ infirmitatis. Secundum illud *Eccl.* 10. Quid superbis pulvis, & cinis? Tum etiam ex consideratione magnitudinis divinæ. Secundum illud *Iob* 15. Quid tumet contra Deum spiritus tuus? Tum etiam ex imperfectione bonorum, de quibus superbit homo, secundum illud *Isaiæ* 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri; & infra 64. Quasi pannus menstruatæ universæ iustitiæ nostræ, *quæst.* 8. *de malo art.* 2. *&* 2. 2. *q.* 162. *art.* 1. 2. 3. 4. 5. *&* 6. *ad* 1. *totum promiscue*.

49. *Quær.* Quid sit ambitio, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Ambitio importat appetitum inordinatum honoris. Tripliciter appetitum honoris contingit esse inordinatum; uno modo quando aliquis appetit testimonium de excellentia, quam non habet, quod est appetere honorem supra suam proportionem; alio modo per hoc quod honorem sibi cupit, non referendo in Deum: tertio modo per hoc quod appetitus eius in ipso honore quiescit non referens honorem ad utilitatem aliorum. Sic manifestum est, quod ambitio semper est peccatum, mortale quidem si repugnat charitati, scilicet si appetitus in ipso honore quiescat, & non curet qualitercumque honorem consequi possit sive dolis, sive fallaciis; si vero non repugnet charitati, erit veniale, 2. 2. *q.* 113. *art.* 1.

50. *Quær.* Quid sit Hypocrisis, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Hypocrisis græce, latine simulatio dicitur, qua quis simulat personam alterius, scilicet cum peccator simulat personam iusti sive verbis, sive factis fiat. In hypocrisi duo sunt, scilicet defectus sanctitatis, & simulatio ipsius. Si ergo hypocrita non curet sanctitatem habere, sed solus sanctus apparere, sic manifestum est, quod est peccatum mortale; si autem intendit simulare sanctitatem, a qua deficit, ipsa simulatio quoque est peccatum mortale; quandoque vero veniale, quod discernendum est ex fine qui si repugnat charitati Dei, vel proximi erit peccatum mortale, puta cum simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur Ecclesiasticam Dignitatem indignus, vel quæcumque temporalia bona, in quibus finem costituit. Si vero finis intentus non repugnat charitati, erit veniale, puta cum aliquis in ipsa fictione delectatur; eadem enim est ratio de simulatione, ac de mendacio, vel uti cum aliquis simulat perfectionem sanctitatis, quæ non est de necessitate salutis. Hypocrisis nascitur ex inani gloria, ut *Greg.* dicit 13. *Moral.* quæ nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali, ut infra videbitur, 2. 2. *q.* 111. *art.* 4.

51. *Quær.* Quid sit inanis gloria, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Gloria importat manifestationem alicuius, scilicet quod donum alicuius deveniat in multorum notitiam, & approbationem, ut dignum laude. Potest esse vana tripliciter: primo ex parte rei, puta cum quis quærit gloriam de eo, quod non est, vel ex eo, quod non est gloria dignum; sicut de re aliqua fragili, & caduca, sicut de pulchritudine, dexteritate, & huiusmodi: alio modo ex parte eius, a quo quis gloriam quærit, puta ex parte hominis, cuius iudicium non est certum. Tertio ex parte ipsius qui gloriam appetit, quia non refert ad debitum finem, puta ad honorem Dei, vel ad utilitatem, & proximi salutem. Peccatum inanis gloriæ non videtur contrariari charitati quantum ad dilectionem proximi. Quantum autem ad dilectionem Dei potest contrariari charitati dupliciter; uno modo ratione materiæ, puta cum quis gloriatur de aliquo falso, quod contrariatur Divinæ reverentiæ, vel cum quis bonum temporale, de quo gloriatur præfert Deo, puta cum quis præfert testimonium hominum testimonio Dei: alio modo ex parte ipsius gloriantis, qui intentionem suam refert ad gloriam humanam, tamquam ad ultimum finem, ad quam etiam ordinat virtutis opera, & pro qua consequenda non prætermittit facere ea, quæ sunt contra Deum, & sic est peccatum mortale, si maior in corde sit cupiditas gloriæ, quam Dei timor, vel amor. Si autem amor humanæ gloriæ, quamvis sit inanis, si tamen

non

non repugnet charitati, non est peccatum mortale, sed veniale. Unde *Chrysostomus* dicit, *Matth. 6.* Cum vitia cætera locum habeant in servis diaboli, inanis gloria etiam locum habet in servis Christi: occulte ingreditur: & omnia, quæ intus sunt insensibiliter aufert. Nam opus virtuosum amittit vim merendi si propter inanem gloriam fiat; & ideo non est appetenda. Potest tamen quis appetere aliquam laudabilem famam, in quantum est utilis ad aliquid; vel ad hoc quod Deus ab hominibus glorificetur; vel ad hoc quod homines proficiant ex bono, quod in alio cognoscunt; vel ex hoc, quod ipse homo ex bonis, quæ in se cognoscit per testimonium laudis alienæ studeat in eis perseverare, & ad meliora proficere, & hoc modo prevideat bona coram Deo, & coram hominibus; non tamen quod præcise in hominum laude inaniter delectetur, 2. 2. *q.* 133. *art.* 1. 2. *&* 3. *promiscue.*

52. *Quær.* An possit quis negare Dei Dona ob metum inanis gloriæ?

Resp. Div. Th. Ad humilitatem pertinet, ut homo defectus proprios considerans, se ipsum non extollat. Non tamen pertinet ad humilitatem, sed potius ad ingratitudinem, quod bona, quæ quis a Deo possidet, contemneret, vel negaret, 2. 2. *q.* 35. *art.* 1. *ad* 3

53. *Quær.* Quid sit iactantia, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Iactantia proprie importare videtur, quod homo verbis se extollat: quod quidem contingit dupliciter, quandoque enim aliquis loquitur de se, non quidem supra id, quod in se est, sed supra id, quod de eo homines opinantur: alio modo aliquis per verba se extollit loquens de se supra id, quod in se est secundum rei veritatem. Et quia magis est aliquid iudicandum secundum quod in se est, quam secundum quod est in opinione aliorum; inde est, quod magis proprie dicitur iactantia, quando aliquis effert se supra id quod in ipso est secundum veritatem, quam quando effert se supra id, quod est in opinione aliorum. Quandoque hoc est peccatum mortale, quandoque veniale: mortale quidem quando aliquis iactanter de se profert, quod est contra charitatem, & gloriam Dei; puta de peccatis, si propter hoc Dei præcepta contemneret. Vel etiam si sit contra charitatem proximi: sicut cum aliquis iactando se ipsum, prorumpit in contumelias aliorum. Sicut habetur *Luc.* 18. de Pharisæo, qui dicebat; Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri; vel etiam quando aliqui se ipsos iactant non solum propter gloriam, sed etiam propter lucrum, qui de se ipsis fingunt ea, ex quibus lucrari possunt, puta quod sint Medici, vel sapientes, vel Divinatores, vel Advocati, & huiusmodi, & hoc videtur pertinere ad mendacium perniciosum, scilicet ad proximi deceptionem, & damnum. Et ideo talis iactantia est peccatum mortale. Quandoque vero est peccatum veniale, quando scilicet, non ex arrogantia, sed ex quadam vanitate aliquis ad hoc se iactat, ut gloriam, vel etiam lucrum acquirat, dummodo hoc sit sine damno aliorum. Nam hoc videtur ad mendacium officiosum pertinere. 2. 2. *q.* 112. *art.* 1. *in corp. & ad* 3. *& art.* 2.

54. *Quær.* Quid sit præsumptio, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Duplex est præsumptio; una quidem, quæ innititur propriæ virtuti, attentans scilicet aliquid ut sibi possibile, quod propriam virtutem excedit. Alia vero est præsumptio, quæ innititur inordinate Divinæ Misericordiæ, vel potentiæ, per quam sperat se obtinere gloriam sine meritis, vel veniam sine pœnitentia. Unde talis præsumptio videtur oriri ex superbia, ac si ipse tanti se æstimet, quod etiam cum peccantem Deus non puniat, vel a gloria excludat, & hæc præsumptio est peccatum mortale in Spiritum Sanctum, dum quis Divinam iustitiam contemnit, ex inordinata confidentia divinæ misericordiæ. Alia, quæ excedit proportionem propriæ facultatis: puta cum aliquis æstimat se habere maiorem virtutem, scientiam, vel aliquid aliud huiusmodi, quam habeat, peccatum est pro qualitate materiæ, vel damni: si V. G. præsumat officium exercere Prælati, Iudicis, Medici, & Magistri, sicut & Confessarii sine sufficienti scientia, prudentia, & arte, 2. 2. *q.* 21. *art.* 4. *& q.* 130. *art.* 1. *&* 2. *promiscue.*

55. *Quær.* Quid sit pertinacia, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Pertinax dicitur aliquis, (sicut *Isidorus* ait in *lib. etymol.*) qui est imprudenter tenax, quasi omnia te-

ners, eo quod in proposito suo ad victoriam perseverat, quia scilicet perseverat in propria sententia plus quam oportet. Et aliquis nimis persistit in propria sententia, quia per hoc vult suam excellentiam manifestare, & sic oritur ex superbia, sicut ex causa. Pro qualitate materiæ erit etiam peccatum. Error in fide cum pertinacia est maximum peccatum. Et si quis pertinaciter repugnaret in fide hæreticus censeretur, 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *ad* 3. *&* *q.* 138. *art.* 2.

56. *Quær.* An vitium vanæ curiositatis sit vitium superbiæ?

Resp. Div. Th. Circa cognitionem potest esse curiositatis vitium, in quantum homo non debito modo utitur cognitione. Sicut illi, qui student, ut inde superbiant. Unde *Aug.* dicit in *lib. de moribus Ecclesiæ*. Sunt qui desertis virtutibus, & nescientes quid sit Deus, & quanta sit maiestas, semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquod se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus curiosissime, intentissimeque perquirant; unde tanta superbia gignitur, ut in ipso Cœlo, de quo sæpe disputant, sibimet habitare videntur. Et *Hieronymus* dicit; Nonne vobis videtur in vanitate sensus & obscuritate mentis ingredi, qui diebus, ac noctibus in dialectica arte torquetur, qui Physicus perscrutator oculos trans Cœlum levat? non hoc referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei: immo aliquando videmus Sacerdotes, emissis Evangeliis, & Prophetis, comœdias legere, vel amatoria Bucolicorum versuum verba cantare. In consideratione igitur Creaturarum, (ut ait idem *Aug. in lib. de vera Religione*.) non est vana, & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, & semper manentia faciendus. Ideo *Apost.* dicit *ad Colos.* 2. Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, & non secundum Christum. Alio modo est curiositas in quantum aliquis studet ad cognoscendum veritatem supra proprii ingenii facultatem: quia per hoc homines de facili in errores labuntur. Unde dicitur *Eccles.* 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus, & postea sequitur; Multos enim supplantavit suspicio eorum, & in vanitate detinuit sensus eorum. Hæc vitium aliquando potest esse grave peccatum, si ex hoc impediatur homo ab exequutione proprii officii ad quod tenetur: puta si Iudex propter studium Geometriæ, desisteret a causis expediendis, vel Sacerdos a Confessionibus audiendis, quando eas audire tenetur propter studium Poesiæ, vel Medicus, vel Advocatus impediatur a proprio officio; & huiusmodi. Advertendum tamen est, quod in omnibus istis contingit, quod illud, quod est uni curiosum, non est curiosum alteri, quia aliquod est supra unius intellectum, quod non est supra intellectum alterius; aliquid etiam est necessarium, & utile uni, quod non est necessarium, nec est utile alteri: aliquod etiam facile in errorem, & peccatum præcipitat unum, quod non præcipitat alterum, 2. 2. *q.* 167. *&* 3. *sent. dist.* 35. *q.* 2. *ad* 3. *&* *quæst.* 3. *promiscue*.

57. *Quær.* Quænam sint pœnæ superborum?

Resp. Div. Th. Superborum multiplex est pœna, quarum prima est deiectio, cum enim volunt se erigere supra se, consequens est, ut per infirmitatem corruant. Secunda pœna est eorum destructio: iustum est, ut superbi, qui se inordinate magnos æstimant fortiori virtute, scilicet Divina, ad minimum deducantur. Tertia pœna est, post quam sunt ad minimum redacti, claritas famæ eorum cesset: Iustum est enim, ut qui gloriæ pompam quærunt, ab hominum memoria deleantur. Quarta pœna eorum est, ut non solum ipsi ab aliis non cognoscantur, sed bona, de quibus superbierunt agnoscere non sinantur. Immo sicut in syllogismis ducentibus ad impossibile quandoque aliquis convincitur, per hoc, quod ducitur ad inconveniens magis manifestum: ita etiam ad convincendum superbiam hominum Deus aliquos punit permittens eos ruere in alia peccata maxime carnalia: quæ etsi forte minora, tamen manifestiorem turpitudinem continent. Qui igitur detinetur superbia labitur in carnis luxuriam, ut per hanc humiliatus a confusione exurgat. Sicut enim sapiens Medicus in remedium maioris mor-

morbi patitur infirmum in leviorem morbum incidere, ita etiam peccatum superbiæ gravius esse ostenditur ex hoc ipso, quod pro eius remedio Deus permittit ruere homines in alia peccata. Tandem pœna superborum est discordia, quia cum quilibet aliis superesse nititur, & subiici recusat ad invicem concordare non possunt. Unde dicitur *Prov.* 13. inter superbos semper iurgia sunt, *Lect. pr. in Iob. cap.* 40. *&* 48. *&* 2. 2. *q.* 162. *art. 6. ad* 3. *totum promiscue*.

58. *Quær.* Quid sit Avaritia, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Avaritia ex prima sui nominis impositione, significat inordinatam cupiditatem pecuniarum, vel est inordinatus appetitus pecuniarum: dicitur enim Avarus quasi avidus æris, ut *Isidorus* dicit *in lib. Etymol.* & huic concordat, quod in græco avaritia philargia dicitur, quasi amor argenti: non tamen in solo argento, ut ait *Aug. in lib. de libero arbitrio*, vel in nummis, sed in omnibus rebus, quæ inordinate cupiuntur intelligenda est avaritia, quæ dupliciter dicitur uno modo secundum quod opponitur iustitiæ, & hoc modo ex genere suo est peccatum mortale, sic enim ad avaritiam pertinet, quod aliquis accipiat, vel retineat res alienas, quod pertinet ad rapinam, vel furtum quæ sunt peccata mortalia: contingit autem in hoc genere avaritiæ aliquod esse peccatum veniale propter imperfectionem actus, & materiæ parvitatem. Alio modo Avaritia potest accipi, secundum quod opponitur liberalitati, & secundum hoc importat inordinatum amorem divitiarum. Si autem in tantum amor divitiarum crescat, quod propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei, & proximi, sic avaritia erit peccatum mortale in quantum homo propter bonum temporale contemnit æternum. Si autem inordinatio amoris divitiarum intra hoc sistat, ut scilicet homo, quamvis superflue divitias amet, acquirat, & conservet, si tamen propter has divitias non velit aliquid facere contra Deum, & proximum, sic avaritia, est peccatum veniale, *q.* 13. *de malo art.* 1. *&* 2. 2. *q.* 118. *totum promiscue*.

59. *Quær.* An avaritia dicatur peccatum insanabile?

Resp. Div. Th. Avaritia dicitur peccatum insanabile, sed non eodem modo ac dicitur insanabile peccatum in Spiritum Sanctum. Nam peccatum in Spiritum Sanctum est insanabile ex parte contemptus, quia homo contemnit vel misericordiam, vel iustitiam Divinam, vel aliquid horum, per quæ hominis peccata sanantur. Avaritia vero habet insanabilitatem ex parte defectus humani, in quem scilicet procedit humana natura, quia quo aliquis est magis deficiens, eo magis indiget adminiculo exteriorum rerum, & ideo magis in avaritiam labitur. Unde avaritia ut plurimum consequitur senectutem, & quemlibet defectum, ut *Philosoph.* dicit *in* 4. *Ethic*. Nam senes propter naturæ defectum avidius exteriorum rerum inquirunt subsidia, sicut & omnis indigens, sive cordis miser quærit suæ indigentiæ supplementum. Nec per hoc quis excusatur a peccato, si debitam rationis mensuram circa divitias excedat, dum scilicet supra debitum modum vult eas acquirere, vel retinere: quia in exterioribus divitiis non potest unus homo superabundare, nisi alteri deficiat, quia bona temporalia non possunt simul possideri a multis, vel quia avarus offendit immoderantiam circa interiores affectiones, si immoderate divitias amet, aut desideret, aut in eis delectetur. Per hoc dicitur insanabile peccatum, quia ut habetur *Eccles.* 5. Avarus non implebitur pecunia, 2. 2. *q.* 118. *art.* 1. *per totum*, *& art.* 5. *ad* 3. *totum promiscue*.

60. *Quær.* Quænam sint Avaritiæ Filiæ?

Resp. Div. Th. Filiæ avaritiæ dicuntur vitia, quæ ex ipsa oriuntur, & præcipue secundum appetitum finis: quia ad finem unius vitii possunt ordinari etiam peccacata alterius generis, nam aliud est peccatum habere filias, & peccatum habere species. Div. enim *Greg. in lib.* 31. *Moral. cap.* 31. assignat plures avaritiæ filias, scilicet proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentia, obduratio, inhumanitas. Et *Arist.* 4. *Eth. cap.* 1. Avaros vocat parcos, tenaces, chimibiles, illiberales, de meretricio pastos, & usurarios, aleatores, mortuorum spoliatores, & latrones. Avarus enim ex eo quod deficit in dando, si quidem parum det, vocatur parcus, si autem nihil erit tenax, si cum ma-

gna

gna difficultate vocatur chimibilis. Aliquis vero si excedit in accipiendo dicitur avarus, quia vel turpiter lucratur, vel vilia, & servilia opera exercendo, vel quia de aliquibus vitiosis actionibus, sicut de meretricio, vel de aliquo huiusmodi lucratur; vel quia lucratur de eo, quod gratis oportet concedere, sicut simoniacus, vel usurarius, vel quia lucratur parva cum magno labore, vel iniuste lucratur, vivis vim inferendo, sicut latrones, & mortuos spoliando, vel ab amicis auferendo, sicut Aleatores, vel miseris superflua negando, 2. 2. *q.* 118. *art.* 8. *per totum*.

In VII. Præcepto Decalogi dabuntur plura circa hanc materiam.

61. *Quær.* Quid sit Luxuria, & quale peccatum, & quæ filiæ?

Resp. Div. Th. Luxuria dicitur esse libidinosæ voluptatis appetitus. Et *Isidor.* dicit *in lib. Ethimol.* Luxuriosus dicitur quasi solutus in voluptates. Voluptates enim venereæ maxime animum hominis solvunt. Hoc autem pertinet ad rationem Luxuriæ, ut ordinem, & modum rationis excedat circa venerea, & ideo luxuria est peccatum, quia ex eo quod inordinate homo suo corpore utitur per luxuriam, iniuriam facit Deo, qui est principalis Dominus corporis nostri. Unde *Apost.* 1. *ad Cor.* 6. contra luxuriam loquens dicit, Empti enim estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Et *Aug. in lib. de decem Chordis* inquit: Dominus qui gubernat servos suos ad utilitatem illorum, non suam, hoc præcipit, ne per illecebras, & illicitas voluptates corruat templum eius quod esse cœpisti, scilicet quod estis vos. Luxuriæ filiæ sunt Cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror futuri; Cæcitas mentis, quia per luxuriam maxime superiores vires deordinantur, scilicet ratio, & voluntas, propter vehementiam passionis, & delectationis. *Daniel.* 13. Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum, en cæcitas mentis. Inconsideratio, in quantum quod Luxuriosus non recordatur iudiciorum Divinorum; præcipitatio, in quantum quis in amore libidinoso neque consilium, neque moram ullam habet; Inconstantia, in quantum, scilicet homo impeditur ex impetu concupiscentiæ, ne exequatur bonum, quod decrevit esse faciendum; luxuria enim emollit cor hominis, & effeminatum reddit; Amor sui quantum ad delectationem, quam inordinate quis appetit: & per oppositum ponitur etiam odium Dei, in quantum scilicet prohibet delectationem concupitam. Ponitur etiam affectus huius sæculi, in quo scilicet aliquis vult frui voluptate: & per oppositum ponitur desperatio futuri sæculi, quia dum aliquis nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad spirituales, sed fastidit, 2. 2. *q.* 153. *art.* 1. 3. *&* 5. *totum promiscue*.

De speciebus Luxuriæ, & de aliis pertinentibus ad hanc materiam, reperies in *quæst.* de VI. Decalogi præcepto, & de matrimonio.

62. *Quær.* Quid sit gula, & quale peccatum, & quæ filiæ?

Resp. Div. Th. Pertinet ad gulam, quod aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis scienter excedat mensuram edendo. Unde gula non nominat quemlibet appetitum edendi, & bibendi, sed inordinatum. Unde vitium gulæ proprie consistit in concupiscentia inordinata cibi, & potus. Si inordinatio concupiscentiæ accipiatur in gula secundum aversionem a fine ultimo, sic gula erit peccatum mortale, quod quidem contingit quando delectationi gulæ inhæret homo tamquam fini, propter quem contemnit Deum, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, ut delectationes huiusmodi assequatur. De illis, quorum Deus venter est, loquitur Apostolus. Si vero in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiscentiæ tantum secundum ea, quæ sunt ad finem, utpote quia nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale. Difficillimum enim est in cibo modum tenere. Dicit enim *Gregor.* 30. *Moral.* Quia per escam voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, & quid voluptas suppetat, ignoratur. Unde *Aug.* dicit in *decimo de Confess.* Quis est Domine, qui aliquantulum extra metas necessitatis cibum non sumat? & in libro *de vera Religione* inquit; Homines malunt vesci, in quo scilicet delectatio est, quam saturari, cum

cum tamen omnis finis illius voluptatis sit non sitire atque esurire. A *Div. Gregor. 30. Moral.* distinguuntur quinque species gulæ propter diversa motiva, ex quibus moralium species diversificantur: & continentur in hoc versu. Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose. In eo, quod præoccupat tempus deordinatur concupiscentia propter impatientiam moræ. In eo quod quærit lautos cibos exercitatur concupiscentia ex ipsa specie cibi; item patet in aliis, scilicet quando in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit; quando ipso æstu immensi desiderii aliquis peccat; quando quæ sumenda sunt, præparari accuratius appetit. Assignantur quinque filiæ. Scilicet inepta letitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis, 2. 2. *q.* 148. *per totum promiscue, & 4. sent. dist. 9 q.* 1. *art.* 4. *quæst.* 2. *ad* 4.

63. *Quær.* An ebrietas sit speciale peccatum, & mortale?

Resp. Div. Th. De ebrietate dicendum est, quod secundum suam rationem habet quod sit peccatum mortale: quod enim homo absque necessitate reddat se impotentem ad utendum ratione, per quam homo in Deum ordinatur, & multa peccata occurrentia vitat de sola voluptate vini, expresse contrariatur virtuti, & charitati erga se ipsum. Quod aliquando nullum sit peccatum, vel solum sit peccatum veniale potest contingere propter ignorantiam, & imperitiam quamdam, vel infirmitatem, puta, cum homo nescit virtutem vini, unde non putat se inebriari, tunc non imputatur ei ebrietas ad peccatum, sed solum superabundantia potus. Sed quando frequenter inebriatur, non potest per hanc ignorantiam excusari, quin videatur voluntas eius eligere magis pati ebrietatem, quam abstinere a vino superfluo, unde reddit peccatum ad suam naturam mortale, quia secundum hoc homo sciens, & volens privat se usu rationis, quo secundum virtutem operatur, & peccata declinat, & peccat mortaliter, periculo peccandi se committens. Diminuitur tamen peccatum sequens, sicut diminuitur ratio voluntarii ex eo, quod ligatur usus rationis. Unde *Aug.* dicit *contra Faustum*, quod Loth culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit; in quantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in sequens peccatum, quod dicitur voluntarium a voluntate præcedentis actus, & mensuratur gravitas eius secundum maiorem, vel minorem prævisionem, & naturam actus subsequentis, sicut dictum est in quæst. de ignorantia culpabili, *p.* 2. *q.* 88. *art.* 5. *ad* 1. & 2. 2. *q.* 150. *per totam*.

Redibit sermo de hac re in quæst. de Temperantia, & de Ieiunio.

64. *Quær.* Quid sit ira, & quomodo sit vitium, & quæ sint eius filiæ?

Resp. Div. Th. Ira est appetitus vindictæ. Potest enim vindicta, & bene, & male appeti. Appetere vindictam secundum ordinem rationis propter rationis correptionem, & bonum iustitiæ conservandæ, laudabile est. Et hæc ira est bona, quæ dicitur etiam vindicta per zelum. Nam ait *Chrysost. super Matt. in homil.* 11. Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. Si autem aliquis appetat vindictam contra ordinem rationis, puta si appetat puniri eum, qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio iustitiæ, & correctio culpæ, tunc erit appetitus iræ vitiosus. Quantum vero ad modum attenditur etiam, ut scilicet motus iræ non immoderate fervescat, nec interius, nec exterius, quod quidem si prætermittatur, non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat iustam vindictam. Igitur in præsenti motus iræ potest esse inordinatus, & peccatum dupliciter, uno modo ex parte appetibilis, puta cum aliquis appetit iniustam vindictam, & sic ex genere suo est peccatum mortale, quia contrariatur charitati, & iustitiæ. Potest tamen contingere; quod sit peccatum veniale propter imperfectionem actus, puta, cum motus iræ prævenit iudicium rationis, vel aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum; puta si aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid huiusmodi. Alio modo potest esse motus iræ inordinatus, quantum ad modum irascendi, utpote si nimis ardenter irascatur interius, vel nimis exterius manifestet signa iræ, & sic ira non habet ex suo genere ratio-

nem

nem peccati mortalis; potest tamen contingere, quod sit peccatum mortale, si ex vehementia iræ excidat in blasphemiam, vel iniuriam proximi, aut quamcumque aliam gravem læsionem contra dilectionem Dei, & proximi. Tandem tres species, ait *Philosoph.* 4. *Eth.* sunt iracundorum. Alii quidam sunt acuti, quidam amari, quidam difficiles; Acuti sunt, qui nimis cito irascuntur ex qualibet levi causa ex ipsa iræ origine; Amari dicuntur ex ipsa iræ duratione, quia causa iræ, scilicet iniuria illata nimis manet in memoria; ex hoc homo diuturnam tristitiam concipit, & ideo tales sunt sibi graves, & amari. Difficiles dicuntur ex parte ipsius vindictæ, quam aliquis obstinato appetitu quærit; tales non dimittunt iram quousque puniant, nec tempore digeritur, sed per solam punitionem quiescit. Ideo sex filiæ iræ numerantur a Divo *Greg.* scilicet, rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blasphemia: effectus enim iræ est nocumentum alterius, sub ratione vindictæ, 2. 2. *q.* 158. *per totam promiscue*.

65 *Quær.* Quid sit Invidia, & quale peccatum, & quæ eius filiæ?

Resp. Div. Th. Invidia, ait *Damascenus lib.* 2. *cap.* 4. est tristitia de bonis alienis, sive de bono proximi, in quantum bonum alterius æstimatur ut malum proprium. Tristitia tamen de alienis bonis potest contingere quatuor modis. Uno quidem modo, cum aliquis dolet de bono alicuius improbi, in quantum ex eo nocumentum timetur vel sibi ipsi, vel etiam aliis bonis; & talis tristitia non est invidia. Evenire, inquit *Greg.* 22. *Moral.* plerumque solet, ut non amissa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursus eius gloria sine invidiæ culpa contristet, cum ruente malo, quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo plerosque iniuste opprimi formidamus. Alio modo potest aliquis tristari de bono alterius, non ex eo quod ipse habet bonum, sed ex eo, quod nobis deest bonum illud, quod ipse habet; & hoc proprie est zelus, & si sit circa bona spiritualia, & honesta, laudabilis est, secundum illud primæ ad *Cor.* 14. Æmulamini spiritualia. Quarto modo aliquis tristatur de bonis alicuius in quantum alter excedit ipsum in bonis, & hoc proprie est invidiæ vitium, quia dolet de eo, de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi. Hoc ex genere suo est peccatum mortale, quia contrariatur charitati, per quam est vita spiritualis; & multo magis inter gravissima peccata computatur illa invidia, quæ dicitur fraternæ charitatis, secundum quod aliquis dolet de ipso augumento gratiæ Dei; quia per hanc invidiam homo quodammodo invidet Spiritui Sancto, qui in suis operibus glorificatur. Sed sicuti alibi dictum est, in quolibet genere peccati mortalis inveniuntur aliqui imperfecti motus in sensualitate existentes, qui sunt peccata venialia, sicut in genere vindictæ primua motus iræ, & primi motus concupiscentiæ: ita etiam in genere invidiæ inveniuntur aliqui primi motus, quandoque etiam in viris perfectis, qui sunt peccata venialia. Invidiæ filiæ a Div. *Gregor.* 31. *Moral.* numerantur, scilicet, odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis, & afflictio in proximis, secundum quod prospera prosperis eveniunt contra conatum invidentis, qui pluribus modis nititur ea impedire, 2. 2. *q.* 36. *per totam promiscue*.

66. *Quær.* Quid sit accidia, quale peccatum, & quæ eius filiæ?

Resp. Div. Th. Accidia est tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum; per quam homo redditur tardus ad spirituales actus propter corporalem laborem, & contristatur in iis, quæ ei imminent facienda propter Deum. Secundum suum genus accidia est peccatum mortale, quia secundum propriam rationem contrariatur charitati, nam proprius effectus charitatis est gaudium de Deo, & accidia est tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum. Sed notandum in omnibus peccatis, quæ sunt secundum suum genus mortalia, non esse mortalia, nisi quando suum complementum consequatur in consensu rationis. Unde si sit inchoatio peccati in sola sensualitate, & non pertingat usque ad consensum rationis propter imperfectionem actus, est peccatum veniale. Sicut in genere luxuriæ concupiscentia, quæ consistit in sola sensualitate est peccatum veniale; si perveniatur usque ad consensum rationis est peccatum mortale. Ita etiam & motus accidiæ in sola sensualita-

te

te quandoque est solum, propter repugnantiam carnis ad spiritum: & tunc est peccatum veniale. Nam sic etiam in Viris Sanctis inveniuntur quandoque aliqui imperfecti motus accidiæ. Quandoque vero contingit usque ad rationem, quæ consentit in fugam, & horrorem, & detestationem boni divini, carne contra spiritum omnino prævalente, & homo contristatur in iis, quæ imminent facienda propter Deum, vel præcepta prætermittens, vel negligenter implens; tunc certe est peccatum mortale. Div. *Gregorius* 31. *Moral.* assignat sex filias accidiæ, quæ sunt, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, evagatio mentis circa illicita. Nam ut ait *Philos. in lib.* 10. *Eth. cap.* 6. Illi, qui non possunt gaudere in spiritualibus delectationibus, transferunt se ad corporales, & ad delectabilia exteriora, 2. 2. *q.* 33. *art.* 3. *&* 4. *totum promiscue*.

TRACTATUS QUARTUS.

De Virtutibus.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit Virtus, & in qua potentia subiectetur?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Virtus, ex Div. *Aug. lib.* 2. *de liber. arbitr. cap.* 18. est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis, sine nobis operatur; quæ quidem ultimæ particulæ si auferantur, reliquum definitionis erit commune omnibus virtutibus, & acquisitis, & infusis. In quatuor virtutibus, ait *Greg. in lib.* 2. *Moral.* tota boni operis virtutum acquisitarum structura consurgit. Secundum earum subiecta hic numerus invenitur; scilicet rationale per essentiam, quod Prudentia perficit; & rationale per participationem, quod dividitur in tria, idest in voluntatem, quæ est subiectum iustitiæ, & in concupiscibilem, quæ est subiectum temperantiæ, & in irascibilem, quæ est subiectum fortitudinis. Regulariter virtutes, quæ ordinant affectum hominis in Deum, vel in proximum sunt in voluntate, sicut in subiecto; quæ ordinant bonum proprium ipsius volentis sunt in irascibili, & concupiscibili, in quantum quod si passio impellit ad aliquid contra rationem, talis passio reprimatur per temperantiam; vel si passio retrahit ab eo, quod ratio dictat, sicut timor laborum, & periculorum homo firmetur per fortitudinem. Et hæ virtutes dicuntur cardinales, *p.* 2. *q.* 55. *art.* 4. *&* *q.* 61. *art.* 2.

2. *Quær.* An omnis virtus causetur ex actibus?

Resp. Div. Th. Sicut ex malis actibus, ut supra dictum est, causatur habitus vitiosus; multo magis ex bonis actibus causatur habitus virtutum. Virtus hominis ordinata ad bonum naturale potest ex actibus mere humanis causari, quatenus procedunt a ratione, sub cuius potestate, & regula tale bonum consistit. Virtus vero ordinans hominem ad bonum supernaturale, quod modificatur per legem divinam, & non per rationem humanam, non potest causari per actus mere humanos, sed causatur in nobis per operationem divinam; & ideo *Aug.* superius in definitione virtutis posuit, quod Deus in nobis sine nobis operatur. Virtus infusa, maxime in sua perfectione non compatitur secum peccatum mortale. Sed virtus humanitus acquisita potest secum compati aliquem actum peccati, etiam mortalis. Nam per unum actum peccati non corrumpitur habitus virtutis acquisitæ: habitui enim non contrariatur directe actus, sed habitus. Sine gratia tamen homo non potest ad longum tempus peccatum mortale vitare, ita quod nunquam peccet mortaliter, *p.* 2. *q.* 63. *artic.* 2.

3. *Quær.* An virtutes infusæ distinguantur ab acquisitis?

Resp. Div. Th. In ordine ad finem supernaturalem indiget homo perfici, ut dictum est per alia principia; propterea conferuntur nobis a Deo virtutes Theologicæ, quibus ordinamur ad finem su-

pernaturalem. His autem virtutibus Theologicis respondent alii habitus divinitus causati in nobis, qui sic se habent sicut virtutes morales, tamquam per alias virtutes morales infusas; differunt vero virtutes morales infusæ ab acquisitis; alterius enim est rationis modus, quod statuitur, puta in abstinentia in sumptione ciborum, ut scilicet non noceant valetudini corporis, & ne impediant rationis actum, & quod homines, puta, castigent corpus suum, & in servitutem redigant, ad hoc ut bene, & iuste viventes sint cives Sanctorum, & domestici Dei: virtutes acquisitæ ad hoc solum inserviunt, ut bene se habeant homines in ordine ad res humanas vitæ temporalis; virtutes infusæ ordinantur ad finem vitæ æternæ, *p. 2. q. 63. per totam, & q. unica de virtutibus art. 10.*

4. *Quær.* An virtus sistat in medio?

Resp. Div. Th. Virtus moralis consistit in medio inter superabundantiam, & defectum, ita ut superabundantia, & defectus, & medium accipiatur, secundum respectum ad regulam rationis. Prudentia est illa, quæ dirigit virtutes morales ad hoc ut attingant medium in propria materia, ubi oportet, & quando oportet, & propter quod oportet: Excessus enim erit, si in hoc tendat plus quam oportet, & quando non oportet, & propter quod non oportet; defectus erit, si non tendat ubi oportet, & quando oportet per conformitatem ad rectam rationem. Quandoque contingit quod medium rationis est etiam medium rei, sicut est in iustitia, in quantum scilicet iustitia dat unicuique quod debet, & non plus, aut minus, secundum rem, & rationem; aliæ vero virtutes consistunt circa passiones, & operationes interiores, in quibus medium determinatur secundum rationem tantum, ut dicitur in 2. & 6. *Eth.* & dicuntur etiam omnes inter se connexæ, secundum rectam rationem prudentiæ, *p. 2. q. 64. per totam.*

DE VIRTUTIBUS THEOLOGALIBUS.

5. *Quær.* An virtutes Theologicæ consistant in medio?

Resp. Div. Th. Mensura, & regula virtutis Theologicæ est ipse Deus. Fides enim regulatur secundum veritatem Divinam. Charitas autem secundum bonitatem eius; Spes secundum magnitudinem omnipotentiæ, & pietatis eius. Et ista est mensura excedens omnem facultatem humanam. Unde nunquam potest homo tantum diligere Deum, quantum diligi debet, nec tantum credere, nec tantum sperare in ipsum, quantum debet; multo minus potest esse excessus; & sic bonum virtutum Theologicarum per se non consistit in medio, sed tanto est melius, quanto magis accedit ad summum, *p. 2. q. 64. art. 4.*

DE FIDE.

6. *Quær.* Quid est Fides? & an sola sine operibus possit perducere ad vitam æternam?

Resp. Div. Th. Apostolus ad *Hebr.* 11. dicit, Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium; & *Aug.* dicit *in Tract.* 40. *in Io.* Fides est virtus, qua creduntur quæ non videntur. Non ut verbum hominum, ut dicit idem *Apost. ad Thessal.* 2. sed sicut vere est verbum Dei, & ideo multo magis homo certior est de eo, quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo etiam, quod videt propria ratione, quæ falli potest. 2. 2. *q. 5. art. 1. & art. 8. per totum & q. 124. art. 5.*

Sed ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio, quæ quidem fit non solum per verba quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundum illud *Iacob.* 2. Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Unde de quibusdam dicit *ad Titum* 1. Confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant. Omnium virtutum opera secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit quid Deus eiusmodi opera a nobis requirit, & nos pro eis remunerat.

Error Lutheri, & Calvini: *Non esse necessaria ad salutem bona opera, sed sufficere fidem. Habenti fidem nihil obesse peccata quantumvis sint multa, & magna, horum enim malitiam non imputari credenti.*

Unde Concil. Trid. *Sess. 6. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, pu-*

tent fide sola se haeredem esse constitutum, haereditatemque consecuturum.

7. *Quer.* An credere sit necessarium ad salutem?

Resp. Div. Th. *Hebr.* 10. dicitur sine fide impossibile est placere Deo; & *cap.* 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Natura enim hominis dependet a superiori natura, unde ad eius perfectionem non sufficit cognitio naturalis, sed requiritur supernaturalis; nam altiori modo quantum ad plura perficit fides, quam ratio naturalis. Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens; ut ergo sit indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit, quod Divina eis per modum fidei traderentur, quasi a Deo dicta, qui mentiri non potest, 2. 2. *q.* 2. *art.* 3. 4. *&* 5.

Concil. Tridentin. *Sess.* 6. *cap.* 8. declarat, quod *fides est humanae salutis fundamentum, & radix omnis iustificationis; sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

Error Petri Abailardi: *Non est credendum quod excedit virtutem nostri intellectus.*

8. *Quer.* An sit de necesse credere omnia contenta in Sacra Scriptura, & habere de illis fidem explicitam, vel implicitam?

Resp. Div. Th. Quantum ad prima credibilia, quae sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, sicut & tenetur habere fidem; quantum autem ad alia credibilia non tenetur homo explicite credere, sed solum implicite, vel in praeparatione animi, in quantum paratus est credere quidquid Divina Scriptura continet, quando hoc ei constiterit pro loco, & tempore, sicut superiores homines ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicite credere; post tempus gratiae divulgatae tenentur omnes ad explicite credendum Mysterium Trinitatis; sicut tam maiores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, praecipue quantum ad ea, quae communiter in Ecclesia solemnizantur, & publice proponuntur, sicut sunt articuli Incarnationis. Alias autem subtiles considerationes circa Incarnationis articulos tenentur aliqui magis, vel minus explicite credere, secundum quod convenit statui, & officio uniuscuiusque, 2. 2. *q.* 2. *art.* 5. 6. 7. *&* 8. *per totam quaestionem.*

Concil. Trid. *Sess.* 4. *Decretum de Canonicis Scripturis.* Videatur in fonte.

Et *Sess.* 6. *cap.* 7. inquit: *Scriptum est, Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator est; disponuntur autem homines ad iustitiam, dum excitati Divina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata, & promissa sunt.*

Error Quakerorum. *Quilibet habet lumen sufficiens ut Scripturam intelligat.*

9. *Quer.* An possit cadere aliquod falsum in Sacra Scriptura, & in Evangelio?

Resp. Div. Th. In Evangelio, neque in aliqua Scriptura Canonica fas est opinari aliquod falsum asseri, nec quod Scriptores earum mendacium dixerint, quia periret certitudo fidei, quae auctoritate Sacrae Scripturae innititur, 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 1. Videatur in fonte.

Propositio 21. proscripta ab. Innoc. XI. *Assensus fidei supranaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, quo quis formidet, ne non sit locutus Deus.*

Prop. 20. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habet supernaturalem.*

10. *Quer.* Utrum articuli fidei convenienter enumerentur, & in Symbolo ponantur?

Resp. Div. Th. Credibilia fidei Christianae dicuntur per articulos distingui, in quantum in quasdam partes dividuntur, habentes aliquam coaptationem ad invicem. Duo autem per quae ducimur ad vitam aeternam, nobis credenda proponuntur, scilicet occultum Divinitatis, cuius visio nos beatos faciet, & mysterium humanitatis Christi, quod in gloriam filiorum Dei accessum habebimus, ut dicitur ad *Rom.* 5. & ut dicitur *Io.* 17. Haec est vita aeterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Et ideo prima distinctio credibilium est, quod quaedam pertinent ad mysterium Divinitatis, quaedam vero per-

tinent ad mysterium humanitatis Christi, quod est pietatis sacramentum: ut dicitur 1. *Tim.* 4. Circa maiestatem autem divinitatis tria nobis credenda proponuntur. Primo quidem unitas Divinitatis, & ad hoc pertinet primus articulus; secundo Trinitas personarum, & de hoc sunt tres articuli, secundum tres personas: tertio vero proponuntur nobis opera Divinitatis propria, quorum primum pertinet ad esse naturæ; & sic proponitur nobis articulus creationis. Secundum vero pertinet ad esse gratiæ; & sic proponuntur nobis sub uno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam. Tertium vero pertinet ad esse gloriæ; & sic proponitur nobis alius articulus de resurrectione carnis, & de vita æterna. Similiter etiam circa humanitatem Christi ponuntur articuli, quorum primus est de incarnatione, sive de conceptione Christi; secundus de nativitate eius ex virgine; tertius de passione eius, & de morte, & de sepultura; quartus est de descensu ad inferos; quintus est de resurrectione; sextus de ascensione; septimus de adventu ad iudicium. Quidam autem distinguunt tantum duodecim articulos fidei, sex pertinentes ad Divinitatem, & sex ad humanitatem. Articulum enim conceptionis, & nativitatis coniungunt in unum. Sicut etiam cognitio trium personarum. Editio vero Symboli facta fuit in Synodo generali Nicæna, auctoritate Summi Pontificis, cuius est congregare Synodum generalem, & Symbolum ordinare. Per hoc tamen quantum ad successionem temporum, non est factum augmentum articulorum fidei quoad substantiam, sed quantum ad explicationem; omnes enim articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus; sed integra fidei veritas auctoritate Summi Pontificis est recepta, ut quasi regula fidei habeatur, 2. 2. *q.* 1. *per totam*.

Concil. Trid. *Sess.* 3. *Decret. de Symbolo fidei*, decernit, *quod Symbolum fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur necessario conveniunt, ac fundamentum firmum, & unicum, contra quod portæ inferi nunquam prævalebunt; totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit, quod quidem huiusmodi est. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, &c.*

11. *Quær.* An convenienter actus fidei compleatur per hoc, quod est credere Deo, credere Deum, & credere in Deum?

Resp. Div. Th. Per ista tria non designantur diversi actus fidei, sed unus, & idem actus habens diversam relationem ad fidei obiectum. Cum enim credere ad intellectum pertineat prout est a voluntate motus ad assentiendum, ex parte intellectus in subiecto fidei duo possunt considerari, quorum unum est materiale obiectum fidei, & sic ponitur actus fidei *Credere Deo*. Nihil proponitur nobis ad credendum, nisi secundum quod pertinet, vel habet ordinem ad Deum. Aliud autem est formalis ratio obiecti, quod est sicut medium, propter quod tali credibili assentitur, quod nihil aliud est, quam veritas prima, prout est a Deo revelata; & sic ponitur actus fidei *credere Deum*. Si vero consideretur tertio modo obiectum fidei, secundum quod intellectus est motus a voluntate, prout veritas prima habet rationem finis, sic ponitur actus fidei *credere in Deum*. Et hoc modo actus fidei potest etiam esse meritorius, in quantum subiacet voluntati non solum quantum ad usum, sed etiam quantum ad assensum, si homo habet promptam voluntatem credendi ea, quæ sunt fidei, ex sola auctoritate Divina; & si aliunde habeat etiam rationem forte demonstrativam naturalem de hoc, quod est, puta, Deum esse, vel aliquid huiusmodi, 2. 2. *q.* 2. *art.* 2. & 10.

12. *Quær.* An confessio fidei externa sit necessaria ad salutem?

Resp. Div. Th. Exterior locutio ordinatur ad significandum id quod in corde concipitur, unde sicut conceptus interior eorum, quæ sunt fidei, est proprie actus fidei, ita etiam & exterior confessio. Confessio autem fidei cum sit præceptum affirmativum, ideo non obligat ad semper, & si semper obliget pro loco, & tempore secundum alias circumstantias debitas: quando scilicet per dimissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximi; puta si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per eius taciturni-

nitatem averterentur a fide. In huiusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis, quia quando utilitas hoc exposcit, non debet esse contentus homo, ut per fidem suam ipsi veritati Divinæ coniungatur, sed debet fidem exterius confiteri, 2. 2. *q.* 3. *art.* 1. *&* 2.

Concil. Trident. *Sess.* 3. *Decretum de Symbolo fidei. Agnoscent cum Apostolo non esse sibi colluctationem adversus carnem, & sanguinem, sed adversus spirituales nequitias in cœlestibus, cum eodem omnes, & singulos in primis hortatur, ut confortentur in Domino, & in potentia virtutis eius, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi ignea extinguere &c. Itaque, ut hæc pia eius sollicitudo principium, & progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit, & decernit, præmittendam esse confessionem fidei: Patrum exempla in hoc sequuta, qui sacratioribus Conciliis hoc scutum contra omnes hæreses apponere consuevere, &c. & exprimendum esse censuit*: Credo in unum Deum, &c.

Hic opportune apponuntur in hac materia propositiones damnatæ, scilicet ab Alex. VII. 1. & Inn. XI.

16. *Homo nullo unquam vita suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

17. *Satis est actum fidei semel in vita elicere.*

18. *Si a Potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno.*

22. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

23. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad iustificationem sufficit.*

64. *Absolutionis capax est homo, quamvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi.*

Unde Conc. Trid. *Sess.* 6. *cap.* 8. *&* 10. asserit, *Fidem sine operibus mortuam & otiosam esse, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum, ait Iacob.* 2.

Error Spinosæ. *Non est curandum quam quis interius religionem teneat, dummodo exterius, & superficie tenus aliquam, ne regimen turbetur politicum, profiteatur.*

Error Retorii. *Quilibet potest salvari in sua fide, unde omnes hæretici recte ambulant.*

13. *Quær.* Quid sit Martyrium, & an pati martyrium propter fidem sit in præcepto?

Resp. Div. Th. Martyr dicitur quasi testis fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro invisibilibus contemnenda proponuntur; ad perfectam rationem martyrii requiruntur, quod aliquis omnia mala, & mortem substineat propter Christum, eiusque fidem servandam. Cadit sub præcepto in quantum quod homo debet esse paratus ad hoc faciendum si opus esset, ut prius permittat se occidi, quam Christum negare, vel mortaliter peccare, 2. 2 *q.* 124. *art.* 4. *& quodlib.* 4. *art.* 20.

14. *Quær.* An Martyrium sit opus maxime perfectum, & sola fides sit causa martyrii?

Resp. Div. Th. Martyrium inter omnes actus virtuosos maxime demonstrat perfectionem charitatis, quod est vinculum perfectionis, ut dicit *Apostolus*, quia tanto magis ostenditur aliquis aliquam rem amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odiosam eligit. Manifestum est autem, quod inter alia bona præsentis vitæ maxime homo amat ipsam vitam, & e contrario maxime odit ipsam mortem, & præcipue cum doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta animalia a maximis voluptatibus abstrahuntur, ut *Aug.* dicit *in lib.* 83. *Qq. q.* 36. Unde patet, quod Martyrium inter cæteros humanos actus est perfectior, quasi maxime charitatis signum, secundum illud *Io.* 15. Maiorem charitatem nemo habet, ut vitam suam ponat quis pro amicis suis; immo perfecta charitas facit sustinere faciliter, prompte, & delectabiliter, sicut patet in D. Laurentio, & Vincentio, qui in tormentis hilaritatem ostenderunt. Hoc autem non potest facere charitas imperfecta, & multo minus ille, qui charitate caret. Huius martyrii causa nedum est veritas fidei, sed etiam omnium vir-

tu-

rutum opera, nam secundum quod referuntur in Deum sunt quædam protestationes fidei. Unde B. Io. Baptistæ martyrium in Ecclesia celebratur, quia non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit, 2. 2. *q.* 124. *art.* 3. *&* 4.

15. *Quær.* An per martyrium fiat generalis absolutio ab omni culpa, & pœna?

Resp. Div. Th. Universalis absolutio fit in martyrio, propter quod dicitur in *lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus*, quod in Martyrio Sacramentum Baptismi completur, scilicet quantum ad plenariam liberationem a culpa, & a pœna, non tamen imprimit characterem aliquem, et ideo si recipiens martyrium sine Baptismo aquæ, resurgeret, esset baptizandus, 3. *p. q.* 68. *art.* 2. *ad* 2. *& Lect.* 1. *ad Hebr. cap.* 6.

16. *Quær.* An bene fecerunt nonnullæ fæminæ, quæ ad tuendam castitatem tempore persecutionis se peremerunt?

Resp. Div. Th. Occidere se ipsum absolute est illicitum; attamen *Aug.* dicit in *lib.* 1. *de Civitate Dei*, *cap.* 26. quod quædam sanctæ fæminæ tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, se in fluvium deiecerunt, & quæ modo dufunctæ sunt, earumque martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur. Ibidem *Aug.* dicit, hoc esse possibile forte ex instinctu Spiritus Sancti, sicut legitur de Sancta Apollonia, quæ in ignem se iniecit: ex hoc divina persuasit auctoritas Ecclesiæ, ut dictarum Sanctarum memoriam honoraret, 2. 2. *q.* 124. *art.* 1.

DE CANONIZATIONE, ET CULTU SANCTORUM.

17. *Quær.* An Ecclesia in Canonizatione Sanctorum aliquando erraverit, & an possit errare?

Resp. D. Th. Divina Providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur. Contingit vero, quod aliquid possit iudicari possibile, secundum se consideratum; & tamen relate ad aliquod extrinsecum omnino impossibile inveniatur. Dico ergo, quod iudicium eorum, qui præsunt Ecclesiæ possunt errare in quibuslibet, si personæ eorum tantum respiciantur: si vero consideretur Divina Providentia, quæ Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit, ut non erret, sicut ipse promisit *Io.* 14. Quod Spiritus adveniens doceret omnem veritatem de necessariis, scilicet ad salutem: certum est, quod iudicium Ecclesiæ errare in his, quæ ad fidem pertinent impossibile est. Unde standum est sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare ea, quæ in iudicio profert de fide, magis quam quorumcumque sapientum hominum. Cum Caiphas, quamvis nequam, tamen quia Pontifex, legitur etiam inscius prophetasse, *Io.* 11. In aliis vero sententiis, quæ ad mere particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de huiusmodi, possibile est iudicium Ecclesiæ, vel Papæ errare propter falsos testes. Canonizatio vero Sanctorum medium est inter hæc duo, quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, etiam pie credendum est, quod nec in his iudicium Ecclesiæ errare possit; Summus Pontifex, cuius est Canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicuius per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præcipue per instinctum Spiritus Sancti, qui omnia se utatur etiam profunda Dei. *Quodlib.* 9. *art.* 16.

Concil. Trident. *Sess.* 25. *in Decret. de invoc. Sanctorum. Mandat Sancta Synodus omnibus Episcopis, & ceteris docendi munus, curamque sustinentibus, ut iuxta Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ usum, de Sanctorum intercessione, & invocatione diligenter instruant. Hæc ut fidelius observentur statuit Sancta Synodus: nemini licere ullo in loco, sive Ecclesia ullam insolitam ponere imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias, nisi eodem recognoscente, vel approbante Episcopo, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris, ita tamen, ut nihil inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur. Videatur in fonte per extensum.*

Idem Conc. in eod. *Decr. Sanctorum miracula, & salutaria exempla oculis Fidelium subiiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem,*

nem, vitam, moresque componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam.

18. *Quær.* An liceat cultum dare Reliquiis Sanctorum?

Resp. Div. Th. Si ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum sunt Reliquiæ, venerentur, & portentur reliquiæ, non erit illicitum, immo pium, & fructuosum: si autem circa hoc attenderetur aliquid, quod non pertineret ad reverentiam Dei, & Sanctorum, esset superstitiosum, & illicitum. Sicut etiam verba Evangelii virtutem salutiferam habent, & licet ea portare; sicut Beatus Barnabas infirmos curabat Evangelium superimponendo. Manifestum est autem, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus tanquam membra Christi, Dei filios, & amicos, & intercessores nostros, 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. *ad* 3. *& Lect.* 6. *cap.* 1. *ad Rom. & p.* 3. *q.* 25. *art.* 6. Videatur in fonte.

19. *Quær.* An imagines Christi, & Sanctorum sint adorandæ?

Resp. Div. Th. Quod vera fides imagines quasdam assumit ad divinum cultum; nam & antiquitus in Tabernaculo erant imagines Cherubin, ut legitur *Exod.* 25. & Moyses fecit Serpentem æneum, & posuit eum pro signo, ut habetur *Numer.* 21. 9. & in Ecclesia ponuntur quædam imagines, quas fideles adorant, ut per huiusmodi imagines mentibus hominum imprimatur, & sic confirmetur fides; puta de excellentia Angelorum, & Sanctorum, non tamen eis cultum Latriæ exhibetur, sed Duliæ; secus autem dicendum est de imagine Christi, cui ratione Divinitatis Latria debetur. Nam imagini, qua res est nullus debeetur honor, sicut nec lapidi, nec ligno, sed imagini, qua imago est, cum sit idem motus cum imaginato, unus honor debetur imagini, & ei, cuius est imago. Ideo cum Christus adoretur Latria, similiter & eius imago, & sicut purpura Regis honoratur eodem honore quo Rex, sic & Purpura, & Spinæ, & Clavi, & Crux Christi honorantur. Hyperdulia videtur esse medium inter Latriam, & Duliam, quæ exhibetur Beatæ Virgini, in quantum est Mater Dei, & sic habet specialem affinitatem ad Deum. Ideo eorum Reliquias qualescumque, honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, 2. 2. *q.* 103. *per totam, &* 3. *sent. dist.* 9. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 6. *&* 3. *p. q.* 25. *art.* 5.

Error Calvini, & Lutheri: uterque negat invocationem Sanctorum, venerationem sacrarum Reliquiarum, Imaginum Christi, & Sanctorum, vocat hoc Idololatriam.

20. *Quær.* An sint de fide traditiones, & cultus sacrarum Imaginum?

Resp. Div. Th. Apostoli familiari instinctu Spiritus Sancti tradiderunt multa, quæ scripta non sunt in Canone, sed observantur per successionem fidelium; inter quæ unum est de usu imaginum. Unde *Damascenus* dicit, quod Lucas depinxit imaginem Christi, & Beatæ Virginis, & Christus suam Imaginem Abagaro Regi direxit, ut dicitur in Ecclesiastica Historia *lib.* 1. *cap.* 15. Fuit autem triplex ratio institutionis imaginum in Ecclesia, primo ad instructionem rudium, qui eis, quasi quibusdam libris edocentur. Secundo, ut Incarnationis mysterium, & Sanctorum exempla magis in memoria essent, dum quotidie oculis repræsentantur. Tertio, ad excitandum devotionis affectum, qui ex visis efficacius incitatur, quam ex auditis, 3. *sent. dist.* 9. *q.* 1. *art.* 2. *questiunc.* 2. *ad* 3. *&* 3. *p. q.* 25. *art.* 3. *ad* 4. Unde *Apostol. ad Thessalon.* State, & tenete traditiones vestras, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam. Inter has est imaginum Christi adoratio, 3. *p. q.* 25. *art.* 3. *ad* 4.

Sic Concil. Triden. *Sess.* 25. *Affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi ... omnino damnandi sunt, prout iam pridem eos damnavit Concilium Nicænum, & nunc etiam damnat Ecclesia.* Videatur etiam *Sess.* 4. *Decr. de Canon. Script.* & *Sess.* 23. *Decr. de invoc. Sanctorum, & de cultu sacrarum Imaginum*, contra Lutheranos, & Quietistas. Et ideo ab Innoc. XI. damnatur prop. 18. Mich. de Molinos. *Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, & speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, & veritate.*

21. *Quær.* Quare Reliquiæ Sanctorum sint adorandæ?

Resp. Div. Th. Manifestum est, ut supra dictum est, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus tamquam membra Christi, Dei Filios, & amicos, no-

stros

ores intercessores, & ideo eorum Reliquias qualescumque, honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipue eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti in eis habitantis, & operantis, & sunt corpori Christi configurata per gloriosam Resurrectionem: unde & ipse Deus huiusmodi Reliquias convenienter honorat in eorum præsentiam, miracula faciendo, 3. *p. q.* 25. *art.* 6.

Concil. Triden. *Sess.* 25. *cap.* 2 ut supra, statuit, ut *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta Corpora, quæ viva membra fuerunt Christi ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, a Fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur.*

22. *Quær.* Quomodo excusabitur homo invincibiliter ignorans in barbaris nationibus, vel in sylvis enutritus si faciat, quod est in se, ad fidem se se præparando, vivendo secundum legem, & lumen rationis?

Resp. Div. Th. Si aliquis in barbaris natus nationibus, quod in se est faciat, Deus sibi revelabit illud, quod est necessarium ad salutem, vel inspirando, vel Doctorem mittendo. Nunquam enim Deus homini quærenti suam salutem deest, vel defuit, nisi ex sua causa remaneat. Unde explicatio earum, quæ sunt de necessitate salutis vel divinitus illi providebuntur per prædicatorem fidei, sicut patet de Cornelio *Act.* 10. vel per revelationem, qua supposita in potestate liberi arbitrii est, ut in actum fidei exeat. *In* 2. *sent. dist.* 28. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 4. *&* 3. *sent. dist.* 23. *q.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. *&* 2.

Error Michaelis Baii: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

23. *Quær.* An qui discredit unum articulum fidei, possit habere fidem informem de aliis articulis?

Resp. Div. Th. In discredente unum articulum fidei, non manet fides neque formata, neque informis. Cuius ratio est, quia formale obiectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur a Deo in Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ. Manifestum est autem, quod ille, qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ tamquam infallibili regulæ, omnibus assentit, quæ Ecclesia docet; alioquin si de his, quæ Ecclesia docet, quæ vult tenet, & quæ non vult non tenet, non iam inhæret infallibili, & divinæ regulæ, & Ecclesiæ doctrinæ, sed propriæ voluntati, sic non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiæ. Unde si pertinaciter discredit unum articulum fidei, non habet habitum fidei de aliis articulis, sed opinionem quamdam secundum propriam voluntatem. Qui offendit in uno factus est omnium reus. *Iacob.* 2 Propter unum medium indivisibile, scilicet propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis, secundum doctrinam infallibilem Ecclesiæ, qui ab hoc medio decidit, totaliter a fide caret, 2. 2. *q.* 5. *art.* 3. *per totum.*

Concil. Triden. *Sess.* 6. *cap.* 15. *Asserendum est, quod infidelitate & ipsa fides amittitur.*

24. *Quær.* An fides sit a Deo infusa, & remaneat informis in peccatore?

Resp. Div. Th. Cum homo assentiendo his, quæ sunt fidei, elevetur supra naturam suam: oportet quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente, quod est Deus: unde oportet quod voluntas hominis præparetur a Deo per gratiam, ad hoc quod elevetur in ea, quæ sunt supra naturam. Et ideo fides quantum ad assentiendum, quod est principalis actus fidei, est a Deo interius movente per gratiam. Sicut etiam fides informis est a Deo, & actus, qui sunt boni ex genere, quamvis non sint charitate formati; sicut plerumque in peccatoribus contingit, quod aliquis desistat ab uno actu peccati, etiam Deo hoc faciente, quod tamen ab actu alterius peccati non desistit propria iniquitate suggerente; & per hunc modum etiam datur aliquando homini peccatori a Deo quod credat, non tamen ei datur charitatis donum; sicut etiam aliquibus absque charitate datur donum Prophetiæ, vel aliquid simile, 2. 2. *q.* 6. *per totam.*

Concil. Trid. *Sess.* 6. *Can.* 28. *Si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum qui fidem sine charitate habet non esse Christianum, anathema sit.*

Adest

Adest prop. Alex. VIII. in ord. 12. videlicet. *Quando in magnis Peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiam si videatur credere, non est fides divina, sed humana.*

25. *Quær.* Quid sit infidelitas, & quotuplex, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Infidelitas dupliciter accipi potest; uno modo secundum puram negationem sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, & hæc ignorantia divinorum non habet rationem peccati, sed magis pœnæ ex peccato primi parentis: Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent, ut dicitur *Io.* 15. (Propterea Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt hanc propositionem. *Infidelitas negativa in his, quibus non est prædicatus Christus peccatum est.*) Alio modo potest intelligi infidelitas secundum contrarietatem ad fidem; quia scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam, secundum illud *Isa.* 53. Quis credidit auditui nostro? Et in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis, & secundum hoc infidelitas est peccatum, & maximum peccatum: per infidelitatem autem maxime homo a Deo elongatur, & avertitur per falsam cognitionem, & opinionem de Deo, 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. & 3.

26. *Quær.* An omnis actio infidelis sit peccatum?

Resp. Div. Th. Cum homo infidelis aliquid agit ex eo quod infidelis est, & operatur ex infidelitate; puta si Paganus ad honorem suorum Deorum virginitatem servet, vel eleemosynam det, hoc ipso peccat. Infidelis tamen potest aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis, nam infidelitas tollit quidem gratiam gratum facientem, non tamen corrumpit totaliter bonum naturæ, & rationem, per quam facere possunt infideles aliquod opus de genere bonorum; licet non possint operari bona opera ex gratia, & meritoria, cum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, per quod infideles gratia carent. Bona opera ad quæ sufficit bonum naturæ aliqualiter operari possunt. Unde non oportet, quod infideles in omni suo opere peccent, 2. 2. *q.* 10. *art.* 4. & *Lect.* 3. *in cap.* 14. *ad Rom* (Unde a Pio V. & a Gregorio XIII. damnata est hæc propositio. *Omnia opera infidelium sunt peccata.* Nec non ab Alex. VIII. prop. 8. in ordine. *Necesse est infidelem in omni opere peccare. Et* 11. in ord. videlicet: *Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

Concil. Trident. *Seß. 6. Can.* 7. *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri: anathema sit.*

27. *Quær.* Quot sint species infidelitatis?

Resp. Div. Th. Cum enim peccatum infidelitatis consistat in renitendo fidei, hoc potest contingere multipliciter: quia aut renititur fidei nondum susceptæ, & talis infidelitas est Paganorum, seu Gentilium: aut renititur fidei susceptæ vel in figura in veteri lege, quam corrumpunt male interpretando, & sic est infidelitas Iudæorum; vel in ipsa manifestatione veritatis, & sic est infidelitas hæreticorum. Unde in generali possunt assignari tres prædictæ species infidelitatis. Simpliciter loquendo infidelitas hæreticorum est pessima, 2. 2. *q.* 10. *art.* 5. & 6.

28. *Quær.* An infideles compellendi sint ad fidem, & cum infidelibus possit fidelis communicare?

Resp. Div. Th. Quidam sunt infideles, qui nunquam susceperunt fidem Evangeliorum sicut Gentiles, & Iudæi, & tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant, neque filii eorum ante usum rationis, invitis parentibus baptizandi sunt, ne pueri postquam ad ætatem adultam pervenerint, relinquant quod ignoranter susceperunt; quia credere voluntatis est: dummodo non impediatur fides vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. Propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent. Alii vero sunt infideles, qui quandoque fidem Evangeliorum susceperunt, & eam profitentur, sicut hæretici. & quandoque Apostatæ, & tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiserunt, & teneant quod semel susceperunt: & Ecclesia Catholica ex aliquorum perditione, dolorem materni sanat cordis multorum liberatione populorum. Commu-

nicatio vero interdicitur fidelibus cum infidelibus dupliciter; uno modo in pœnam interdicit Ecclesia communionem infidelium, quia isti a fide suscepta deviant corrumpendo fidem sicut hæretici, vel totaliter recedendo sicut Apostatæ. In utrosque excommunicationis sententiam profert Ecclesia. Alio modo ad cautelam secundum diversas conditiones personarum, & negotiorum, & temporum prohibetur communicare cum Paganis, & Judæis, si de subversione probabiliter timeri possit; si aliqui fuerint firmi in fide non sunt prohibendi infidelibus communicare, & etiam disputare quandoque, maxime si necessitas spiritualis, vel aliquod etiam temporale negotium, & politia urgeat. Cavendum tamen ne magnam familiaritatem cum eis fideles habeant, vel absque necessitate communicent. Si vero servus infidelis ex communione cum fideli fuerit factus Christianus, Ecclesia statuit, quod statim infidelis a servitute liberetur nullo pretio dato, 2. 2. *q.* 8. *&* *q.* 9. *&* 10. *&* 12. *per totam*.

Extat prop. dam. ab Inn. XI. 4. in ordine, videlicet. *Ab infidelitate excusatur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*.

29. *Quer.* An infidelium ritus aliquando sint tollerandi?

Resp. Div. Th. Deus quamvis sit omnipotens, & summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ prohibere posset, ne eis sublatis maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur. Sic in regimine humano illi, qui præsunt recte aliqua mala tollerant, ne aliqua bona impediantur, ne etiam aliqua mala peiora incurrantur; sicut *Augustinus* dicit *in libro* 2. *de ordine cap.* 4. Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. Sic igitur quamvis infideles in suis ritibus peccent, tollerari possunt ad aliquod malum vitandum, ad vitandum scilicet dissidium, & scandalum, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tollerati convertuntur ad fidem; propter hoc hæreticorum, & Paganorum ritus aliquando Ecclesia tolleravit, 2. 2. *q.* 10. *art.* 11.

30. *Quer.* Quid proprie sit hæresis, & qui sint hæretici?

Resp. Div. Th. Hæresis græce ab electione dicitur, ut habetur in *Decret.* 24 *q.* 3. & hæreticus dicitur qui a communi fide, quæ Catholica dicitur, discedit, contrariæ opinioni vehementer inhærens per electionem, quando scilicet, ut ait *Aug. in lib. de utilitate credendi*: Hæreticus alicuius temporalis commodi, & maxime gloriæ, principatusque sui gratia falsas, & novas opiniones vel gignit, vel sequitur; quæ importat corruptionem fidei christianæ ex parte materiæ, & ex parte errantis pertinaciam, quæ sola facit hæreticum. Nam qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt corrigi parati, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi, quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiæ Doctrinæ. Et sic aliqui Doctores videntur aliquando dissentisse in quibusdam etiam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata: postquam autem fuere auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret hæreticus censeretur. Quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice. Unde dicit *Hieron. ad Damasum Papam*: Hæc est fides, Papa Beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, in qua si minus perite, aut parum caute forte aliquid positum est in expositione Symboli, emendari cupimus a Te, qui Petri fidem, & sedem tenes, 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. *&* 2. *&* *in* 4. *Sent. dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *in corp.*

Concil. Trid. *Sess.* 24. *in doctrin. de Sacram. Matrimon.* declarat, *quod heretici sunt impii homines insanientes de more suo prætextu Evangelii, libertatem carnis introducentes, qui multa ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, & ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto, & verbo asserunt, non sine magna Christifidelium iactura*.

31. *Quer.* An hæretici sint excommunicati?

Resp. Div. Th. Hæreticus, qui errat ex pertinacia, & alios nititur pervertere incurrit in Canonem latæ Sententiæ. Nam hæresis est infectivum vitium, & ideo Ecclesia hæreticos a consortio fidelium excludit, & præcipue illos, qui alios corrumpunt, ut simplices, qui de facili corrumpi possunt, ab eis sint segre-

gregati non solum mente, sed etiam corporaliter, unde per Ecclesiam carcerantur, vel expelluntur; imo nedum ab Ecclesia per excommunicationem separantur, sed aliquando per mortem a mundo excluduntur: multo enim gravius est corrumpere fidem, per quam est animæ vita, quam falsare pecuniam, per quam temporali vitæ subvenitur: Unde si falsarii pecuniæ, vel alii malefactores statim per sæculares Principes iuste morti traduntur, multo magis hæretici, statim ex quo de hæresi convincuntur, possunt non solum excommunicari, sed & iuste occidi. Ex parte autem Ecclesiæ est misericordia ad errantium conversionem, & ideo non statim condemnat, sed post primam, & secundam correptionem; postomodum vero si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia de eius conversione non sperans, aliorum saluti providet, eum separando per excommunicationis sententiam; & ulterius relinquit eum iudicio sæculari a mundo exterminandum per mortem: dicit enim *Hieronym.* & habetur 24. *q.* 3. Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ovis a caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est. *Lect.* 2. *cap.* 2. *ad Galatas* 4. *Sent. dist.* 13. *&* 2. 2. *q.* 33. *art* 7. Quædam peccata occulta, quæ sunt in nocumentum proximum vel corporale, vel spirituale puta si aliquis occulte tractet, quomodo civitas tradatur hostibus, vel si hæreticus privatim homines a fide avertat, cum sermo eorum ut Cancer serpat *ad Timoth.* 2. & quia ille qui sic occulte peccat, non solum in se peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denuntiationem, ut huiusmodi nocumentum impediatur, *quodlib.* 11. *q.* 10. *art.* 1.

A Leone X. damnatur propositio 28. Lutheri, & ab Alex. V. 5. videlicet.

28. *Hereticos comburi est contra voluntatem spiritus.*

5. *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.*

Unde Concil. Trid. *Sess.* 24. *ibidem*: *Hereticorum temeritati Sancta, & universalis Synodus cupiens occurrere, insigniores prædictorum Schismaticorum hereses, & errores, ne plures ad se trabat perniciosa earum contagio, exterminandos duxit, bos in ipsos hereticos, eorumque errores decernens anathematismos.*

32. *Quær.* An Hæretici revertentes ab hæresi sint ab Ecclesia recipiendi?

Resp. Div. Th. Pertinet ad Charitatem, ut bonum proximi velit. Est autem duplex bonum, unum quidem spirituale, scilicet salus animæ, quod principaliter respicit charitas; unde quantum ad hoc hæretici revertentes, quotiescumque relapsi fuerint, ab Ecclesia recipiuntur ad pœnitentiam, per quam impenditur eis via salutis. Aliud est bonum temporale, quod secundario respicit charitas, sicut est vita temporalis, possessio mundana, & bona fama, & dignitas Ecclesiastica, sive sæcularis. Non oportet, quod ex charitate huiusmodi bonum hæretico semper velimus, sed potius eum illo carere, tum quia salus æterna præferenda est bono temporali, tum quia bonum multorum præfertur bono unius; si autem hæretici revertentes semper reciperentur, ut conservarentur in vita, & aliis temporalibus bonis, potest esse in præiudicium salutis aliorum, tum quia si relaberentur, alios inficerent, tum etiam quia si sine pœna evaderent, alii securius in hæresim laberentur: dicitur enim *Eccl.* 8. Etenim quia non cito profertur contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum præparant mala; & ideo Ecclesia quamvis primo revertentes ab hæresi non solum recipit ad pœnitentiam, sed etiam conservat eos in vita, & interdum restituit eos dispensative ad Ecclesiasticas dignitates, quas prius habebant, si videantur vere conversi, & hoc pro bono pacis legitur esse factum. Sed quando recepti iterum relabuntur, videtur esse signum inconstantiæ eorum circa fidem, & ideo ulterius redeuntes, recipiuntur quidem ad pœnitentiam, non tamen ut liberentur a sententia mortis; nam Decretalis, *lib.* 5. *tit.* 7. *cap.* 9. *ad abolendum*; dicit, quod si aliquis post abiurationem erroris, deprehensi fuerint in abiuratam hæresim decidisse, sæculari iudicio sunt relinquendi. Ecclesia præsumit eos non vere reverti, qui cum re-

cepti fuissent, iterum sunt relapsi, & ideo eis vitam salutis non denegat, sed a periculo mortis non tuetur, 2. 2. *q.* 11. *art* 4. *per totum*.

Concil. Trid. *Sess.* 18. *in Decret. de lib. delect. Eadem Sancta Synodus ex corde optat, Deumque enixe rogat quæ ad pacem sunt Ecclesiæ, ut universi communem matrem in terris agnoscentes, quæ quos peperit oblivisci non potest, unanimes, uno ore glorificemus Deum, omnes, qui nobiscum communionem non habent, ad concordiam, & reconciliationem invitat, atque hortatur. Hanc non humanam, sed Spiritus Sancti vocem audientes, ne obdurent corda sua, sed in suo sensu non ambulantes, neque sibi placentes, ad tam piam, & salutarem matris suæ admonitionem excitentur, & convertantur. Omnibus enim charitatis officiis Sancta Synodus eos ut invitat, ita complectetur.*

Error Novatianor. *Apostatas a fide non esse ad pœnitentiam admittendos sed remissionem criminis istius soli Deo reservandam esse.*

33. *Quær.* An hæretici possint ordines conferre, & absolvere a peccatis?

Resp. Div. Th. Hæretici nedum quamdiu ab Ecclesia tollerantur, sed postquam etiam ab Ecclesia fuerunt præcisi, vel degradati possunt ordines, & alia Sacramenta conferre, dummodo formam debitam, & intentionem servent, quantum ad primum effectum, qui est collatio Sacramenti, quia illi, qui fuerunt in Ecclesia promoti cum aliqua consecratione retinent semper potestatem, quam acceperunt, & sic ordinati ab eis, vel promoti habent eamdem potestatem. Non vero quantum ad ultimum effectum, qui est collatio gratiæ, quia ex hoc quod aliquis hæretico præciso ab Ecclesia in Sacramentis communicat, peccat, & ita fictus accedit, & gratiam consequi non potest, nisi forte in Baptismo in articulo necessitatis. Hæreticus vero non potest absolvere a peccatis, quia ad absolutionem requiritur iurisdictio, quam non habet ab Ecclesia præcisus, 4. *Sent. dist.* 25. *q.* 1. *art.* 2. *per totum* 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. & 3. *p. q.* 64. *art.* 9. *ad* 2.

34. *Quær.* Quid sit Schismaticus, & an sit idem ac hæreticus?

Resp. Div. Th. Quicumque est hæreticus, est etiam Schismaticus, sed non convertitur semper; nam inter schisma, & hæresim hoc interesse arbitror, quod hæresis perversum dogma habet; Schisma ab Ecclesia separat, & est via ad hæresim. Unde *Hieronym.* dicit, quod Schisma a principio aliqua in parte potest intelligi diversum ab hæresi; cæterum nullum inveteratum Schisma est, quod sibi non aliquam hæresim confingat, ut recta ab Ecclesia recessisse videatur. Ecclesiæ unitas in duobus attenditur, scilicet connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione, & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput; hoc autem caput est ipse Christus, cuius vices in Ecclesia gerit summus Pontifex, & ideo Schismatici dicuntur, qui cum rebellione quadam, & obedire, & subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant, 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. *per totum*, & 4. *Sent. dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 2.

Concil. Triden. *Sess.* 6. *cap.* 9. *Apud Schismaticos magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicatur vana fiducia.*

35. *Quær.* An Schismatici sint excommunicati, & puniantur pœna temporali?

Resp. Div. Th. Per quæ peccat quis, per ea debet puniri *Sap.* 11. Schismaticus in duobus peccat, in uno quidem, quia separat se a communione membrorum Ecclesiæ, & quantum ad hoc conveniens pœna Schismaticorum est, ut excommunicentur. In alio vero quia subiici recusant Capiti Ecclesiæ, iustum est, ut potestate temporali coerceantur, 2. 2. *q.* 39. *art.* 4.

36. *Quær.* An Schismatici habeant aliquam potestatem spiritualem, vel usum legitimum?

Resp. Div Th. Duplex est spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, sive ordinis, alia iurisdictionalis. Potestas ordinis, secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam adeptus est, quamdiu vivit, sive in schisma, sive in hæresim, ut supra dictum est, labatur; quod patet ex hoc, quod rediens ad Ecclesiam non iterum consecratur. Sed quia potestas inferior non debet exire in actum, nisi secundum quod movetur a potestate superiori, ut etiam in re-

rebus naturalibus patet, inde est, quod tales usum potestatis amittunt, idest non licet eis uti sua potestate licite; si vero usi fuerint effectum habet in Sacramentalibus, quia in his homo non operatur nisi secundum instrumentum Dei. Effectus Sacramentales non excluduntur propter culpam quamcumque conferentis Sacramentum. Potestas autem iurisdictionis, quæ ex iniunctione hominis confertur in schismaticis, & hæreticis, non manet. Unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid huiusmodi, quod si fecerit nihil est actum. Cum ergo dicitur tales non habere potestatem spiritualem, intelligendum est vel de potestate secundaria iurisdictionis, vel si referatur ad primam potestatem ordinis, non est referendum ad ipsam essentiam potestatis, sed ad legitimum usum eius. Quare Baptismum solum a Schismaticis quis recipere licet, in articulo necessitatis, quia melius est de hac vita cum illo exire, quam sine illo, a quocumque detur, etiamsi sit Iudæus, vel Paganus, 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. *&* 4. *ad* 1. *&* 3. *p. art.* 5. *& in* 4. *sent. dist.* 17.

Concil. Trid. *Sess.* 6. Contra inanem Hæreticorum & Schismaticorum fiduciam, videatur in fonte.

37. *Quær.* Quid sit Apostasia?

Resp. Div. Th. Apostasia importat retrocessionem quamdam a Deo, secundum diversos modos, quibus homo Deo coniungitur. Contingit aliquem apostatare a Deo retrocedendo a Religione, quam professus est, vel ab ordine, quem susceperit: & hæc dicitur Apostasia Religionis, seu ordinis, quibus existentibus potest adhuc remanere homo Deo coniunctus per fidem. Sed si a fide totaliter discedat, vel per hæresim, vel per aliam sectam, tunc videtur omnino a Deo retrocedere, & hæc absolute, & simpliciter erit Apostasia.

38. *Quær.* An Iudæi sint cogendi ad fidem, vel saltem possint cogi ad deferendum signum distinctivum?

Resp. Div. Th. In Decret. *dist.* 45. sic dicitur de Iudæis. Præcipit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri. Si autem acceperunt fidem, cogantur retinere. Præterea secundum statutum Concilii generalis, Iudæi utriusque sexus in omni Christianorum provincia, & omni tempore aliquo habitu ab aliis populis debent distingui; insuper sunt compellendi, ut fidem non impediant vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. *& opusc.* 21. *in fine*.

39. *Quær.* An Christiani possint incolere terras Iudæorum, Paganorum, & Hæreticorum?

Resp. Div. Th. Permittit Ecclesia, quod Christiani possint incolere terras Iudæorum, quia per hoc non habent necesse conversari cum eis: tamen si ex tali communicatione, vel convictu subversio fidelium timeretur, esset penitus interdicendum, 2. 2. *q.* 10. *art.* 10. *ad* 3.

DE SPE.

40. *Quær.* Quid sit spes theologica?

Resp. Div. Th. Spes est virtus theologica habens Deum pro obiecto, in quantum scilicet per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem consequendam æternam. Immo est certa expectatio futuræ beatitudinis, sicut *Magister* dicit 26. *dist.* 3. *Sententiarum*. Et inde *Apost. ad Timoth.* 1. dicit. *Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum servare*. Et si aliqui habentes spem deficiunt a consecutione Beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrii ponentis obstaculum peccati, non autem ex defectu Divinæ potentiæ, vel misericordiæ, vel promissionis, cui spes innititur. Neque in Beatis, neque in damnatis est spes, quia isti non possunt apprehendere beatitudinem ut bonum possibile; nec Beati ut bonum futurum, cum beatitudo sit eis præsens, sed solum in viatoribus, sive sint in vita ista, sive in Purgatorio potest esse spes, quia utrobique apprehendunt beatitudinem ut bonum arduum futurum, & possibile, 2. 2. *q.* 17. *&* 18. *per totam*.

Concil. Trid. *Sess.* 6. *Cap.* 16. inquit; *Proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Et nolite ammittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, tamquam merces*

ex

ex ipsius Dei promissione, & meritis fideliter reddenda.

41 *Quær.* An de spe Theologica detur præceptum?

Resp. Div. Th. Ad sperandum supernaturale bonum oportuit hominem induci authoritate legis Divinæ, partim quidem promissis, partim autem admonitionibus, vel præceptis. Unde debitum est ad humanam salutem, ut speret homo de Deo, 2. 2. *q.* 21. *art.* 1. *ad* 1. *& ad* 3.

Concil. Trid. *Sess.* 6. *Can.* 26. *Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & sperare æternam retributionem a Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverit: anathema sit.*

Et *Sess.* 6. *Can.* 31. *Si quis dixerit, iustificatum peccare dum intuitu mercedis bene operatur; anathema sit.*

Prop. 10. proscripta ab Alessandro VIII. *Intentio, qua quis detestatur malum & prosequitur bonum, mere ut Cælestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.*

Prop. 2. proscripta ab Inn. XIII. inter alias plures consimiles. *In statu vitæ contemplativæ sive unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris, & spei.*

DE VITIIS OPPOSITIS.

42. *Quær.* Quid sit desperatio, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Desperatio non importat solum privationem spei, sed importat quemdam recessum a re desiderata propter falsam corruptam æstimationem de Deo, in quantum quod homo non sperat Bonitatem Dei participare, ex timore ipsius Dei, vel ex horrore propriorum peccatorum, vel propter aliquam aliam particularem dispositionem putat non sit de Divina misericordia sperandum. Nam si in universali quis æstimaret, misericordiam Dei non esse infinitam, ulterius esset incredulus, & infidelis; sicut Novatiani, qui in universali negant remissionem peccatorum fieri in Ecclesia post Baptismum. Desperatio secundum se est maximum peccatum; nam sublata spe irrefrenate homines labuntur in vitia, *p.* 2. *q.* 40. *art.* 4. *ad* 3. *&* 2. 2. *q.* 20. *per totam*

Unde Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 1. inquit. *Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tamquam hæreticos explosit, atque condemnavit.* Et *Sess.* 6. *Cap.* 11. inquit. *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat ut possis.*

43. *Quær.* Quid sit præsumptio, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Sicut ex desperatione aliquis contemnit Divinam misericordiam, cui spes innititur, ita ex præsumptione contemnit Divinam iustitiam, quæ peccatores punit. Unde præsumptio videtur importare quamdam immoderantiam spei. Spei autem est obiectum arduum possibile. Possibile autem est aliquid homini dupliciter: uno modo per propriam virtutem; alio modo non nisi per virtutem Divinam. Circa utrumque autem spem per immoderantiam potest esse præsumptio. Nam circa spem, per quam aliquis de propria virtute confidit attenditur præsumptio ex hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum reputans sibi possibile, quod tamen suam facultatem excedit, scilicet in bonum infinitum, quod proportionatur solum virtuti Dei adiuvantis; nam solum infinitæ virtutis est proprium ad infinitum bonum vitæ æternæ perducere; quod est obiectum proprium spei. Circa spem, qua aliquis inhæret Divinæ potentiæ potest per immoderantiam esse præsumptio in hoc quod aliquis tendit in aliquod bonum, ut possibile per virtutem, & misericordiam Divinam, quod de se implicat. Sicut cum aliquis sperat se veniam obtinere sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis. Hæc autem præsumptio est propria species peccati in Spiritum Sanctum, quia scilicet per huiusmodi præsumptionem tollitur, vel contemnitur adiutorium Spiritus Sancti, per quod homo revocatur a peccato. Unde ista præsumptio, qua quis inordinate innititur Deo gravius peccatum est, quam præsumptio, qua quis innititur propriæ virtuti. Quod enim aliquis innitatur Divinæ virtuti ad consequendum id, quod Deo non convenit, hoc est diminuere Divinam virtutem. Patet autem, quod

gra-

gravius peccat, qui diminuit Divinam virtutem, quam qui propriam virtutem superextollit. Nam peccatum, quod est contra Deum, secundum suum genus est gravius cæteris peccatis, 2. 2. *q.* 21. *art.* 1. *per totum*.

Concil. Trid. *Sess.* 6. *cap.* 13. inquit. *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent, veruntamen qui se existimant stare videant, ne cadant, & cum timore, ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiuniis, & castitate: formidare enim debent scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt, de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt nisi cum Dei gratia.*

Et *Cap.* 16. *Absit, ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.*

44. *Quær.* Quodnam sit remedium contra præsumptionem: ut homo vivat tutus inter spem, & timorem?

Resp. Div. Th. Est considerare in Deo iustitiam per quam peccantes punit; secundum hanc considerationem insurgit in nobis timor; qui quidem dividitur in filialem, initialem, & servilem. Timor servilis respicit Deum sicut principium inflictivum pœnarum; timor initialis est medium inter timorem servilem, & filialem, qui non solum movetur ad bene agendum ex amore iustitiæ, sed etiam ex timore pœnæ; timor filialis est quo timemus separationem a Deo per culpam, & pertinet ad timorem castum, & reverentialem. Timor servilis, & initialis respiciunt pœnam, per quam homines attrahuntur ad Deum divinitus inflictam, vel comminatam, quam quidem pœnam principaliter timor servilis respicit, timor autem initialis secundario; uterque timet in quantum malum pœnæ est nocivum proprii boni, nec tamen in illo bono constituitur finis, sicut facit pravus timor mundanus: quare substantia timoris servilis, & initialis potest manere cum charitate, in qua ultimo sistunt. Immo timor servilis quantum ad servilitatem tollitur charitate adveniente, remanet tamen secundum substantiam timor pœnæ, ut supra dictum est; & semper diminuitur charitate crescente, maxime quantum ad actum; quia quanto magis aliquis diligit Deum, tanto minus timet pœnam, quia minus attendit ad proprium bonum, cui contrariatur pœna, & quia firmius Deo inhærendo, magis confidit de præmio, & per consequens minus timet de pœna. Timor autem filialis, quo quis timet offensam Patris, vel separationem ab ipso necesse est quod crescat, crescente charitate; quanto enim aliquis magis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere, & ab ipso separari, nec præsumit se ei adæquare, sed ei in omnibus se subiicit, & reveretur, in quantum diligit Deum supra se, & sic amor charitatis augmentatus reverentiam timoris filialis non minuit, sed auget. Nam ex hoc, quod aliquis perfecte timet Deum, desinit quærere in se ipso, vel in aliquo alio magnificari, nisi in Deo, neque etiam quærit magnificari in exterioribus bonis, scilicet honoribus, & divitiis. Nec per hoc timor filialis contrariatur spei: Non enim per timorem filialem timemus, ne nobis deficiant bona, quæ speramus obtinere per auxilium Divinum; sed timemus ab hoc auxilio nos subtrahere. Unde timor filialis, & spes, per amorem sibi invicem cohærent, & se invicem perficiunt, 2. 2. *q.* 19. *per totam*.

Quare ab Inn. XII. damn. hæc prop. *In statu vitæ contemplativæ, & unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris, & spei*. Et est secunda in ordine.

Unde Concil. Trid. *Sess.* 6. *Can.* 31. inquit. *Si quis dixerit iustificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur: anathema sit*. Et *Cap.* 11. circa finem videatur.

DE CHARITATE.

45. *Quær.* Quid sit Charitas? an sit virtus supernaturalis infusa, & excellentissima virtutum?

Resp. Div. Th. Charitas est amicitia quædam hominis ad Deum fundata supra communicationem beatitudinis æternæ. Hæc facultatem naturæ excedit, neque

que potest naturaliter nobis inesse, neque per vires naturales est acquisita, sed per infusionem Spiritus Sancti, qui est amor Patris, & Filii, cuius participatio in nobis est ipsa charitas, sicut dicit *Apostol. Rom.* 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Charitas igitur cum sit habitus infusus dependet ex actione Dei in infusione, & conservatione, sicut Sol in illuminatione aeris: & ideo sicut lumen statim cessat esse in aere per hoc quod aliquod obstaculum ponatur illuminationi Solis; ita etiam charitas statim deficit esse in anima per hoc quod aliquod obstaculum ponitur. Manifestum est, quod per quodlibet peccatum mortale, quod divinis præceptis contrariatur, ponitur prædictæ infusionis obstaculum, ex hoc ipso, quod homo præfert peccatum divinæ amicitiæ, & per consequens, statim per unum actum peccati mortalis habitus charitatis perdatur: quique habitus est excellentior fide, & spe, & per consequens omnibus aliis virtutibus, in quantum quod fides, & spes attingunt Deum secundum quod ex ipso provenit nobis cognitio veri, vel adeptio boni; sed charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, ut ei bonum velimus, non ut ex eo aliquod nobis proveniat, 2. 2. *q.* 23. *&* 24. *per totam*.

46. *Quær.* An dilectio charitatis, quæ sistit in Deo se extendat etiam ad proximum?

Resp. Div. Th. Dicitur 1. *Io.* 4. Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Idem habitus charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi; ratio enim diligendi proximum Deus est. Nam amicitia potest se extendere ad aliquem dupliciter, uno modo respectu sui ipsius, & sic amicitia nunquam est principaliter nisi ad amicum, alio modo se extendit respectu alterius: sicut si aliquis habet amicitiam ad aliquem, ratione cuius diligit omnes ad illum pertinentes, sive filios, sive servos, sive qualitercumque ei attinentes, & tanta potest esse dilectio amici, quod propter amicum amentur hi, qui ad ipsum pertinent, etiamsi nos offendant, vel odiant; & hoc modo amicitia charitatis se extendit ad omnes, etiam ad inimicos, quos diligimus ex charitate in ordine ad Deum, ad quem principaliter habetur amicitia charitatis, 2. 2. *q.* 25. *art.* 1. *in corp. & q.* 23. *art.* 1. *ad* 2.

47. *Quær.* An detur præceptum de charitate, & qualiter?

Resp. Div. Th. Quod Deus requirit a nobis cadit sub præcepto; requirit autem Deus ab homine, ut diligat eum, ut dicitur *Deuter.* 10. Ergo de dilectione charitatis, quæ est dilectio Dei, danda sunt præcepta. Cadit aliquid sub præcepto in quantum habet rationem debiti: per se quidem debitum est in unoquoque negotio id quod est finis, qui habet rationem per se boni: finis autem spiritualis vitæ est, ut homo uniatur Deo, quod fit per charitatem, & ad hoc ordinatur sicut ad finem. Et sub præcepto charitatis continetur, quod diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum. Nec est impossibile observare hoc præceptum charitatem non habenti, quia homo potest se disponere ad hoc, quod charitas ei infundatur a Deo; & quando habuerit eam, potest ea uti: nam quilibet tenetur quantum in se est ad habendam charitatem, & si non facit quod in se est, peccat peccato omissionis: non tamen oportet, quod in quolibet instanti, in quo non facit, peccet, sed tunc tantum, quando facere tenebatur, utpote si necessitas immineat maxime aliquid faciendi, quod sine charitate fieri non potest, ut Sacramenta accipere, vel de salute cogitare, vel aliquid huiusmodi facere, 2. 2. *q.* 44. *art.* 1. *& p.* 2. *q.* 100. *art* 10. *& q.* 23. *de veritate, art.* 7. *ad* 7. *&* 5.

Contraria asserta proscribuntur ab Alexan. VII. & Innoc. XI. in istis damnatis propositionibus.

1. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

6. *Probabile est, ne in singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.*

7. *Tunc solum obligat quando tenemur iustificari; & non habemus aliam viam, qua iustificari possumus.*

10. He-

70. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem*. Sub Pio V.

Conc. Triden. *Sess. 6. cap. 7.* inquit, *Fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit*. Et inferius: *Vitam æternam sine spe, & charitate fides præstare non potest*. Et *cap. 11.* ait: *Qui enim sunt filii Dei Christum diligunt*.

48. *Quær.* An convenienter detur præceptum de dilectione proximi?

Resp. Div. Th. Secundum præceptum est simile huic, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, ut dicitur *Matt.* 22. Ratio quidem diligendi tangitur ex eo, quod proximus nominatur. Propter hoc enim ex charitate diligere debemus alios, quia sunt nobis proximi, & secundum naturalem Dei imaginem, & secundum capacitatem gloriæ. Nec refert utrum dicatur proximus, vel frater, vel amicus, quia per omnia hæc eadem affinitas designatur. Modus autem dilectionis tangitur, cum dicitur, Sicut te ipsum; quod non est intelligendum quantum ad hoc, quod aliquis proximum sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi; & hoc tripliciter; Primo quidem ex parte finis, scilicet propter Deum, ut sic dilectio proximi sit sancta. Secundo, ut non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis, ut sit dilectio iusta. Tertio, ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligat aliquis proximum suum propter propriam utilitatem, vel delectationem, ut sic dilectio proximi sit vera. Nam cum quis diligit proximum propter suam utilitatem, vel delectationem, non vere diligit proximum, sed se ipsum, 2. 2. *q.* 44. *art.* 7.

49. *Quær.* Utrum in charitate sit aliquis ordo, & qualis sit iste ordo?

Resp. Div. Th. Oportet quod ubicumque est aliquod principium, sit etiam aliquis ordo prioris, & posterioris. Dictum est supra, quod dilectio charitatis tendit in Deum, sicut in principium beatitudinis, in cuius communicatione amicitia charitatis fundatur, & ideo oportet, quod in his, quæ ex caritate diliguntur, attendatur aliquis ordo, secundum relationem ad principium huius dilectionis, quod est Deus. Ordo quattuor diligendorum ex charitate in Scriptura præcipue exprimitur, cum dicitur *Cant.* 2. Ordinavit in me charitatem. Nam cum mandatur, quod Deum ex toto corde diligamus, datur intelligi, quod Deum super omnia debemus diligere. Cum autem mandatur, quod aliquis diligat proximum sicut se ipsum, præfertur dilectio sui ipsius dilectioni proximi; similiter cum mandatur 1. *Io.* 3. quod debemus pro fratribus animas ponere, idest vitam corporalem, datur intelligi, quod proximum debemus plus diligere, quam corpus proprium; similiter etiam cum mandatur *ad Galat. ult.* quod maxime operemur bonum ad domesticos, datur intelligi, quod inter proximos, meliores, & magis propinquos debemus eligere, & diligere, 2. 2. *q.* 26. *art.* 1. *in corp. & q.* 44. *art.* 8. *ad* 2. *& ad* 3.

50. *Quær.* Quare Deus super omnia sit diligendus?

Resp. Div. Th. Aliquid est causa dilectionis, quod est ratio diligendi. Et hoc modo bonum est causa diligendi, quia unumquodque diligitur in quantum habet rationem boni; Deus habet bonitatem essentialiter: proximus, & cætera participative; ergo magis debemus diligere Deum propter eius maiorem bonitatem, quam proximum. Sicut enim amicitia politica principalius respicit Principem Civitatis, a quo totum bonum Civitatis dependet; unde & ei maxime debetur fides, & obedientia a civibus, ita amicitia charitatis fundatur super communicatione beatitudinis, quæ consistit in Deo essentialiter, sicut in primo principio, a quo derivantur omnes, qui sunt beatitudinis capaces, & ideo principaliter maxime Deus est charitate diligendus. Ipse autem diligitur sicut beatitudinis causa; proximus autem sicut beatitudinem ab eo simul nobiscum participans. Immo *Aug. lib.* 1. *de Doct. Christ.* ait, Te ipsum non propter te debes diligere, sed propter Deum, quia unaquæque pars naturaliter plus amat commune bonum, quam particulare bonum proprium, ut apparet etiam in politicis: Cives pro bono communi dispendia propriarum rerum, & personarum interdum sustinent. Quare ex charitate magis debet homo diligere Deum, qui est bonum commune o-

 mnium,

nium, quam se ipsum, quam proximum, 2. 2. *q.* 26. *art* 2. *&* 3. *per totum*.

51. *Quær.* Quare homo ex charitate magis debeat diligere se ipsum, quam proximum?

Resp. Div. Th. Dictum est supra; Deus diligitur ut principium boni super quod fundatur dilectio charitatis. Homo autem se ipsum diligit ex charitate secundum rationem, qua est particeps prædicti boni; Proximus autem diligitur secundum rationem societatis in ipso bono, in participatione scilicet beatitudinis: quod homo ipse participet bonum divinum est potior, & immediata ratio diligendi, quam quod alius associetur sibi in tali participatione. Et ideo homo ex charitate debet magis se ipsum diligere, maxime quantum ad animam, quam proximum. Et huius signum est, quod homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, ut proximum liberet a peccato. Nam in spiritualibus non debet homo pati detrimentum peccando; proximum vero quantum ad salutem animæ, magis debemus diligere, quam corpus proprium; quantum enim ad participationem beatitudinis maior est consociatio animæ proximi ad animam nostram, quam etiam corporis nostri, 2. 2. *q.* 26. *art.* 4. *&* 5. *per totum*.

52. *Quær.* Utrum unus proximus sit magis diligendus, quam alius?

Resp. Div. Th. Dicit enim *Aug. in* 1. *de Doctrina Christiana cap.* 28. quod omnes homines æque diligendi sunt ex charitate, quia omnibus optare debemus bonum idem in genere, scilicet beatitudinem æternam; sed specialiter cum omnibus prodesse non possis, his potissime consulendum est, qui per locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi, quasi quadam sorte iunguntur, qui sunt magis quantum ad affectum intensiorem, & quantum ad exteriorem effectum diligendi quam alii, qui sunt tibi minus propinqui. Diversorum dilectio est mensuranda secundum diversam rationem coniunctionis: amicitia, puta consanguineorum, fundatur in coniunctione naturalis originis; amicitia autem concivium, in communione civili, & amicitia commilitantium in communicatione bellica; & ideo in his, quæ pertinent ad naturam, plus debemus diligere Consanguineos; in his, quæ pertinent ad civilem conversationem plus debemus diligere Concives; & in bellicis plus Commilitones. Amicitia autem Consanguineorum est stabilior, & maior: Unde specialiter in præceptis Decalogi mandatur de honoratione parentum, ut patet *Exod.* 20 & gravius peccat, qui contra hanc dilectionem operatur, quam qui agit contra dilectionem aliorum; nisi forte impediant nos a Deo, quia in hoc parentes propinqui non essent, sed inimici. Sed quo sunt meliores, eo sunt amabiliores 2. 2. *q.* 26. *per totum*.

53. *Quær.* An sit de necessitate charitatis, ut inimici diligantur; & signa dilectionis exhibeantur?

Resp. Div. Th. Dominus dicit *Matt.* 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Dilectio inimicorum multipliciter potest considerari; uno modo ut inimici diligantur, in quantum sunt inimici, & hoc est perversum naturæ, & charitati repugnans, quia hoc est diligere malum proprium, & malum alterius; alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, scilicet in universali, & sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis, ut scilicet aliquis diligens Deum, & proximum ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat; tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet in speciali aliquis moveatur motu dilectionis ad inimicum; hoc est etiam de necessitate charitatis, secundum præparationem animi, scilicet quod homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligat, si necessitas occurreret. Nam cùm ex charitate diligatur proximus propter Deum, quanto aliquis magis diligit Deum, tanto magis erga proximum dilectionem ostendit, nulla inimicitia impediente. Nam quamvis unaquæque res naturaliter odio habeat, quod est sibi contrarium, in quantum est sibi contrarium, & inimici sint nobis contrarii, in quantum sunt inimici; non autem nobis sunt contrarii, in quantum homines sunt, & membra totius humanæ naturæ, & beatitudinis capaces, in qua fundatur charitas. Et secundum hoc debemus eos diligere, & signa quædam, & beneficia dilectionis exhibere, quæ exhibentur proximis in com-

communi, puta cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit toti Communitati. Nam talia beneficia, vel dilectionis signa exhibere, est de necessitate præcepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ; contra id quod dicitur *Lev.* 19. Non quæres ultionem. Alia vero beneficia, vel dilectionis signa, quæ sunt specialiora aliquibus personis non sunt de præcepto, nisi secundum præparationem animi, ut scilicet inimico subveniatur in articulo necessitatis, secundum illud *Prov.* 25. Si exurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da illi potum. Extra articulum necessitatis pertinet ad perfectionem charitatis: dum non solum cavet propter iniuriam sibi illatam detrahi ad odium, sed etiam propter sua beneficia intendit inimicum pertrahere ad suum amorem, 2. 2. *q.* 25. *art.* 8. *&* 9.

In hac materia adsunt duæ propositiones ab Innoc. XI. damnatæ. In ord. 10. *Non tenemur Proximum diligere actu interno, & formali.*

Et 11. *Precepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

54. *Quær.* An peccatores vere diligant se ipsos, & an sint diligendi?

Resp. Div. Th. In *Psal.* 10. dicitur. Qui diligit iniquitatem odit animam suam. Principale in homine est mens, sive anima rationalis. Secundarium autem est natura sensitiva, & corporalis. Mali magis æstimant naturam sensitivam corporalem, unde non recte cognoscentes se ipsos, non vere diligunt se ipsos; sic cupiunt exteriora bona, & spiritualia contemnunt. Unde secundum culpam, quæ Deo adversatur, sunt odiendi quicumque peccatores, etiam pater, & mater, & propinqui. Secundum vero naturam, quam habent a Deo, & cum sint in statu viæ, & capaces beatitudinis, super cuius communicatione fundatur charitas, sunt ex charitate diligendi. Quare debemus in peccatoribus odire quod peccatores sunt, & culpam, & diligere quod homines sunt, & beatitudinis capaces, si tollatur impedimentum peccati, & sic eos ex charitate diligere propter Deum, 2. 2. *q.* 25. *art.* 6. *&* 7.

55. *Quær.* An zelus sit effectus amoris?

Resp. Div. Th. Zelus quocumque modo sumatur ex intensione amoris provenit; nam ut *Aug.* dicit in *lib.* 83. *Q. q.* 35. *&* 36. Intensus amor quærit excludere omne id quod sibi repugnat. Aliter tamen hoc contingit in amore concupiscentiæ, & aliter in amore amicitiæ; nam in amore concupiscentiæ, qui intense aliquid concupiscit, movetur contra omne illud, quod repugnat consequutioni, vel fruitioni quietæ eius, quod amatur, & hoc modo viri dicuntur zelare uxores, ne per consortium aliorum impediatur singularitas, quam unice quærunt: amor autem amicitiæ quærit bonum amici, unde quando est intensus facit hominem moveri contra omne illud, quod repugnat bono amici: & secundum hoc *Gregor.* dicit *Homil.* 12. *super Ezechiel.* Quod nullum sacrificium est Deo magis acceptum, quam zelus animarum. Aliquis etiam dicitur zelare pro Deo, quando ea, quæ sunt contra honorem, & voluntatem Dei repellere secundum posse conatur; secundum illud 3. *Reg.* 19. Zelatus sum pro Domino Deo exercituum; & *Io.* 2. Super illud, Zelus domus tuæ comedit me, dicit *Glos.* Quod bono zelo comeditur, qui quælibet prava, quæ viderit corrigere satagit, si nequit, tolerat, & gemit, 1. 2. *q.* 28. *art.* 4. *&* 2. 2. *q.* 182. *art.* 2. *ad* 3.

56. *Quær.* An Pax sit proprius effectus charitatis?

Resp. Div. Th. Unio est de ratione pacis, quæ unio duplex est; una est secundum ordinationem propriorum appetituum in unum, alia vero secundum unionem appetitus proprii cum appetitu alterius, & utraque unio, secundum quod Deus diligitur ex toto corde, ut scilicet omnia referamus in ipsum, & sic omnes appetitus nostri referuntur in unum. Alia prout diligimus proximum sicut nosmetipsos, ex quo contingit, quod homo vult implere voluntatem proximi sicut & sui ipsius. Nam amicorum est idem velle, & nolle, ut *Tullius* dicit in *lib.* 3. *de amicitia*. Ad amicitiam tamen non semper pertinet concordia in opinionibus, sed concordia in bonis conferentibus ad vitam. Et propter hoc nihil prohibet aliquos charitatem habentes in opinionibus dissentire. Nec hoc repugnat paci, quia opiniones pertinent ad intellectum, qui præcedit appetitum: qui per

pacem unitur. Procedit enim dissensio ex diversitate opinionum, dum unus æstimat hoc, de quo est dissensio, pertinere ad illud bonum, in quo conveniunt, & alius æstimat non pertinere. Dissensio de minimis, & de opinionibus non repugnat paci imperfectæ, qualis habetur in via. Pax enim perfecta consistit in perfecta fruitione summi Boni, per quem omnes appetitus uniuntur quietati in uno, qui est ultimus finis creaturæ rationalis. Pax, quæ habetur in hoc mundo, etsi in iustis principalis animæ motus quiescat in Deo; sunt tamen aliqua repugnantia, & intus, & extra, quæ perturbant hanc pacem, 2. 2. *q.* 29. *per totam*.

57. *Quær.* An ad habendam pacem, & charitatem teneamur conformari voluntati Divinæ?

Resp. Div. Th. Quilibet tenetur suam voluntatem conformare Divinæ, tam ex parte veliti, quam ex parte rationis volendi, sive ex parte finis, quam ex parte medi; & tunc voluntas nostra dicitur esse conformis Divinæ, quando aliquis vult aliquid ex charitate sicut Deus. Primum enim in unoquoque genere debet esse mensura, & ratio omnium, quæ sunt illius generis, nam unumquodque est rectum, & bonum in quantum attingit mensuram; Deus est mensura omnis bonitatis, & Divina voluntas omnis bonæ voluntatis: cum ad habendam pacem, & charitatem teneatur quis ad habendam bonam voluntatem, tenebitur ad habendam voluntatem suam, Divinæ voluntati conformem, *q.* 23. *de verit. art.* 7. *&* 1. 2. *q.* 19. *art.* 9. *&* 1. *sent. dist.* 48. *art.* 3.

58. *Quær* Quomodo teneamur conformare voluntatem nostram Divinæ, cum illam ignoramus?

Resp. Div. Th. In præsenti voluntas Dei plenarie nobis nota esse non potest, unde nec plenarie voluntatem nostram eius voluntati possumus conformare, sed secundum quod cognoscimus conformare possumus, & tenemur. Nam licet finem proprium aliquando scire non possumus, finem tamen ultimum, a quo est omnis bonitas in finibus proximis scire possumus, ut scilicet omnia in Deum ordinemus, *q.* 23. *de veritate, art.* 7. *ad* 1. *&* 1. *sent. dist.* 48. *art.* 3. *ad* 6.

59. *Quær.* An si Deus alicui revelaret suam damnationem, quomodo teneretur tunc voluntatem suam Divinæ conformare?

Resp. Div. Th. Quod iste casus est quasi impossibilis, quia nulli sua damnatio revelatur, sicut etiam nec Angelis, ut dicit *Aug.* Si tamen revelaretur, posset credere secundum comminationem, & non secundum præscientiam dictum; tenetur tamen velle istum ordinem iustitiæ, quod si in peccatis moritur, damnatur, quia hoc est, quod Deus vult, & non damnationem per se, neque culpam, tenetur velle iustitiam Dei servari, quam Deus intendit in damnatione sua. Multo magis in temporalibus, puta in morte patris, vel matris, vel amici, nam in supradictis vult Deus ordinem naturæ servari, sic tenetur homo etiam ipse velle talem ordinem sive naturæ, sive iustitiæ servari, 1. *sent. dist.* 48. *art.* 4. *ad* 1. *&* 1. 2. *q.* 19. *art.* 10. *ad* 3. *q.* 23. *de verit. art.* 8. *ad* 2.

60. *Quær.* An beneficentia sit actus charitatis?

Resp. Div. Th. Beneficentia consequitur amorem ex ea parte, qua movet superiora ad provisionem inferiorum, cum dilectio charitatis se extendat ad omnes, etiam beneficentia se debet extendere ad omnes pro loco, & tempore. Omnes enim actus virtutum sunt secundum debitas circumstantias limitandi. Simpliciter loquendo non possumus omnibus benefacere in speciali. Nullus est tamen, de quo non possit occurrere casus, in quo oporteat ei benefacere, etiam in speciali; et ideo charitas requirit, ut homo etiam si non actu aliquibus benefacit, habeat tamen hoc in animi sui præparatione, ut benefaciat cuicumque, si tempus, & locus adesset. Homines possunt pati multiplices defectus, & qui est superior secundum aliquid, vel est, vel potest esse inferior secundum aliud, & sic aliquod beneficium possumus omnibus impendere, si non in speciali, saltem in generali: sicut cum oramus pro omnibus fidelibus, & infidelibus, subveniendum est etiam peccatoribus, quantum ad subventionem naturæ, & animæ, non autem ei subveniendum ad fomentum culpæ, hoc enim non esset benefacere, sed potius malefacere, 2. 2. *quæst.* 31. *articul.* 2. *per totum*.

61. *Quær.*

61. *Quær.* An eleemosyna sit specialis effectus misericordiæ, & actus charitatis?

Resp. Div. Th. Eleemosyna est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum, quod quidem motivum pertinet ad misericordiam: Nam in græco eleemosyna a misericordia derivatur, sicut latine miseratio; & quia misericordia est effectus charitatis, ex consequenti dare eleemonsyam est actus charitatis misericordia mediante. Non tantum consistit in collatione pecuniæ, sed etiam in aliis obsequiis propter Deum proximis factis. Unde si alicui pecunia desit, non tamen facultas dandi eleemosynam deest; & si deesset omnino facultas respectu eleemosynarum corporalium propter penuriam rerum, non tamen deesset facultas respectu eleemosynarum spiritualium, quia posset aliter vel consulere, vel orare saltem, & si etiam facultas omnino deesset, voluntas completa sufficeret. Septem sunt eleemosynæ corporales, scilicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captivum, & sepelire mortuum, quæ omnia hoc versu continentur. *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo*. Septem pariter ponuntur eleemosynæ spirituales, scilicet, Docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos, & graves, pro omnibus orare; quæ omnia hoc versu continentur. *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora*. Simpliciter loquendo eleemosynæ spirituales præeminent, quia spiritus nobilior est corpore: in aliquo particulari casu corporalis eleemosyna alicui spirituali præfertur, puta magis est pascendus fame moriens, quam docendus, sicut indigenti secundum Philosophum melius est ditari, quam philosophari, quamvis hoc sit simpliciter melius, 2. 2. *q.* 32. *art.* 1. *&* 2. *&* 3. *&* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 2. *art.* 1. *&* 3.

62. *Quær.* An eleemosyna sit in præcepto?

Resp. Div. Th. Cum dilectio proximi sit in præcepto necesse est omnia illa cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conservatur: ad dilectionem proximi pertinet, ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur secundum illud, 1. *Io.* 3. Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate; secundum quod recta ratio requirit, secundum quam est aliquid considerandum ex parte dantis, & aliud ex parte eius, cui est eleemosyna danda. Ex parte quidem dantis considerandum est, ut id, quod est in eleemosyna erogandum sit ei superfluum secundum illud, *Luc.* 14. *Quod superest date eleemosynam*. Superfluum scilicet non solum respectu sui ipsius, sed etiam respectu aliorum, quorum cura sibi incumbit secundum statum præsentem, nec oportet quod consideret omnes casus necessitatis, qui sibi possunt contingere in futurum, quod est de crastino cogitare, quod Dominus prohibet, *Matth.* 6. Ex parte autem recipientis requiritur, quod necessitatem habeat, sed cum non possit ab aliquo uno omnibus necessitatibus subveniri, non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed illa sola, sine qua quis sustentari non potest: in hoc casu locum habet, quod *Ambrosius* dicit, pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti. Sic dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate, est in præcepto: non tamen est expectanda ultima necessitas, quia tunc forte non posset iuvari: alias autem eleemosynas dare est in consilio. Non est vero danda eleemosyna alicui, ut luxurietur, sed ut inde sustentetur, circa quod est discretio adhibenda propter diversas conditiones hominum, quorum quidem delicatioribus nutriti indigent magis delicatis cibis, aut vestibus; consideranda est ætas, atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, ut si quis ex divitiis in ægestatem cecidit, si sine vitio suo, quandoque est melius pluribus indigentibus largiri, ut non uni, sed pluribus prosit. 2. 2. *q.* 32. *per totam*.

Adest prop. damn. ab Inn. XI.

12. *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo status*.

63. *Quær.* An eleemosyna possit fieri de iniuste acquisitis?

Resp. Div. Th. Tripliciter potest aliquid esse illicite acquisitum, uno modo, quod illicite ab aliquo acquiritur, debetur ei, a quo est acquisitum, nec potest

ab

ab eo retineri qui acquisivit, sicut contingit in rapina, & furto, & usuris. De talibus cum homo teneatur ad restitutionem, eleemosyna fieri non potest: alio modo est aliquod illicite acquisitum quando datio, & acceptio est contra legem, sicut contingit in Simonia, unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit; sed debet in eleemosynas erogari. Tertio modo est aliquid illicite acquisitum contra legem Dei, sed in eo, quod accipit non iniuste agit; sicut patet de eo quod mulier aquirit per meretricium, quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosyna fieri, 2. 2. *q.* 32. *art.* 7.

64. *Quær.* Quibus, & quo ordine sit facienda eleemosyna?

Resp. Div. Th. Ex parte necessitatis talis debet esse ordo, ut prius absolute necessitati subveniatur, quam alicui necessitati conditionatæ, quæ est cum quis indiget aliquo ad sui status decentem conservationem: & ideo præceptum legis ad hoc obligat, ut illud, quod superest alicui, post subventionem sui, & sibi coniunctis, puta familiæ, quam gubernare debet respectu utriusque necessitatis, in eleemosynas expendat ad subveniendum aliis, respectu utriusque dictarum necessitatum; & similiter præceptum legis obligat, quod etiam necessitati extraneorum absolute primo subveniatur, quam necessitati propriæ; vel propinquorum conditionatæ. Et ideo dictum est, quod dare eleemosynam de superfluo cadit in præcepto, & sic homo debet dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate de eo, quod ei est necessarium necessitate secunda, non autem de eo, quod ei est necessarium necessitate prima, quia hoc esset contra ordinem charitatis. Nam nobis, & magis coniunctis magis providere debemus. Est autem circa hoc discretionis ratio adhibenda secundum differentiam coniunctionis, utilitatis, & sanctitatis, nam multo sanctiori, & magis indigentiam patienti, & magis utili ad commune bonum, est magis eleemosyna danda. Clericis aliquando etiamsi ipsi non indigeant, eleemosynæ dantur, ut ministris pauperum, & dispensatoribus eleemosynarum. Distributor eleemosynarum potest & ipse sibi accipere si indigeat, eo tenore, quo & aliis ministrat. Peccatoribus non est subveniendum in quantum sunt peccatores, id est ut per hoc in peccato foveantur, sed in quantum homo est, id est ut natura sustentetur, 2. 2. *q.* 32. *art.* 9. *&* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 4. *& alibi*.

65. *Quær.* An filii familias, uxor, & alii, qui sunt sub alterius potestate, ut monaci, & servi possint facere eleemosynas?

Resp. Div. Th. Ille, qui est sub potestate alterius constitutus in quantum huiusmodi secundum superioris potestatem regulari debet; unde eleemosynam facere non debet, nisi quatenus ei a superiore fuerit commissum. Unde Monacus non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis vel expresse habita, vel probabiliter præsumpta: nisi forte in articulo extremæ necessitatis. Idem dicendum est de servis, qui tamen de pretio sui servitii possunt eleemosynas facere, neque filii familias possunt facere eleemosynam, nisi forte aliquam modicam, de qua potest præsumere, quod Patri placeat. Uxor si habet alia præter dotem, quæ ordinatur ad sustentandum onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo potest dare eleemosynas etiam irrequisito consensu viri, moderatas tamen; alias autem non debet dare eleemosynas sine consensu viri vel expresso, vel præsumpto, nisi in articulo necessitatis; nam in his, quæ ad dispensationem domus pertinent, vir caput est mulieris, 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *per totum*, *&* 4. *sent. dist.* 15.

66. *Quær.* Ad quid valeat eleemosyna?

Resp. Div. Th. Eleemosyna valet ad omnia peccata delenda; liberat autem eleemosyna a peccato hominem in statu viæ existentem, dupliciter, vel impediendo peccatum futurum, vel a præterito liberando, in quantum disponit eum, qui iam in peccatum incidit, ad gratiam recuperandam, & ad bona promovenda, quia promeretur specialem Dei misericordiam. Unde eleemosyna completius habet vim satisfactionis quam etiam ipsa oratio, & dicitur universalis medicina peccati; sed etiam respectu præmii accidentalis, ut puta remissionis pœnæ, vel alicuius huiusmodi, magnificatur efficacia eleemosynæ ex magnitudine dati, & etiam

ex

ex affectu; potest enim esse tam intensa voluntas, quod etiam omnem pœnam absorbeat, & reatum, sicut de contritione dicitur, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiun.* 2. *&* *sup. cap.* 4. *primæ ad Timoth.*

67. *Quær.* De obligatione eius, cui fit eleemosyna erga dantem?

Resp. Div. Th. Eleemosyna eum constituit, cui datur, debitorem primo ad orandum, & ieiunandum, & alia bona, quæ potest faciendum pro eo, qui dedit, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiun.* 2. *in corpore*, *&* *quæst.* 3. *in corp.*

DE CORRECTIONE.

68. *Quær.* An fraterna correctio sit actus charitatis?

Resp. Div. Th. Fraterna correctio est admonitio fratris ad emendationem delictorum fraterna charitate procedens: Duplex est correctio delinquentis; una quidem, quæ adhibet remedium peccato in quantum est quoddam malum ipsius peccantis, & ista est proprie fraterna correctio, quæ ordinatur ad emendationem delinquentis, & talis correctio pertinet ad quemlibet charitatem habentem sive sit subditus, sive sit Prælatus. Est & alia correctio, quæ est actus iustitiæ per quam intenditur bonum commune, quod non solum procuratur per admonitionem fratris, sed etiam interdum per punitionem, ut alii a peccato timentes desistant, propterea dicitur actus iustitiæ, cuius est conservare rectitudinem iustitiæ unius ad alterum. Et talis correctio pertinet ad solos Prælatos, qui non solum habent admonere, sed etiam corrigere puniendo. Et magis debent exhibere correctionem illis, qui sunt suæ spirituali curæ commissi, 2. 2. *q.* 33. *art.* 1. *&* 3. *&* 4. *sent. dist.* 19. *art.* 1. *in corp.* *&* *ad* 6.

69. *Quær.* An correctio fraterna sit in præcepto, & quando?

Resp. Div. Th. Correctio fraterna cadit sub præcepto observatis debitis circumstantiis, quæ requiruntur, ad hoc ut correctio sit actus virtutis, ut scilicet fiat ubi debet, & quando debet, & secundum quod debet, non autem ita quod quolibet loco, vel tempore frater delinquens corrigatur. Et cum duplex, ut dictum est, sit correctio delinquentis, una quidem pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam, talis correctio non est dimittenda propter turbationem eius, qui corripitur, vel etiam amicorum eius; ut unius exemplo alii deterreantur. Alia vero est correctio fraterna simpliciter, cuius finis est emendatio deliquentis non habens coactionem, sed simplicem admonitionem; & ideo ubi probabiliter æstimatur, quod peccater admonitionem non recipiat, sed ad peiora labatur, est ab huiusmodi correctione desistendum, quia ea, quæ sunt ad finem debent regulari secundum quod exigit ratio finis. Unde *Aug. in lib.* 1. *cap.* 9. *de Civitate Dei*, dicit: Si quisque obiurgandis, & corripiendis male agentibus pavit, quia opportunum tempus inquiritur, vel metuit ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam creditos impediant, aut aliquos infirmos præmant, atque avertant a fide, non videtur omissio cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. Prætermittitur vero fraterna correctio cum peccato mortali, quando scilicet formidatur iudicium vulgi, & carnis excruciatio, dum tamen hæc dominentur in animo, quod fraternæ charitati præponantur; & hoc videtur contingere, quando aliquis præsumit de aliquo delinquente probabiliter, quod posset eum a peccato retrahere, & tamen propter timorem, vel cupiditatem prætermittitur correctio: si solum tardiorem faceret hominem ad corrigendum delicta fratris, esset tantum peccatum veniale, & hoc modo quandoque etiam viri sancti negligunt corrigere delinquentes. In omnibus bonis agendis operatio hominis non est efficax nisi adsit auxilium divinum, tamen homo debet facere quantum in se est, & sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri. Propterea omnibus debemus fraternæ correctionis officium impendere sub spe divini auxilii, nam correctio non est sufficiens sine Dei auxilio, *Eccl.* 7. Considera opera Dei quod nemo possit corrigere quem ille despexerit, *p.* 2. *q.* 109. *art.* 8. *&* 2. 2. *q.* 23. *art.* 2. *in corp.* *&* *ad* 3. *&* *art.* 6. *in corp.* *&* *ad* 1.

Concil. Trid. *Sess.* 7. *Cap.* 3. *Ecclesiarum Prælati ad Corrigendum subditorum*

rum excessus prudenter, & diligenter intendant.

70. *Quar.* An subditi possint corrigere Prælatum, & seniores delinquentes, & qualiter?

Resp. Div. Th. Correctio, ut est actus iustitiæ per correctionem pœnæ, non competit subditis respectu Prælati, sed correctio fraterna, quæ est actus charitatis pertinet ad unumquemque respectu cuiuslibet personæ, ad quam charitatem debet habere, si in eo aliquid corrigibile inveniatur, inspectis debitis circumstantiis. Ideo in correctione, qua subditi corrigunt Prælatum debet modus congruus adhiberi, idest non cum protervia, & duritia, sed cum mansuetudine, & reverentia, & in occulto. Seniorem pariter ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem, ut dicit, *Apostolus ad Timoth.* 5. Sciendum tamen est quod ubi immineret periculum fidei, publice essent Prælati, & seniores ab inferioribus arguendi propter imminens periculum scandali circa fidem: nam ille, qui habet sanum rationis iudicium potest alterius delictum corrigere, & quantum ad hoc est superior habendus, 2. 2. *q.* 33. *art.* 3. & 4. *in corpor.* & *ad* 2. & 4. *sent. dist.* 19.

71. *Quar.* An sint quærendi peccatores, ut corrigantur?

Resp. Div. Th. Quod illa beneficia, quæ non debentur certæ personæ, sed communiter omnibus proximis sive sint corporalia, sive spiritualia, non oportet nos quærere, quibus impendamus, sed sufficit, quod impendamus eis, qui nobis occurrunt, hoc etiam pro quadam forte habendum est, ut *Aug.* dicit in pr. de Doctrina Christiana, & propter hoc dicit in *lib. de verbis Domini*, quod admonet nos Dominus noster non negligere invicem peccata nostra, non quærendo quid reprehendas. sed videndo quid corrigas, alioquin efficeremur exploratores vitæ aliorum contra id, quod dicitur *Prov.* 24. Ne quæras impietatem in domo iusti: Unde nec religiosus oportet exire claustrum ad corrigendum delinquentes, 2. 2. *q.* 33. *art.* 2. *ad* 4.

72. *Quar.* An Peccator possit alios corrigere?

Resp. Div. Th. Correctio delinquentis pertinet ad aliquem, in quantum viget in eo rectum iudicium rationis, peccatum non tollit totum, quin remaneat in peccante aliud de recto iudicio rationis, & secundum hoc potest sibi competere delictum arguere; sed tamen per peccatum præcedens impedimentum quoddam huic correctioni affertur; quia ex peccato præcedenti, præcipue si sit maius, & notorium, indignus redditur, ut alium corrigat. *Quid vides festucam &c.* ut habetur *Matth.* 7 Secundo redditur indebita correctio propter scandalum, si peccatum corripientis sit manifestum, quia videtur, quod ille, qui corrigit non corrigat ex charitate, & amore virtutis, sed magis ad ostentationem, ut exponit *Chrysostom.* illud idem *Matth.* 7. *Quomodo dices fratri tuo &c.* in quantum scilicet quis propria peccata parvipendens, peccata aliorum austera severitate diudicat, ac si ipse esset iustus. At si peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, licet pro suo peccato præterito condemnabilem se esse ostendat, unde si aliquem quis peccare viderit, potest eum admonere, ne per modum corripientis, sed potius per modum rogantis, & congemiscat, & ad æqualiter conandum invitet ad pœnitendum, 2. 2. *q.* 33. *art.* 5. & 4. *sent dist.* 19. *art.* 2. & 2. 2 *q.* 60. *art.* 2. *ad* 3.

73. *Quar.* Quid agere debemus, ut fructuosa sit correctio?

Resp. Div Th. *Aug.* dicit *lib.* 2. *cap.* 30. *de Sermone Domini*. Corrigere vitia officium est bonorum virorum, & benevolorum. Cogitemus igitur cum aliquem reprehendere nos necessitas cogit, utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus & tunc cogitemus, nos homines esse, & habere potuisse, vel tale, quod aliquando habuimus, & iam non habemus, & tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut illam correctione non odium, sed misericordia præcedat, ut & Deus in peccatore intrinsecus, occulta inspiratione, operetur emendationem, si qui corripitur filius est promissionis, 2. 2. *q.* 33. *art.* 5. & *p.* 2. *q.* 109. *art.* 8. *ad* 2.

Concil. Triden. *Sess.* 13. *de refor. cap.* 1. inquit. *Sæpe plus erga corrigendos agit benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam potestas. Si ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum man-*

mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est. Ut sine asperitate disciplina salutaris, ac necessaria conservetur, & qui correcti fuerint emendentur.

74. *Quær.* Quomodo sit intelligendus ordo evangelicus fraternæ correctionis. An admonitio debeat præcedere denunciationem?

Resp. Div. Th. Circa publicam denunciationem peccatorum distinguendum est, aut enim peccata sunt publica, aut sunt occulta, si quidem sunt publica, non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut melior fiat, sed aliis, in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur, & ideo talia peccata sunt publice arguenda. Si vero sint peccata occulta, sic videtur habere locum, quod Dominus dicit, *Si peccaverit in te frater tuus:* Sed quia etiam in occultis peccatis potest parari proximorum offensa, ideo adhuc videtur distinguendum esse quædam peccata occulta, quæ sunt in nocumenta proximorum vel corporale, vel spirituale, puta si aliquis occulte tractet quomodo Civitas tradatur hostibus, vel si peccatum sit infectivum aliorum, sicut est hæresis, quando hæreticus privatim homines a fide avertit, vel aliquid huiusmodi, (*puta sollicitatio in confessione*,) debet absque ulla admonitione denuntiari Prælato, ut gregi suo caveat, sicut enim dicit *Hieronymus*; Quæ misericordia est parcere uni, & multos in discrimen adducere? polluitur populus ex uno peccatore, sicut ex una ove morbida universus grex; semper enim bonum multorum debet præferri bono unius, unde etiam fama unius negligi debet, ut innocentia, vel fama multitudinis conservetur: abscindatur membrum minus principale, ut vita totius conservetur. Quædam vero peccata sunt solum in malum peccantis, quæ semel, vel iterum occasione peccandi oblata in peccatum ruit, & postea tristitiam, & verecundiam de peccato ostendit: signum est peccatum esse ex passione, vel infirmitate, & quod de facile emendetur: si ergo emendatio speretur, debet admonitio præcedere, & denunciatio differri, quo usque videatur quomodo emendetur peccator. Ita ille qui studet emendationi fratris debet, si potest sic emendare fratrem quantum ad conscientiam, ut fama eius conservetur, quæ quidem est utilis, primo quidem & ipsi peccanti non solum in temporalibus, in quibus quantum ad multa homo patitur detrimentum amissa fama, sed etiam quantum ad spiritualia, quia præ timore infamiæ multi a peccato retrahuntur, nam quando se infamatos conspiciunt irrefrenate peccant. Unde *Hieronym.* dicit: Corripiendus est seorsim frater, ne si semel pudorem, vel verecundiam amiserit, permaneat in peccato. Secundo debet conservari fama fratris peccantis, tum quia uno infamato alii plurimi infamantur, secundum illud *Aug. in epistola* 137. *tom.* 2. *ad plebem Hipponensem*, Cum de aliquibus religiosis, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur; tum etiam quia ex peccato unius publicato, alii provocantur ad peccandum. Unde sic potest esse de necessitate præcepti, quod secreta admonitio publicam denunciationem præcedat, 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. *&* 4. *sent. dist.* 19. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiuncula* 1. *ad* 2. *quodlib.* 11. *quæst.* 10. *art.* 1. *in corp. omnia simul contexta.*

Concil. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 8. *Apostolus monet publice peccantes palam esse corripiendos.* Et *Sess.* 13. *cap.* 1. *& ubi morbi gravitas ita postulet ad acriora, & graviora remedia descendere; sin autem ne ea quidem proficiant, illis submovendis, cæteros saltem a contagionis periculo liberare oportet.*

Recolatur Prop. dam. ab Alex. VII. circa hæresim, & circa sollicitationem.

75. *Quær.* An peccet qui statim cum scit fratrem suum peccasse, denunciat Prælato?

Resp. Div. Th. In his distinguendum est: nam si ego scio, quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare Prælato. Si autem videtur, quod melius fiat per Prælatum, & Prælatus sit pius, discretus, & spiritualis, tunc licite potest hoc illi denuntiare, & tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei, sicut Prælato, sed sicut Patri, & personæ proficienti ad correctionem proximi, & emendam. Sed propter conditiones diversas Prælatorum, & subditorum non potest in hoc dari generale iudicium, quia

aliquando Prælatus movetur ad odium, & rancorem adversus subditum, vel subditus non bene ferret verba Prælati, ideo tenendum est hoc pro regula, quod in omnibus istis semper servanda est charitas, & quod melius, & magis expedire videtur, & si hoc intendat scilicet emendam proximi, & bonum charitatis, tunc denuntiando non peccat, si vero denunciet ex malitia, & ut proximus confundatur, vel deprimatur, tunc denuntians, sive accusans peccat mortaliter, *Quodlib. 11. art. 13. in corpor. quodlib. 1. art. 16. ad. 1.*

76. *Quær.* An valeat præceptum Prælatorum, qui volunt peccata occulta revelari?

Resp. Div. Th. Quando Prælatus præcipit, ut sibi dicatur, quod quis sciverit corrigendum, intelligendum est præceptum sane, salvo ordine fraternæ correctionis, sive præceptum fiat communiter ad omnes, sive ad aliquem specialiter. Sed si specialiter, & expresse præciperet contra ordinem a Domino institutum, & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens. Unde non esset ei obediendum, quia Prælatus in hoc non est index, sed solus Deus; & non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis, nisi inquantum per aliqua iudicia manifestantur, puta per infamiam, vel per aliquas suspiciones, in quibus casibus potest Prælatus præcipere eodem modo, sicut & iudex sæcularis, vel ecclesiasticus potest exigere iuramentum de veritate dicenda, 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. *ad* 5.

77. *Quær.* An Testium inductio debeat præcedere publicam denunciationem?

Resp. Div. Th. Quia de uno extremo, ad aliud extremum convenienter transitur per medium, in correctione fraterna voluit Dominus, quod principium esset occultum, dum frater corriperet fratrem inter se, & ipsum solum, finem autem voluit esse publicum, ut scilicet Ecclesiæ denuntietur, & ideo convenienter in medio ponitur Testium inductio, ut paucis indicetur peccatum fratris, qui possint prodesse, & non obesse, ut saltem sine multitudinis infamia emendetur, 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. *&* 4. *sent. dist.* 19. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiuncula* 2.

DE VITIIS CHARITATI OPPOSITIS.

78. *Quær.* Quid sit odium Dei, & an sit peccatum?

Resp. Div. Th. Ex supradictis patet, quod odium est quidam motus appetitivæ potentiæ, inquantum puta apprehenditur Deus peccatorum prohibitor, & pœnarum inflictor; & cum peccatum consistat in aversione a Deo, ut etiam supra dictum est, & cum hæc voluntaria aversio per se quidem importetur in odio Dei, inde odium Dei inter alia peccata est gravissimum charitati oppositum, 2. 2. *q.* 34. *art.* 1. *&* 2.

79. *Quær.* An odium proximi sit etiam ex genere peccatum?

Resp. Div. Th. Odium amori opponitur, ut supra dictum est. Unde tantum habet odium de ratione mali, quantum amor habet de ratione boni; licet quidem habere odio peccatum in fratre, & omne illud, quod pertinet ad defectum Divinæ iustitiæ; sed ipsam naturam, & gratiam fratris non potest aliquis habere odio sine peccato. Per odium deordinatur voluntas, & si quid est culpæ in exterioribus peccatis, quæ contra proximum committuntur, totum est ex interiori odio, 2. 2. *q.* 34. *art.* 3.

Quare infrascriptæ proscribuntur propositiones ab Inn. XI.

13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquid temporale emolumentum*, & 14. & 15. Videantur suo loco.

De Invidia dictum est superius in *quæst. de vitiis Capitalibus*, sicut etiam de Acedia.

80. *Quær.* Hic, quid sit, & quale peccatum discordia?

Resp. Div. Th. Discordia concordiæ opponitur; concordia autem ex charitate causatur, inquantum scilicet charitas multorum corda coniungit in aliquod unum, quod est principaliter quidem bonum Divinum, secundario autem bonum proximi. Unde per se discordat aliquis proximo, quando scienter, & ex in-

intentione dissentit a bono Divino, & a proximi bono, in quo debet consentire; & hoc est peccatum mortale ex suo genere propter contrarietatem ad charitatem; licet primi motus huius discordiæ propter imperfectionem actus sint peccata venialia. Rixa non est idem quod discordia, nam rixa consistit in exteriori agere, sed discordia consistit in disiunctione voluntatum, 2. 2. *quæst.* 37. *art.* 1.

81. *Quær.* Quid sit contentio, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Contendere est contra aliquem tendere, sicut discordia contrarietatem quamdam importat in voluntate, ita contentio contrarietatem quamdam importat in locutione. Si accipiatur contentio secundum quod importat impugnationem veritatis, quando quis in iudicio impugnat veritatem iustitiæ, & in disputatione impugnat veritatem doctrinæ, & inordinatum modum cum confidentia clamoris, sic est peccatum mortale. Si accipiatur contentio in iudicio, vel disputatione secundum imperfectam rationem, scilicet secundum quod importat quamdam acrimoniam locutionis, sic non semper est mortale; nisi forte tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc generetur scandalum aliorum. Unde *Apost.* cum dixisset ad *Timoth.* 2. Noli verbis contendere; subdit, ad nihil utile enim est, nisi ad subversionem audientium. Si autem contentio dicatur impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniæ, sic contentio potest dici laudabilis, 2. 2. *q.* 38. *art.* 1.

82. *Quær.* Quid sit rixa, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Sicut contentio importat quamdam contradictionem verborum, ita etiam rixa importat quamdam contradictionem in factis. Unde super illud ad *Galat.* 5. dicit *Glos.* quod rixæ sunt, quando ex ira invicem se percutiunt ex privata inordinata voluntate; & ideo rixa semper importat peccatum, in eo quidem, qui alterum invadit iniuste, est peccatum mortale propter nocumentum, quod proximo infertur; in eo autem, qui se defendit, potest esse sine peccato; quandoque cum peccato veniali, & quandoque cum peccato mortali, secundum diversum modum animi, & diversum modum se defendendi; nam si solo animo repellendi iniuriam illatam, & cum debita moderatione se defendat non est peccatum, si vero cum animo vindictæ, vel odii, vel cum excessu debitæ moderationis se defendat, semper est peccatum, veniale quidem, quando aliquis levis motus odii, vel vindictæ se immiscet, vel cum multum excedit moderatam defensionem; mortale autem quando obfirmato animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum, vel eum graviter lædendum, & rixosus semper ad contradicendum paratus est, & iurgio delectatur, & provocat contendentem, 2. 2. *q.* 41. *art.* 1.

83. *Quær.* An sit licitum litigare?

Resp. Div. Th. Potest esse illicitum quantum ad quatuor. Primo quidem quantum ad causam ex qua aliquis iudicium habet, puta ex cupiditate, & avaritia. Secundo quantum ad modum iudicii, quia scilicet cum contentione, & detrimento pacis iudicium prosequitur; tertio ex perversitate iudicii, puta cum aliquis fraudolenter in iudicio procedit; quarto propter scandalum, quod sequitur: Unde Dominus mandat, *Matth.* 5. Qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Ex charitate vero sua in iudicio repetere licitum est. Unde *Gregor.* dicit in moralibus: Cum curam rerum nobis necessitas imponit, quidam dum eas repetunt, solummodo sunt tollerandi; quidam vero sunt prohibendi, ne rapientes non sua, se ipsos perdant, *Lect.* 2. *cap.* 6. *prima ad Corinthios*.

DE BELLO.

84. *Quær.* An bellare sit malum, & contra charitatem?

Resp. Div. Th. *Aug.* dicit in *lib.* 1. *cap.* 34. *de Sermone Domini super Matth.* 5. *Ego autem dico vobis, non resistere malo*, quod præcepta Domini semper sunt servanda in præparatione animi, ut semper homo sit paratus non resistere, vel se non defendere si opus non fuerit. Sed quandoque est aliter agendum propter commune bonum, vel etiam illorum cum quibus pugnatur, ut benigna quadam asperitate plectantur, ne mala voluntas roboretur. Ad hoc igitur quod aliquod bellum sit iustum tria re-

requiruntur. Primo auctoritas Principis, cuius mandato bellum est gerendum: cum autem cura reipublicæ commissa sit Principibus, ad eos pertinet rempublicam Civitatis, vel Regni, seu Provinciæ sibi subditæ tueri, & sicut licite defendunt eam contra interiores quidem perturbatores, dum malefactores puniunt; ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab exterioribus hostibus. Secundo requiritur causa iusta. Iusta bella, ait *Aug. lib.* 83. *Q. Q. q.* 10. solent definiri, quæ ulciscuntur iniurias, vel coguntur reddere, quod per iniuriam ablatum est, vel retinetur. Tertio requiritur, ut sit intentio bellantium recta, qua scilicet intendatur, vel ut pacis studio bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. Nam nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur; & si alias legitima sit auctoritas indicendi bellum, & causa iusta, 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *per totum*.

85. *Quær.* An liceat in bello uti insidiis, & accipere prædam ab hostibus?

Resp. Div. Th. Insidiæ ordinantur ad fallendum hostes; dupliciter autem aliquis potest falli ex facto, vel ex dicto alterius, uno modo ex eo, quod dicatur ei falsum, vel non servetur promissum, & istud est semper illicitum, & hoc modo nullus debet hostes fallere: sunt enim quædam iura bellorum, & fædera etiam inter ipsos hostes servanda, ut *Ambrosius* dicit in *lib.* 1. *de Officiis cap.* 29. Alio modo aliquis potest falli ex dicto, vel facto nostro, quia ei propositum intellectum non aperimus, hoc autem semper facere non tenemur. Unde inter cætera documenta rei militaris hoc præcipue ponitur de occultandis consiliis, ne ad hostes perveniant, ut patet in *lib. Stratagematum Francorum*; & talis occultatio pertinet ad rationem insidiarum, quibus licitum est uti in bellis iustis; nec propriæ huiusmodi insidiæ vocantur fraudes, nec iustitiæ repugnant. Sicut etiam non habet rationem rapinæ, quæ per violentiam in bello iusto acquiruntur, nec ad restitutionem tenentur milites, quia (sicut vitam) eo magis prædam accipere ab hostibus licitum est; tamen cum præda fuerit in potestate victoris, decet militarem disciplinam, ut Regi serventur omnia, ad distribuendum; ait *Ambr. in lib.* 1. *de Abraham*. Quamvis possent in acceptatione prædæ iustum bellum habentes peccare per cupiditatem ex prava intentione, si scilicet non propter iustitiam, sed propter prædam principaliter pugnent. Si vero prædam acciperent, & haberent bellum iniustum, absque dubio rapinam committerent, & ad restitutionem tenerentur, 2. 2. *q.* 40. *art.* 3. & 2. 2. *q.* 66. *art.* 8. *ad* 1.

86 *Quær.* An liceat Clericis pugnare?

Resp. Div. Th. Sicut secundum leges humanas militibus, qui deputantur ad exercitia bellica negotiationes interdicuntur, sic Clericis non licet omnino bella gerere, sicut neque negotiationes. Primo quidem quia bellica exercitia maximas inquietitudines habent, quæ multum impediunt animum a contemplatione Divinorum, scilicet a laude Dei, & oratione pro Populo, quæ ad officium pertinet Clericorum; & ideo propter hoc etiam negotiationes interdicuntur, quod nimis implicant animum, secundum illud 2. *ad Timoth.* 2. Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis. Secundo propter specialem rationem; nam Clerici ordinantur ad Altaris ministerium, in quo repræsentatur passio Christi, & ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem, sed magis proprium dare pro Christo, ut imitentur opere, quod gerunt ministerio, & propter hoc effundentes sanguinem etiam sine peccato sunt irregulares. Auctoritate superioris possunt interesse bellis pro spiritualibus subventionibus, 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *in corp.*

77. *Quær.* An Duellistæ peccent contra charitatem?

Resp. Div. Th. *Aug.* dicit in *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 70. Illi, qui accipiunt gladium nulla superiori, aut legitima potestate aut iubente, vel concedente, in sanguine alicuius armantur, ipsi suo gladio semper pereunt; quia pro peccato gladii æternaliter puniuntur, nisi pœniteant. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur: quoniam nihil est infelicius infelicitate peccantium, 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *ad* 1. & *ad* 2.

Quare Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 19. *de*

de reform. excommunicat duellantes, & affert rationem: *Quia detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo, est introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur. Ideo ex christiano orbe penitus exterminetur. Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, ut homicidæ puniri debeant, & si in ipso conflictu decesserint perpetuo careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam qui consilium tam de iure, quam de facto dederint, necnon spectatores excommunicationis vinculo teneantur.*

Unde cavenda est Propos. damnata ab Alex. VII. quæ est 2. in ordine.

Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis nota apud alios incurrat.

88. *Quær.* Quid est seditio, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Seditio (sicut supra in quæstionibus de fide dictum est de Schismate) sub discordia continetur: utraque enim est discordia quædam non unius ad unum, sed partium multitudinis ad invicem: differunt tamen in duobus; primo quidem quia schisma opponitur spirituali unitati multitudinis, scilicet unitati Ecclesiæ: seditio autem opponitur sæcularis multitudinis unitati, puta Civitatis, vel Regni: secundo quia schisma non importat aliquam de se præparationem ad pugnam corporalem, sed solum importat dissensionem spiritualem, seditio autem importat præparationem ad pugnam corporalem, & quantum ad hoc convenit etiam cum bello, sed differt in aliquo, quia bellum proprie est contra extraneos hostes quasi multitudinis ad multitudinem, seditio est inter partes unius multitudinis inter se dissentientes, puta cum una pars Civitatis excitatur in tumultum contra aliam: & quia seditio habet speciale bonum, cui opponitur, scilicet unitatem civilem, & pacem multitudinis, ideo est speciale peccatum ex suo genere mortale, & tanto gravius, quanto bonum commune, quod impugnatur, est maius, quam bonum privatum. Illi vero, qui defendunt bonum commune eis resistentes non sunt dicendi seditiosi; sicut etiam qui perturbant regimen tyrannicum: nisi forte quando sic inordinate perturbatur Tyranni regimen, quod multitudo subiecta maius detrimentum patiatur ex perturbatione consequenti, quam ex Tyranni regimine, 2. 2. *q.* 42. *per totam.*

DE SCANDALO.

89. *Quær.* Quid est scandalum?

Resp. Div. Th. Hoc quod græce scandalum dicitur, nos offensionem, vel ruinam dicere possumus; quando scilicet obex ponitur in via, cui impingens disponitur ad ruinam. Similiter in processu viæ spiritualis contingit aliquem disponi ad ruinam spiritualem per dictum, vel factum alterius, in quantum scilicet aliquis sua admonitione, vel inductione, vel exemplo alterum trahit ad peccandum. Et hoc proprie dicitur scandalum, quod convenienter sic definitur, quod sit dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ. Dupliciter dictum, vel factum alterius potest esse alicui causa peccandi, uno modo per se, alio modo per accidens; per se quidem, quando aliquis suo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiam si ipse non intendat, ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet, quod sit inductivum ad peccandum, puta cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati, & tunc ille proprie dat occasionem ruinæ, & hoc vocatur scandalum activum. Per accidens vero aliquod verbum, vel factum unius est alteri causa peccandi, quando præter intentionem operantis, & præter conditionem operis, aliquis male dispositus inducitur ad peccandum, & ipse se ipsum scandalizat. Et hoc proprie dicitur scandalum passivum sine activo; quia qui recte agit non dat occasionem ruinæ, quam alter patitur. Quandoque est simul scandalum activum in uno, & passivum in altero, puta cum ad inductionem unius, alius peccat; quandoque est activum sine passivo, puta cum aliquis inducit alium verbo, vel facto ad peccandum, & ille non consentit: quandoque vero est scandalum passivum sine activo, si absque causa se scandalizat. Si quis intendat inducere ad peccandum mortaliter, erit mortale pecca-

tum;

tum; si inducat ad peccandum venialiter erit peccatum veniale. Et erit speciale peccatum, si intendat quis specialiter proximi ruinam. Et scandalum activum per se loquendo est maius peccatum, quam passivum, quia in unoquoque genere causa est potior suo effectu. Tamen aliquando potest esse maius passivum: quando aliquis maioris ruinæ, occasionem sumit, quam sibi detur, 2. 2. *q.* 43. *per totam*, & 4. *sent. dist.* 38. *q.* 2. *art.* 2.

Concil. Trid. *de reform. Seff.* 24. *cap.* 8. *Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice iniungi debet; ut quos exemplo suo ad malos mores provocaverit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet viam.*

90. *Quær.* An spiritualia bona sint omittenda ne sequatur scandalum?

Resp. Div. Th. Cum duplex sit scandalum (ut superius dictum est) activum scilicet, & passivum; quæstio ista non habet locum de scandalo activo, quia cum scandalum activum sit dictum, vel factum minus rectum, nihil est cum scandalo activo faciendum. Habet autem locum quæstio, si intelligatur de scandalo passivo. Considerandum est ergo quid sit dimittendum, ne alius scandalizetur; est autem in spiritualibus bonis distinguendum. Nam quædam horum sunt de necessitate salutis, quæ prætermitti non possunt sine peccato mortali. Manifestum est autem, quod nullus debet mortaliter peccare, immo nec venialiter, ut alterius peccatum impediat, quia secundum ordinem charitatis plus debet homo diligere suam salutem spiritualem, quam alterius; & ideo ea, quæ sunt de necessitate salutis, puta veritas fidei, & doctrinæ, vel opus iustitiæ, ut reddatur unicuique, quod suum est; & similia, non sunt dimittenda propter scandalum. In his autem spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis videtur adhuc distinguendum, quia scandalum, quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cum scilicet aliqui volunt impedire huiusmodi spiritualia bona, scandala concitando, & hoc est scandalum, quod dicitur Pharisæorum, quod esse contemnendum Dominus dicit *Matthæi* 15. Quandoque scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia, & huiusmodi dicitur scandalum pusillorum; propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione huiusmodi scandalum cesset. Si autem post redditam rationem huiusmodi scandalum duret, iam videtur Pharisaicum, & ex malitia esse, & sic propter ipsum non sunt spiritualia bona dimittenda; immo, nec temporalia, quia hoc noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occasio, & noceret rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent, 2. 2. *q.* 43. *per totam*, & 4. *sent. dist.* 38. *q.* 2.



TRA-

TRACTATUS QUINTUS.

De singulis Decalogi Præceptis.

De primo, & secundo Decalogi præcepto.

1. Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos.
2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. *Exod.* 20.

QUÆRITUR PRIMO.

De virtute Religionis quid sit?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Religio proprie importat ordinem ad Deum. Ipse enim est, cui principaliter ex præcepto alligari debemus tamquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum finem, quem etiam negligenter peccando amittimus; & credendo, & fidem protestando, colendo simul, & super omnia diligendo, recuperare debemus. Religio habet dupliciter actus quosdam quidem proprios, & immediatos, quos elicit, per quos homo ordinatur ad solum Deum, sicut sacrificare, adorare, & omnia huiusmodi. Alios autem actus habet, quos producit mediantibus aliis virtutibus, quibus imperat, ordinans eos ad divinam reverentiam, & ad Deum inquantum est primum principium creationis, & gubernationis, quia Deus producit omnia, & gubernat sapientia, voluntate, & potentia bonitatis suæ. Et ideo homo ex sua conditione obligatur ad exhibendam reverentiam, & cultum, servitutem, & subiectionem Deo propter maximam eius excellentiam, mediante hac virtute religionis, quæ præeminet inter alias virtutes morales, quia magis de propinquo accedit ad Deum, & præponitur eius præceptum, 2. 2 *q.* 81.

Concil. Trid. *Sess.* 13. *cap.* 5. *Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christifideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, exhibeant.*

2. *Quær.* An Religio habeat præter cultum internum, etiam aliquem actum externum?

Resp. Div. Th. In *Psal.* 83. dicitur: Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Sicut interiores actus pertinent ad cor, ita etiam exteriores actus pertinent ad membra carnis. Quare Deus est colendus non solum interioribus actibus, sed etiam exterioribus. Nam Deo reverentiam, & honorem exhibemus, non propter utilitatem eius, quia iam se ipso est, & fuit ab æterno gloria plenus, cui nihil a creatura adiici potest, sed propter nos, quia videlicet per hoc, quod Deum reveremur, & honoramus, mens nostra ei subiicitur, & in hoc eius perfectio consistit; quælibet enim res perficitur per hoc, quod subdatur suo superiori; sicut corpus per hoc quod subditur, vivificatur, & perficitur ab anima, & aer per hoc, quod subest, illuminatur a sole, & perficitur. Sed quia mens humana ad hoc, quod coniungatur Deo indiget sensibilium manuductione, quia invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, ut *Apost.* dicit *ad Rom.* 1. Ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis quibusdam, mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo coniungitur. Et ideo religio habet quidem interiores actus quasi principales, & per se ad religionem pertinentes, exteriores vere actus quasi secundarios, & ad interiores actus ordinatos, 2. 2. *q.* 81. *art.* 7. *per totum*.

3. *Quær.* An oratio sit proprius actus religionis?

Resp. Div. Th. Ad religionem proprie pertinet, ut supra dictum est, reverentiam, & honorem Deo exhibere: per orationem autem homo Deo exhibet reverentiam, in quantum scilicet ei se subiicit, & profitetur orando, se eo indigere, sicut Auctore suorum bonorum. Unde manifestum est, quod oratio est proprie religionis actus. Primario quidem soli Deo orationem porrigimus, quia omnes ora-

orationes nostræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam consequendam, quam solus Deus dat, secundum illud *Psal.* 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Secundario oratio porrigitur Sanctis, Angelis, & hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum precibus, & meritis orationes nostræ sortiantur effectum, 2. 2. *q.* 83. *art.* 3. *in corp.*

4. *Quær.* An oratio, & meditatio sit devotionis causa?

Resp. Div. Th. Devotio nihil aliud esse videtur, quam voluntas quædam prompte tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum, & divinum obsequium. Duplex est causa devotionis, una extrinseca, & alia intrinseca. Extrinseca, & principalis Deus est, de quo dicit *Ambr.* super *Luc.* Quod Deus, quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit, & si voluisset, Samaritanos, ex indevotis, devotos fecisset. Causa autem intrinseca, ex parte nostra, oportet quod sit oratio, seu contemplatio. Dictum est, quod devotio est quidam voluntatis actus ad hoc quod homo prompte se tradat ad divinum obsequium. Omnis actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum prout intellectum est obiectum voluntatis. Unde *August.* dicit *in lib.* 14. *cap.* 8 *tom.* 3. Quod voluntas oritur ex intelligentia. Et ideo necesse est, quod meditatio, seu oratio sit devotionis causa, inquantum scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio, ad quod quidem inducit duplex consideratio: una quidem ex parte divinæ bonitatis, & beneficiorum ipsius, secundum illud *Psal.* 72. Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam: & hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa, Et in meditatione mea exardescet ignis, *Psal.* 38. Alia vero cogitatio est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus cognoscit indigere, ut penitus Deo innitatur, secundum illud *Psal.* 120. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi: Auxilium meum a Domino: & hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo se subiiciat, dum suæ virtuti innititur. Inter alia consideratio eorum, quæ nata sunt dilectionem Dei excitare, summopere devotionem causat. Unde ea, quæ sunt divinitatis, sunt secundum se maxime excitantia dilectionem, & per consequens devotionem, quia Deus est super omnia diligendus. Sed quia ex debilitate mentis humanæ homo viator indiget manuductione ad cognitionem divinorum per aliqua sensibilia nobis nota, inter quæ præcipuum est humanitas Christi. Hinc est quod frequenter maior devotio excitatur ex consideratione passionis Christi, & aliis mysteriis humanitatis ipsius, quam ex consideratione divinæ magnitudinis: cum tamen devotio principaliter circa ea, quæ sunt divinitatis consistat. Memor fui Dei, & delectatus sum *Psal.* 76. 2. 2. *q.* 82. *art.* 3. *per totum.*

5. *Quær.* Quomodo definiatur oratio, & an sit necessaria, & utilis?

Resp. Div. Th. Quod secundum *Aug. in lib. de verbis Domini*, Oratio est petitio quædam; & *Damascen.* dicit in *lib.* 3. *de Orthodoxa fide cap.* 24. Oratio est ascensus mentis in Deum, & petitio decentium a Deo. Orare autem sub præcepto religionis est, sicut charitatis recta desiderare, quod quidem præceptum ponitur *Matth.* 7. ubi dicitur, Petite, & accipietis. Deus enim multa præstat ex sua liberalitate etiam non petita. Sed quod aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem, ut scilicet, fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum bonorum nostrorum auctorem. Unde *Chrysost. in lib.* 2. *de orando Deum*, dicit: Considera quanta est tibi concessa fœlicitas, quanta gloria attributa orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare. Oratio duplicem habet virtutem respectu futuri effectus, scilicet virtutem merendi, & virtutem impetrandi. Habet efficaciam merendi, in quantum procedit ex radice charitatis; efficaciam impetrandi habet ex gratia Dei, qui nos ad orandum inducit. Numquam oranti beneficia denegat, ait *Chrysostomus*; & *Aug.* dicit: Non nos hortaretur, ut peteremus, nisi dare vellet: & ipsum orare est donum Dei. Quatuor tamen ponuntur conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat, quod petit: ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem pe-

cat,

tat pie, & perseveranter. Et hoc etiam si sit peccator, non quasi ex iustitia impetrat, quia peccator hoc non meretur; sed ex pura misericordia; quia meritum innititur iustitiæ præsupposita gratia: sed impetratio innititur puræ gratiæ, & divinæ omnipotentiæ, 2. 2. *q.* 83. *per totam*.

Error Io. Vicleffi: *Oratio præsciti, seu mali nulli valet*.

Error Michaelis de Molinos: *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat*.

6. *Quær.* An debeamus pro aliis orare?

Resp. Div. Th. Dictum est; illud debemus orando petere, quod debemus desiderare; desiderare debemus bona non solum nobis, sed etiam aliis, hoc enim pertinet ad rationem dilectionis, quam proximis debemus impendere, & ideo charitas hoc requirit, ut pro aliis oremus. Unde *Chrysost.* super *Matth. homil.* 14. dicit. Pro se orare necessitas cogit; pro altero autem charitas fraternitatis hortatur; dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat. Igitur pro peccatoribus orandum est, ut convertantur, quia dicitur *primæ Ioannis* 5. Qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti peccato non ad mortem. Orandum eo magis est pro iustis, ut perseverent, & proficiant; & triplici ratione; primo, quia multorum preces facilius exaudiuntur. Unde super illud *Roman.* 15. Adiuvetis me in orationibus vestris; dicit *Glos.* Bene rogat Apostolus minores pro ipso orare: multi enim minimi dum congregantur unanimes, fiunt magni, & multorum preces impossibile est, quod non impetrent illud, scilicet quod est impetrabile. Secundo, ut cum multis gratia agatur Deo de beneficiis, quæ etiam in utilitatem communem vergunt. Tertio, ut maiores non superbiant, dum considerant se minorum suffragiis indigere, 2. 2. *q.* 83. *art.* 7. *per totum*.

Error Zachei IV. sæculi, qui cum nullo orare volebat, sustinebat preces privatas maioris esse ponderis apud Deum, quam communes.

7. *Quær.* An debeamus orare pro inimicis?

Resp. D. Th. Orare pro alio charitatis est, unde eodem modo, quo tenemur diligere inimicos, tenemur pro inimicis orare; qualiter autem teneamur inimicos diligere dictum est superius; ut scilicet in eis diligamus naturam, non culpam, & quod diligere inimicos in generali, est in præcepto; in speciali autem non est in præcepto, nisi secundum præparationem animi, ut scilicet homo esset paratus etiam specialiter inimicum diligere, & eum adiuvare in necessitatis articulo, vel si veniam peteret: sed in speciali absolute inimicos diligere, & eos iuvare perfectionis est: & similiter necessitas est, ut in communibus nostris orationibus, quas pro aliis facimus inimicos non excludamus, quod autem specialiter oremus perfectionis est, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali, 2. 2. *q.* 83. *artic.* 8. *in corp.*

8. *Quær.* An, & quomodo sit orandum pro infidelibus, & excommunicatis?

Resp. Div. Th. Pro infidelibus oratur; sed ipsi fructum orationis non percipiunt, nisi ad fidem convertantur: similiter pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes publicas, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt, & isti pariter fructum non percipiunt, neque participant, quamdiu in excommunicatione manent; sed oratur, ut detur eis spiritum pœnitentiæ, ut convertantur, vel ut ab excommunicatione solvantur. Et insuper sicut licitum est impugnare inimicos, ut compescantur a peccatis, quod cedit in bonum eorum; sic etiam licet orando petere aliqua temporalia mala inimicorum, ut corrigantur, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 1. & 2. 2. *q.* 8. *art.* 8. *ad* 3.

Concil. Trident. *Sess.* 18. *in decr. de libr. delect. Sancta Synodus ex corde optat, Deumque enixe rogat quæ ad pacem sunt Ecclesiæ, ut omnes, qui nobiscum communionem non habent ad concordiam, & reconciliationem veniant, ne obdurent corda sua, sed in suo sensu non ambulantes, neque sibi placentes, convertantur*.

9. *Quær.* An obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones convenienter dicantur orationis partes, ut *Apost.* innuit 1. *ad Timot.* 2?

Resp. Div. Th. Ad orationem tria requiruntur, quorum primum est, ut orans

accedat ad Deum, quem orat, quia oratio, ut superius dictum est, est ascensus intellectus in Deum. Secundo requiritur petitio, quæ significatur nomine postulationis, vel supplicationis, vel insinuationis, quando scilicet determinate, vel indeterminate narratur factum, secundum illud *Io.* 11. Ecce quem amas infirmatur. Tertio requiritur ratio impetrandi, tam ex parte Dei, quam ex parte petentis; ex parte Dei est eius Sanctitas, & Bonitas, propter quam petimus exaudiri, & ad hoc pertinet obsecratio, quæ est quædam contestatio, sicut cum dicimus: Per nativitatem, & per passionem tuam exaudi nos, vel libera nos; ratio vero impetrandi ex parte petentis, est gratiarum actio, quia de acceptis beneficiis gratias agentes, meremur accipere potiora, & maiora beneficia, 2. 2. *q.* 83. *art.* 17.

Concil. Trid. *Sess.* 2. inquit hoc idem. *Nam Spiritus Sanctus per Apostol. præcipit obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro SS. D. N. Papa, pro Imperatore, pro Regibus, & cæteris, qui in sublimitate constituti sunt, & pro omnibus hominibus, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, pace fruamur, & fidei incrementum videamus.*

10. *Quær.* An oratio nedum debeat esse mentalis, sed etiam vocalis?

Resp. Div. Th. Duplex est oratio, communis, & singularis. Communis quidem oratio est, quæ per Ministros Ecclesiæ in persona totius populi fidelis offertur Deo. Ideo oportet, quod talis oratio innotescat toti populo, pro quo profertur, quod non posset fieri, nisi esset vocalis. & ideo rationaliter institutum est, quod Ministri Ecclesiæ huiusmodi orationes alta voce pronuntient; ut ad notitiam omnium possit pervenire. Oratio vero singularis est, quæ offertur a singulari persona sive pro se, sive pro aliis, & de huiusmodi orationis necessitate non est, quod sit vocalis; adiungitur tamen vox tali orationi triplici ratione, primo ad excitandam devotionem interiorem. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum; dicebat *Psal.* 3. Secundo, adiungitur vocalis oratio, ut homo serviat Deo secundum illud totum, quod ex Deo habet, idest non solum mente, sed etiam corpore. Tertio, adiungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, secundum illud *Psal.* 15. Lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, 2. 2. *q.* 83. *art.* 12.

11. *Quær.* An vocalis oratio cadat sub præcepto?

Resp. Div. Th. Oratio vocalis cadit sub præcepto, & determinate, & indeterminate: determinate quidem sicut Ministri Ecclesiæ, qui ex statuto eiusdem Ecclesiæ tenentur ad horas Canonicas; indeterminate quilibet tenetur ex hoc ipso, quod tenetur ad bona spiritualia sic procuranda, quæ nonnisi divinitus dantur, & alio modo procurari non possunt, nisi ab aliquo petantur: & etiam ex hoc ipso quod charitatis præcepto tenetur proximum sicut se ipsum diligere, tenetur ei in necessitate beneficum esse, non solum per corporales eleemosynas, sed etiam per spirituales, quarum una est oratio tum mentalis, tum vocalis. Nam etiam illis, qui Ecclesiæ ministerio non funguntur, videtur ab Ecclesia determinatum tempus externe orandi statutum esse; cum ex Canonum statuto teneantur diebus festis divinis officiis interesse personaliter, ut Ministris pro populo alta voce orantibus, suam intentionem conforment, & externum cultum ostendant, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 4. *art.* 1. *quæstiun.* 3. *in corp.*

Concil. Trid. *Sess.* 2. decernit, *Quod tempore, quo sacra peraguntur, collocutiones, & confabulationes non fiant, sed ore, & animo celebranti assistatur.*

12. *Quær.* Quænam sint Divini officii horæ Canonicæ, & qui teneantur ad eas?

Resp. Div. Th. Divina officia in septem horas Canonicas distinguuntur, scilicet, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium: has septem horas debet Sacerdos quolibet die Dominico reddere horis competentibus, ut 91. *dist. Presbyter mane*, & *extra de celebratione Miss.* Presbyter nisi esset infirmus, in quo casu excusatur, 91. *dist. Clericum victum*. Ex quo patet, quod non debet miscere horas sub una oratione, sicut quidam faciunt. & male, sed singulas horas dicat, & distincte in Ecclesia. Si vero iusto impedimento detentus, horis competentibus non possit reddere, reddat postea quando poterit, *art. de dolo, & conti. Cum dilecti;* Ad has septem horas Canonicas tenetur quilibet

Sa-

Sacerdos, & alii Clerici constituti in sacris ordinibus, sive habeant beneficium, sive non, & omnes illi, qui percipiunt Ecclesiastica stipendia, in quocumque ordine sint. Arg. *extra de pos. cap.* 1. & ad *Heb.* 2. Sunt autem Ecclesiastici redditus deputati, ut ex eis sustententur, qui in Ecclesia reddant Domino divina officia; ut extra *de Cleric. cap. cum omni, opus.* 65. *cap.* 1. *&* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 4. *art.* 1. *quæstiun.* 3. *in corp.*

Prop. 20. damn. ab Alex. VII. *Restitutio imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante declarationem Iudicis, eo quod sit pœna.*

Et recolatur prop. damn. 21. ab Alex. VII. *Habens Capellaniam, aut quodvis Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi si per alium recitet.*

Et alia 33. *Restitutio fructuum ob ommissionem horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit.*

13. *Quær.* Quo ritu, & ordine debeat recitari officium?

Resp. Div. Th. Quod in modo, & ordine officiandi quælibet Ecclesia se conformare debet Ecclesiæ matrici, idest Metropoli, ut de *consecrat. dist.* 2. *Institutio, & n.* 2. *dist. de his.* Diebus tamen Dominicis decem, & octo Psalmos, & novem lectiones, & novem psalmos dicimus: aliis diebus minus solemnibus, & pro festis duodecim psalmos, & tres lectiones. In septimana vero Paschali, & in septimana Pentecostes tres psalmos, & tres lectiones celebrare volunt; non ex regula Sanctorum Patrum; sed ex fastidio, & negligentia probantur hoc facere, & ex tolleraatia Ecclesiæ. *opus.* 65. *cap.* 1.

Adest prop. damn. ab Innoc. XI in ord. 54. videlicet. *Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.*

Iure merito igitur damnatur hæc propos. ab Alex. VII. in ordine 34. *In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.*

14. *Quær.* Quænam intentio, & attentio requiratur in recitandis horis Canoniris?

Resp. Div. Th. Triplex est attentio, quæ in recitatione vocali potest adhiberi, una quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret: secunda, qua attenditur ad sensum verborum: tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem, pro qua oratur, quæ quidem est maxime necessaria; & hanc etiam possunt habere idiotæ. Rursus intentio, & attentio alia actualis, quæ aliquando transit actu, & manet virtute, & sic manere actum in virtute est quidam medius modus, ipsum esse & in habitu, & in actu; quia quod in habitu est, sive habitualiter, neque virtute, neque per essentiam actus est. Secundum hoc ergo dico, quod intentio, vel attentio in oratione, & recitatione manere debet semper saltem secundum virtutem; sed non requiritur, quod semper maneat per essentiam actus, sive actualiter, manet autem secundum virtutem, sive virtualiter, quando aliquis in oratione, sive in recitatione accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi; etiamsi in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur; nisi tanta fuerit evagatio, quod omnino depereat vis primæ intentionis; & ideo oportet, quod frequenter homo cor revocet ad se ipsum; nam si quis ex proposito in oratione, sive recitatione, mentis evagatur, hoc peccatum esset, & impediret orationis fructum, & recitationis adimpletionem: evagatio vero mentis, quæ fit præter propositum orationis fructum, neque recitationis satisfactionem tollit. Unde *Basil. in serm. de orando Deum*, dicit: Si vero debilitatus fixe nequis orare quantumcumque potes, te ipsum cohibeas, & Deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, ut oportet, assistere coram eo, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 4. *art.* 2. *quæstiunc.* 4. *in corp. &* 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. *in corp. & ad* 3.

15. *Quær.* An liceat dicere matutinum sequentis diei de sero?

Resp. Div. Th. Consideranda est intentio eius, qui prævenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuscunque horis Canoniris; si enim hoc facit propter lasciviam, scilicet, ut quietius somnolentiæ, & voluptati vacet, non est absque peccato; si vero hoc faciat propter necessitatem licitarum, & honestarum occupationum, puta, si Clericus, aut Magi-

M 2 gi-

gister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud huiusmodi, potest licite de sero dicere matutinas, & in aliis horis Canonicis tempus praevenire; sicut etiam hoc in solemnibus Ecclesiis fit; quia melius est Deo utrumque reddere, scilicet & debitas laudes, & alia honesta officia, quam quod per unum aliud impediatur: quantum ad Ecclesiasticum officium, & solemnitatum celebritates incipit dies a vesperis: unde si aliquis post dictas vesperas, & completorium dicat matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem: quantum vero ad ieiunium, & ad contractus, & alia huiusmodi, dies incipit a media nocte, *quodlib. 5. art. 27. ad 1. & 28. in corp.*

Adest prop. damn. ab Alex. VII. videlicet 35. *Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti, & crastino.*

16. *Quaer.* An ille, qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, alias non iturus peccet?

Resp. Div. Th. In hoc casu distinguendum est; si enim huiusmodi distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat; si autem habet principalem finem Deum in tali actu, & ad huiusmodi distributiones respicit de secundario, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quod non vendit actum spiritualem, & ita simoniam non committit, nec peccat; sic enim acceptatio distributionum non erit causa quare ad Ecclesiam vadat, sed propriae huiusmodi determinatio quare nunc vadat, & non alia vice, *quodlib. 8. art. 11. in corp.*

17. *Quaer.* An ille, qui est praebendatus in duas Ecclesias, in die, quo diversum officium fit, debeat utrumque dicere?

Resp. Div. Th. Supposito quod aliquis licite sit praebendatus in duas Ecclesias, scilicet ex dispensatione, considerandum est, quod ille, qui in aliqua Ecclesia praebendam accipit, duobus obligatur, scilicet Deo, ut ei debitas laudes exolvat pro eius beneficiis, & Ecclesiae, de qua accipit sumptus; ea vero, quae ad Ecclesiam pertinent, subiacent dispensationi Praelatorum Ecclesiae, & ideo hoc debitum, quod debet Ecclesiae, debet exolvere, secundum quod statutum est, vel per se ipsum, si sit praebenda, quae requirit residentiam, vel per vicarium, si hoc sufficiat, secundum Ecclesiae statutum, ac consuetudinem: sed debitum, quod debet Deo, per se ipsum debet exolvere; non refert autem quantum ad Deum, quibus psalmis, & hymnis Deum laudet, ut puta utrum dicat in vesperis, *Dixit Dominus*, vel *Laudate pueri Dominum*, nisi quantum ad hoc, quod homo debet sequi maiorum traditiones; & quia laudes Deo debet, quasi unus homo, sufficit, quod semel officium dicat secundum consuetudinem alicuius Ecclesiarum, quarum est Clericus, sed de electione officii rationabiliter videtur, quod debeat dicere officium illius Ecclesiae, in qua maiorem gradum habet, puta si in una sit Decanus, & in alia simplex Canonicus, debet dicere officium Ecclesiae, in qua est Decanus, quod si in utraque Ecclesia sit simplex Canonicus, debet dicere officium dignioris Ecclesiae, quamvis forte in minori Ecclesia habeat opulentiorem praebendam, quia temporalia nullius momenti sunt spiritualibus comparata; si vero ambae Ecclesiae sunt aequalis dignitatis, potest eligere quodcumque officium magis voluerit, si fuerit ab utraque Ecclesia absens; si autem fuerit in aliqua earum praesens debet se conformare illis, cum quibus conversatur, *Quodlib. prim. art. 13.*

18. *Quaer.* An qui voluntarie omisit officium Divinum sit ei iniungendum, quod altero die suppleat, vel alia poena sit infligenda?

Resp. Div. Th. In omni officio est hoc commune, quod pertinet ad laudem Dei, & ad suffragium fidelium: sed distinguitur unum officium ab alio, secundum diversitatem temporum, & locorum: rationabiliter enim institutum est, ut diversimode Deus laudetur secundum congruentiam temporum, & locorum. Et ideo sicut in officiis Divinis exolvendis observanda est congruitas loci, ita etiam congruitas temporis, quod quidem observari non posset, si oporteret iniungere omittenti, quod horas diceret, quas omisit, forte enim in tempore Paschali diceret officium Dominicae Passionis, quod esset absurdum. Unde tempore debito officii praetereunte, iam quis est impotens ad solvendum debitum: & ideo quia hoc

non

non potest facere; iniungenda est ei alia pœnitentia, secundum quantitatem delicti, *quodlib.* 3. *art* 29. *in corp. & ad* 1.

„ Alia pœna infigenda est, scilicet ul„ tra pœnitentiam in Confessione danda „ Beneficiato, restitutio fructuum ad ra„ tam omissionis, ut patet ex Concilio „ Lateranensi sub *Leone* X., & ex Bulla „ *Pii* V. edita de anno 1571. & ad hoc „ tenetur etiam ante declarationem Iu„ dicis. „

Concil. Triden. *Sess.* 24. *de reformat. cap.* 12. *Distributiones qui statis horis interfuerint recipiant: reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant, iuxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit*, Consuetudinem. *Omnes vero divina per se, & non per substitutos compelluntur obire officia, atque in Choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare. Praeterea obtinentibus in Cathedralibus, & Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas, aut Portiones, non liceat vigore cuiuscumque statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse; alioquin anno primo privetur dimidia parte fructuum. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus. Crescente vero contumacia, iuxta Sacrorum Canonum constitutiones procedatur.*

19. *Quær.* An Clericus absens a Choro teneatur recitare Officium Mortuorum, vel Psalmos Graduales, & similia?

Resp. D. Th. Clericus, ut dictum est, ex hoc ipso, quod est Clericus, & præcipue in sacris Ordinibus constitutus, tenetur dicere horas Canonicas, quia videtur tales specialiter esse assumpti ad laudem divinam. Et Clericus beneficiatus in hac Ecclesia tenetur dicere officium secundum modus illius Ecclesiæ. Est ergo considerandum, quod officium Mortuorum quandoque in Ecclesia dicitur, sicut ordinarie pertinens ad Ecclesiæ officium; sicut in tota Ecclesia in die animarum dicitur officium pro mortuis, & in qualibet Ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo: puta, quod dicatur ordinarie officium mortuorum semel in hebdomada, vel qualitercumque aliter secundum certum tempus; & ad huiusmodi officium mortuorum tenetur Clericus beneficiatus in aliqua Ecclesia, etiam extra Chorum, puta in schola existens, ut per hoc satisfaciat mortuis, quorum recipit bona: aliquando vero dicitur officium mortuorum in Ecclesia extraordinarie propter aliquam causam specialiter emergentem, puta ad preces alicuius personæ, vel propter aliquod huiusmodi, & ad huiusmodi non tenetur Clericus extra Chorum, *quodlib.* 6. *art.* 8. *& opusc.* 65. *cap.* 1.

Concil. Trident. eadem *Sess.* 24. *de reform. cap.* 12. inquit: *Cetera, quæ ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi, seu modulandi ratione, de certa lege in Choro conveniendi, & permanendi, simulque de omnibus Ecclesiæ ministris, quæ necessaria erunt, & si quæ huiusmodi, Synodus Provincialis certam formulam præscribet.*

20. *Quær.* An præter internum cultum exhibendus sit Deo externus cultus adorationis?

Resp. Div. Th. Quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet, & sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus, spiritualem, quæ consistit in interiori mentis devotione, & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. Ipsa exterior adoratio fit propter interiorem, ut videlicet per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus excitetur noster affectus ad subiiciendum se Deo, quia connaturale est nobis, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus. Quare genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum: prosternimus nos quasi profitentes nos nihil esse ex nobis: sicut etiam determinatus locus eligitur ad adorandum Deum, propter loci consecrationem, & propter sacra mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur, & propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, quare nunc factæ sunt Ecclesiæ; nam ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego, 2. 2. *q.* 84. *per totam*, *& Lect.* 2. *cap.* 2. *ad Timoth.*

Error Agonyclitarum. *Non valet genuflexio dum preces fundimus.*

Concil. Trid. *Sess.* 13. *cap.* 5. *& Can.* 6. inquit: *Si quis dixerit Christum unigenitum Dei filium non esse cultu Latriæ etiam externo adorandum, quem*

Pa-

Pater Æternus introducens in orbem terrarum dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt, neque in Sancto Eucaristiæ Sacramento, ut adoretur, Populo proponendum, & eius adoratores esse idololatras, anathema sit.

21. *Quær.* An ultra adorationem, etiam sacrificium Deo sit offerendum?

Resp. Div. Th. Ex naturali ratione procedit, quod ultra quod quibusdam sensibilibus signis, etiam quibusdam sensibilibus rebus utatur homo, efferens eas Deo in totale signum debitæ subiectionis, & honoris, secundum similitudinem eorum, qui Dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii: propterea in qualibet ætate, & apud quaslibet nationes, semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio. Ab initio Adam, & Isaac, sicut & alii iusti Deo sacrificium obtulerunt. Nunc etiam templa, & altaria instituuntur ad sacrificia offerenda, 2. 2. *q.* 85. *per totam*.

Redibit sermo in quæst. de Sacrificio Missæ.

Error Michaelis Baii: *Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus est, quod fit, ut sancta societate Deo homo adhæreat.*

Concil. Trid. *Sess.* 22. *de Sacrif. Missæ cap.* 5. inquit: *Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam in Missa instituit, ceremonias item adhibuit ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & maiestas Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in Sacrificio latent, contemplationem excitaretur.*

Et *Sess.* 23. *cap.* 1. *Sacrificium, & Sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit.* Unde *Sess.* 22. *Sancta Synodus Sacrificium offerri docet Deo soli; nam Sacerdos non solet dicere offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat.*

22. *Quær.* An ultra sacrificium sint etiam in Ecclesia oblationes?

Resp. Div. Th. Div. *Gregor.* dicit 7. *de consecr. dist.* 1. *cap.* Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre. Nomen vero oblationis commune est ad omnes res, quæ in cultum Dei exhibentur ita quod si aliquid exhibeatur in cultum Dei consumendum, erit sacrificium. Si vero exhibeatur ut integrum maneat Divino cultui deputandum, vel in usus ministrorum expendendum, erit mera oblatio. Huiusmodi oblationes de sui ratione habent quod ultronee, & voluntarie offerantur. Potest autem contingere, quod aliqui ad oblationes teneantur. Primo ex præcedenti conventione, sicut cum alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiæ, ut certis temporibus certas oblationes faciat, quod tamen habet rationem census. Secundo propter præcedentem deputationem, sive promissionem, sicut cum aliquis offert donatione inter vivos, vel cum reliquis in testamento Ecclesiæ aliquam rem mobilem, vel immobilem in posterum solvendam. Tertio modo propter Ecclesiæ necessitatem, puta si Ministri Ecclesiæ non haberent unde sustentarentur. Quarto propter consuetudinem; tenentur enim fideles in aliquibus solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas, tamen in his duobus ultimis casibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, scilicet quantum ad quantitatem, vel speciem rei oblatæ. Si oblationes debitas aliqui non redderent, possunt puniri per subtractionem Sacramentorum; non per ipsum Sacerdotem, cui sunt oblationes faciendæ, ne videatur per Sacramentorum exhibitionem aliquid exigere; sed per superiorem aliquem, scilicet per Episcopum, sive Vicarium, 2. 2. *q.* 86. *art.* 1.

Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 12. *Hortatur Sancta Synodus omnes pro Christiana charitate, ut de bonis sibi a Deo collatis Episcopis, & Parochis, qui tenuioribus præsunt Ecclesiis, large subvenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non graventur.*

23. *Quær.* An solum Sacerdotibus debeantur oblationes?

Resp. Div. Th. In Canone Damasi Papæ, & habetur, 10. *q.* 1. *c. hanc consuetudinem*, dicitur, quod oblationes, quæ intra Sanctam Ecclesiam offeruntur tantummodo Sacerdotibus, qui quotidie servi-

vire videntur, licet comedere, & bibere, quia in veteri testamento prohibuit Dominus panes sanctos comedere filiis Israel, nisi tantummodo Aaron, & filiis eius Nam Sacerdos constituitur mediator inter Populum, & Deum; ad eum pertinet divina Dogmata, & Sacramenta exhibere Populo, & ea, quæ sunt Populi, puta preces, & sacrificia, & oblationes per eum Domino debent exhiberi, secundum illud *Apost. ad Heb.* 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Et ideo oblationes, quæ a Populo Deo exhibentur, ad Sacerdotes pertinent, non solum ut eas in suos usus convertant, verum etiam, ut eas fideliter dispensent partim in his, quæ pertinent ad cultum Divinum, partim ad proprium victum, partim in usum pauperum. Nam oblationes quamvis postquam fuerunt consecratæ, non possint cedere in usum Laicorum, sicut vasa, & vestimenta sacra; illa vero, quæ non sunt consecrata possunt in usum laicorum cedere ex dispensatione Sacerdotum sive per modum donationis, sive per modum venditionis, 2. 2. *q.* 86. *art.* 2. *in corpor. & ad* 3.

24. *Quær.* An Monachi, vel alii Religiosi possint oblationes recipere?

Resp. Div. Th. Tripliciter possunt Religiosi oblationes recipere, uno modo sicut pauperes per dispensationem Sacerdotum, vel ordinationem Ecclesiæ. Alio modo si sint Ministri Altaris, & tunc possunt accipere oblationes sponte oblatas. Tertio modo, si Parochiæ sint eorum, & tunc ex debito possunt accipere oblationes tamquam Ecclesiæ Rectores, 2. 2. *q.* 86. *art.* 2. *ad* 2.

25. *Quær.* An primitiæ inter alias oblationes sint offerendæ?

Resp. Div. Th. Primitiæ ad quoddam genus oblationis pertinent. Offeruntur primitiæ ex speciali causa, scilicet in recognitionem Divini beneficii, quasi aliquis profiteatur se a Deo fructus terræ percipere. Pertinet autem ad Ius naturale, ut homo ex rebus sibi datis a Deo aliquid exhibeat ad eius honorem, secundum illud, 1. *Paralipomen. ultim.* Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi; & quia Deo debemus exhibere id quod præcipuum est, ideo primitias, quasi præcipuum aliquid de fructibus terræ præceptum fuit Deo offerre. Et quia Sacerdos constituitur pro Populo in his, quæ sunt ad Deum; ideo primitiæ oblatæ a Populo in usum Sacerdotum cedebant. Sed quod exhibeatur de primis fructibus, & in tali quantitate in lege veteri fuit iure Divino determinatum: in nova autem lege definitur per determinationem Ecclesiæ, ex qua homines obligantur, ut primitias solvant secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam ministrorum Ecclesiæ, & ex maiorum traditione introductam. Et rationabiliter primitiarum quantitas non determinatur in lege nova, quia primitiæ dantur per modum oblationis, ut dictum est supra, de cuius ratione est quod sint voluntariæ, 2. 2. *q.* 86 *art.* 4. *per totum.*

26. *Quær.* Quo iure teneantur homines dare Decimas?

Resp. Div. Th. Decimæ in veteri lege dabantur ad substentationem Ministrorum Dei. Unde dicitur *Malachiæ* 3. Inferte omnem decimationem in horreum meum. Præceptum Decimarum igitur partim quidem est morale inditum naturali ratione, partim autem erat iudiciale ex divina institutione. Ratio naturalis dictat, quod sicut & his, qui communi utilitati invigilant, scilicet Principibus, & militibus, & aliis huiusmodi stipendia victus debentur a populo, sic eis, qui Divino cultui ministrant ad salutem totius Populi, populus necessaria victus ministret, *Matth.* 10. Dignus est operarius mercede sua. Determinatio Decimæ partis solvendæ est ex auctoritate Ecclesiæ, etiam tempore novæ legis instituta; quæ etiam pensatis opportunitatibus temporum, & personarum posset aliam partem determinare solvendam, 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. *& Lect.* 1. *cap.* 7. *ad Hebr.*

Error Gerardi Segarelli: *Decimæ non debent dari Sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ, quia non sunt pauperes, sicut Apostoli.*

Error Vicleffi: *Decimæ sunt puræ Eleemosynæ, & possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum auferre.*

27. *Quær.* An Decimæ sint personales, an solum prædiales?

Resp. Div. Th. Radix solutionis Deci-

ma-

marum est debitum, quo seminantibus spiritualia debeantur carnalia, secundum illud *Apost.* 1. *ad Cor.* 9. Si nos vobis spiritualia seminavimus, non magnum est si carnalia vestra metamus. Super hoc enim debitum fundavit Ecclesia determinationem solutionis decimarum: omnia autem quæcumque homo possidet sub carnalibus continentur, ideo de omnibus possessis decimæ sunt solvendæ. Sed populus novæ legis cum sit ubique per mundum diffusus, quorum plurimi possessiones non habent: sed de aliquibus negotiis vivunt, ideo in nova lege tenentur homines in subsidium Ministrorum Dei ad decimas etiam personales de his, quæ aliquis acquirit ex proprio actu, & labore, secundum consuetudinem Patriæ, & indigentiam ministrorum. De militia, de negotio, & artificio redde Decimas, dicit *Aug.* & habetur, 16. *q.* 1. *cap. Decimæ.* 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *in corpor.*

28. *Quær.* An de male acquisitis solvendæ sint Decimæ?

Resp. Div. Th. Aliqua male acquiruntur dupliciter uno modo quia ipsa acquisitio est iniusta, puta quia acquiruntur per rapinam, aut furtum, aut usuram, & hæc homo tenetur restituere Domino; non autem de eis decimas dare: Tamen si aliquis ager sit emptus de usura, de fructu eius tenetur usurarius decimas dare, quia fructus illi non sunt ex usura, sed ex Dei munere, & sequuntur prædium quomodocumque possideatur. Quædam vero dicuntur male acquisita, quia acquiruntur ex turpi causa, sicut de meritricio, & histrionatu, & alia huiusmodi, quæ non tenentur restituere. Unde de talibus tenetur Decimas dare secundum modum aliarum personalium decimarum: Tamen Ecclesia non debet eas recipere quandiu sunt in peccato, ne videatur eorum peccatis communicare, sed postquam pœnituerint, possunt ab eis de illis recipi decimæ, 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *ad* 2.

29. *Quær.* An ille, a quo segetes, & bona auferuntur, teneatur decimas dare?

Resp. Div. Th. De his, quæ furto, vel rapina tolluntur antequam recuperet ille, a quo auferuntur, decimas solvere non tenetur, nisi forte propter culpam, vel negligentiam suam damnum incurret; quia ex hoc Ecclesia non debet damnificari, 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *ad* 4.

30. *Quær.* An quis possit vendere triticum, non decimatum; & an quis possit a tritico levare expensas operum, & tributa, & talia, & postea decimas dare?

Resp. Div. Th. Si vendatur triticum non decimatum, potest Ecclesia decimas exigere ab Emptore, quia habet rem Ecclesiæ debitam, & a venditore, quia quantum est de se Ecclesiam defraudavit: uno tamen solvente alius non tenetur. Et quia decimæ debentur de fructibus terræ in quantum proveniunt ex divino munere; ideo decimæ non cadunt sub tributo, nec etiam sunt obnoxiæ mercedi operariorum. Et ideo non debent prius deduci tributa, & pretium operariorum, quam solvantur decimæ, sed ante omnia debent decimæ solvi ex integris fructibus, 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *ad* 4.

31. *Quær.* An Clerici, & Regulares teneantur solvere Decimas?

Resp. Div. Th. Idem non potest esse causa dandi, & recipiendi, sicut nec causa agendi, & patiendi inquantum huiusmodi, sed respectu diversorum contingit eumdem esse dantem, & recipientem, sicut agentem, & patientem. Clericis igitur inquantum sunt Ministri altaris spiritualia populo seminantes, decimæ debentur; & Prædia Ecclesiæ etiam si sint infra terminos alterius Parochiæ non sunt ad decimas solvendas obligata, & quantum ad hoc Clerici si habeant Ecclesiasticas possessiones, decimas solvere non tenentur. Si vero alias possideant proprio iure, vel ex successione Parentum, vel ex emptione, vel quocumque huiusmodi modo, tenentur solvere decimas Parochiali Ecclesiæ, quæcumque sit, sicut alii non Clerici. Regulares, & Religiosi, si habeant curam animarum non tenentur decimas dare, sed possunt eas recipere; Alii vero tenentur de iure communi decimas dare. Habent tamen aliquam immunitatem secundum diversas concessiones eis a Sede Apostolica factas, 2. 2. *q.* 87. *art.* 4. *per totum*.

32. *Quær.* An Pauperes teneantur solvere decimas Sacerdoti diviti?

Resp. Div. Th. Cum Sacerdotibus decimæ debeantur tum de iure naturali, tum de iure divino, tum etiam ex statuto Ecclesiæ, quamvis Sacerdos sit dives, nihil-

nihilominus pauper tenetur ei decimas solvere; quamvis eædem decimæ debeant etiam cedere in subventionem pauperum per dispensationem Clericorum, *quodlib. 6. art. 10. in corpor. & 2. 2. q. 87. art. 4. ad 4.*

33. *Quær.* An propter consuetudinem contrariam aliqui deobligentur a iure solvendi decimas?

Resp. Div. Th. Nulla consuetudo contraria solvit hominem ab obligatione reddendi decimas, quia hæc obligatio, ut dictum est, fundatur supra ius Divinum, & supra ius naturale. Unde semper tenentur homines reddere decimas si Ecclesia exigat, etiam contraria consuetudine non obstante. In terris, in quibus est consuetudo, quod Decimæ solvantur, ipsa consuetudo quasi expostulat decimas, unde peccaret, qui non redderet: In terris vero, in quibus non est consuetudo communis, quod decimæ dentur, & Ecclesia non petit, videtur Ecclesia remittere, dum dissimulat: & ideo in terris illis homines non peccant decimas non dando: durum enim esset dicere, quod omnes homines Italiæ, & orientalium partium damnarentur, qui decimas non solvunt. Apostolus etiam noluit uti sua potestate sibi a Domino tradita, ut scilicet acciperet stipendia victus ab his, quibus evangelium prædicabat, nec tamen peccabant illi, qui ei non subveniebant, alioquin Apostolus eos corrigere non omisisset. Ministri enim Ecclesiæ maiorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promovendorum, quam temporalium colligendorum; ne detur aliquod impedimentum Evangelio Christi. Unde laudabiliter Ministri Ecclesiæ non requirunt, ubi sine scandalo requiri non possent, decimæ propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam. Nec sunt in statu damnationis, qui non solvunt in locis illis, in quibus Ecclesia non petit: nisi forte propter obstinationem animi habentes voluntatem non solvendi decimas, etiamsi ab eis peterentur, *Quodlib. 2. art. 8. & 2. 2. q. 87. art. 1. ad 5.*

Unde Concil. Trid. *Sess. 25. de refor. cap. 12.* inquit. *Non sunt ferendi, qui variis artibus decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, cum decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur Sancta Synodus omnibus cuiuscumque gradus, & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de iure tenentur Ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas aut substrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione sequuta, absolvantur.*

34. *Quær.* An Papa possit exigere Decimas ab aliis Ecclesiis, & Clericis totius mundi?

Resp. Div. Th. Dominus Papa pro necessitate potest accipere subsidium ab aliis partibus mundi: & tenentur Clerici summo Pontifici decimas dare, si exigeret: naturalis enim ratio dictat, quod illis, qui habent curam animarum de communi multitudinis statu provideatur, unde possit exequi ea, quæ pertinent ad communem salutem. Ecclesia enim est unum corpus, cuius caput est Papa, *Lect. 2. cap. 11. secundæ ad Corinthios & 2. 2. q. 87. art. 4. ad 3.*

Unde Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 12. Hortatur omnes, & singulos pro christiana charitate, debitoque erga Pastores suos munere, ut de Bonis sibi a Deo collatis, Episcopis, & Parochis, qui tenuioribus præsunt Ecclesiis, large subvenire ad Dei laudem, atque Pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non graventur.*

35. *Quær.* An Decimæ possint vendi, & emi, & etiam dari in feudum?

Resp. Div. Th. Ius percipiendi Decimas sequitur spirituale officium, quia debetur Ministris Ecclesiæ, nec Laici possunt habere huiusmodi ius, quamvis ad tempus fructus Decimarum aliquando laicis concessus sit propter aliquam Ecclesiæ necessitatem, vel benemerentiam; sicut etiam quibusdam Decimæ debentur in feudum, & tunc hoc modo, quo laicis dari potest, ab eis redimi potest ex auctoritate Episcopi: tamen una Ecclesia non potest ab alia emere ius percipiendi decimas cum sit aliquid spirituale annexum, *4. sent. dist. 25. q. 3. art. 2. quæstiunc. 3. ad 4. & 2. 2. q. 87. art. 3. ad 3. & q. 100. art. 4. ad 3.*

36. *Quær.* Quando quis moratur ratione domus, & ratione agri in duabus Pa-

Parœciis, quomodo Decimæ solvendæ sunt?

Resp. Div. Th. Decimæ personales debentur Ecclesiæ, in cuius Parochia homo habitat; Decimæ vero Prædiales rationabiliter magis videntur pertinere ad Ecclesiam in cuius terminis prædia sita sunt: tamen iura determinant, quod in hoc servetur consuetudo diu obtenta. Pastor autem, qui diversis temporibus, puta in duabus Parochiis, gregem & armenta pascit, debet proportionabiliter utrique Ecclesiæ decimas solvere, 2. 2. *q*. 87. *art*. 8. *ad* 2.

DE VOTO.

37. *Quær*. Quid sit votum?

Resp. Div. Th. Votum est promissio Deo facta de meliori bono, quod quis vovet in divinum cultum, seu obsequium: sive promissionis contractus inter Deum, & Hominem. Unde vovere proprie est actus Religionis. Ad votum tria ex necessitate requiruntur; primo quidem deliberatio; secundo propositum voluntatis; tertio promissio spontanea, in qua perficitur ratio voti; & qui votum factum prætermittit, mortaliter peccat, quia fidem, quam cum Deo iniit, frangit, 2. 2. *q*. 88. *art*. 1. 2. *&* 5. *&* 4. *sent. dist*. 38. *q*. 1. *quæstiunc*. 1. *in corpor*.

Unde Concil. Trid. *Sess*. 7. *Can*. 9. *de Baptis*. inquit. *Si quis dixerit, vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso iam factæ irrita esse; anathema sit*.

38. *Quær*. Quomodo dividatur votum?

Resp. Div. Th. Votum dividitur in votum privatum, & simplex, & in votum solemne. Votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quam votum simplex, & gravius peccat, qui illud transgreditur. Et si dicatur, quod votum simplex non minus obligat apud Deum, quam solemne, intelligendum est quantum ad hoc, quod utriusque transgressor peccat mortaliter. Præterea obligatio voti solemnis nullo casu irritari potest; obligatio vero voti privati, & simplicis aliquo casu irritatur, 2. 2. *q*. 88. *art*. 7. *ad* 1. *&* 3. *sent. dist*. 38. *q*. 1. *art*. 2. *quæstiunc*. 2. *&* 3. *in corp*.

39. *Quær*. An sit expediens aliquid vovere, & se, vel sua Deo tradere, magis laudabile & meritorium?

Resp. Div. Th Dictum est, votum est promissio Deo facta: alia autem ratione aliquid promittitur homini, & alia ratione Deo. Homini promittitur aliquid propter illius utilitatem; sed promissionem facimus Deo non propter eius utilitatem, sed propter nostram; quia ut *Aug*. dicit *Epist*. 45. Quod ei redditur reddenti additur. Et triplici ratione facere opus cum voto est magis utile, & magis meritorium, quam facere sine voto: primo quidem quia vovere est actus Latriæ, quæ est præcipua inter virtutes morales, & actus abstinentiæ, & continentiæ, si fiant ex voto pertinent ad divinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia. Unde *Aug*. dicit *in lib. de Virg. cap*. 8. Neque virginitas, quia virginitas est, sed puta quia Deo dicata est, honoratur. Secundo quia ille, qui vovet aliquid, & facit, plus se Deo subiicit, quam ille, qui solum facit; subiicit se Deo, nempe non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad habitum, & potestatem. Sicut plus daret homini, qui daret arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum. Tertio quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bono; neque necessitas firmatæ voluntatis in bonum diminuit libertatem, neque meritum; Unde *Aug*. dicit *in eadem epist*. 45. Fœlix necessitas est, quæ in meliora compellit, & talis necessitas habet quamdam similitudinem cum confirmatione Beatorum. Non te igitur unquam vovisse pœniteat, concludit *Aug*. immo gaude iam tibi sic non licere, quod forte cum tuo detrimento licuisset, 2. 2. *q*. 88 *art*. 4. *&* *art*. 6. *per totum*.

Error Gerardi Sergardi, sæcul. 13. *Perfectius est vivere sine voto quam cum voto*.

40. *Quær*. An votum solemnizetur per susceptionem sacri Ordinis, & per Professionem Religiosam?

Resp. Div. Th. Voti solemnitas adhibetur quando aliquis per susceptionem sacri ordinis Divino ministerio applicatur: & in professione certæ regulæ, quando per abrenunciationem sæculi, & propriæ voluntatis aliquis statum perfectionis assumit, secundum aliquam spiritualem benedictionem, & consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibe-

betur in professione certæ regulæ, & post sacri ordinis susceptionem, ut dicit *Dionis.* 2. *cap. Eccles. Hierarch.* quo quis totaliter se subiicit Divino ministerio, seu famulatui: in quo tamen voto multa particularia opera comprehenduntur. Nam antequam essent regulæ, quæ modo sunt, erat aliquis modus vivendi ab Ecclesia approbatus, quo aliqui ad ea, quæ supererogationis sunt se obligabant, ut dictum est, ex institutione Apostolorum, quæ obligatio idem faciebat, quæ nunc obligatio voti ad certam regulam, 2. 2. *q.* 88. *art.* 7. *per totum*, *&* 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *ad* 3.

Lampediani sæcul. VII. condemnabant vota monastica, quod & fecit Vicleffus.

Unde Concil. Trid. *Sess.* 24. *Canon.* 9. *Si quis dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, qui non sentiunt se castitatis habere donum: anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos supra id, quod possumus, tentari.*

41. *Quær.* An alia vota, præter duo enumerata religionis, & ordinis, conveniens sit, ut solemnizentur?

Resp. Div. Th. Particularibus actibus non consuevit solemnitas adhiberi, sed solum assumptioni novi status; ideo cum quis vovet aliqua particularia opera, sicut aliquam peregrinationem, vel aliquod speciale ieiunium, tali voto, etsi esset publicum, non congruit solemnitas, nam quæ fiunt in publico possunt habere quamdam solemnitatem humanam, non autem semper solemnitatem spiritualem, & divinam, sicut habent vota præmissa ordinis, & religionis, etsi coram paucis fiant. Aliud est votum esse publicum, & aliud est esse solemne; nam qui professionem in occulto faceret in manu eius, qui eam recipere possit, facit votum solemnizatum, quia oportet eum sæcularem vitam dimittere, & in claustro cum aliis sui ordinis conversari. Immo ipsa habitus susceptio solemnizaret votum, quia esset quædam præsumpta Professio, contra quam præsumptionem non admittitur probatio, si serventur debitæ circumstantiæ, sicut quod detur habitus ab eo, qui dare potest, & coram fratribus, 2. 2. *q.* 88. *art.* 7. *ad* 2. *&* *ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *per totam.*

Concil. Trid. *Sess.* 25. *de Reg. cap.* 1. *Omnes Regulares..... vitam instituant .....ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si alia sunt alicuius Regulæ, & Ordinis peculiaria vota .... fideliter observent.....* Et *cap.* 19. *Et quicunque Regularis prætendat se per vim, & metum ..... & ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile ..... non audiatur nisi intra quinquennium a die professionis.*

42. *Quær.* Quo iure obligetur homo ad observandum votum, & an statim teneatur illud implere?

Resp. Div. Th. Iure naturali, & præcepto Divino tenetur homo adimplere votum; maxime autem debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii suscepti: & quia ligatio voti est ex propria voluntate, & intentione, (Observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo loquutus es; ut habetur *Deut.* 23.) ideo si in intentione, & voluntate voventis est obligare se ad statim solvendum, tenetur statim solvere; si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, non statim teneretur solvere, sed nec debet tardare ultra, quam intendit se obligare: dicitur enim ibidem. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *in corp. &* *ad* 3. *& art.* 10. *ad* 2. *& quodlib.* 3. *art.* 12. *&* 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiun.* 1. *ad* 4. *&* 7.

43. *Quær.* An votum, quod vergit in deteriorem exitum obliget?

Resp. D. Th. Sicut iuramentum, quod vergit in deteriorem exitum non est servandum, ita nec votum. Unde *Isidorus in lib.* 2. *Synonimorum*, dicit: In turpi voto muta decretum, quia votum non extendit se ad illicita, vel minus bona: nec differt utrum tunc fuerit illicitum, quando votum emissum est, vel postmodum illicitum fiat, 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 3.

44. *Quær.* An soli Deo, an etiam Sanctis votum fieri dicatur?

N 2 *Resp.*

Resp. Div. Th. Votum soli Deo fit. Sed promissio, quæ fit homini potest cadere sub voto, inquantum est quoddam opus virtuosum. E per hunc modum intelligendum est votum, quo quis vovet aliquid Sanctis, ut promissio facta Sanctis cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum, quod Sanctis promittit. Ideo omne votum principaliter ad Deum reducitur; & non fit Sanctis, nisi secundum quod per suffragia sunt mediatores inter nos, & Deum, 2. 2. *q.* 88. *art.* 5. *ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 4.

44. *Quær.* Quinam possint voto se obligare?

Resp. Div. Th. Si quis ante pubertatis annos, vel post nondum habet usum rationis, nullo modo potest ad aliquid se voto obligare. Si vero ante pubertatis annum attingit usum rationis, potest quidem quantum in ipso est se obligare; sed votum eius potest irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc subiectus. Quandocumque tamen fit doli capax ante annos pubertatis, non potest obligari voto solemni Religionis propter Ecclesiæ statutum, quæ respicit quod in pluribus accidit. Post annos pubertatis posset iam se voto religionis obligare, vel simplici, vel solemni, absque voluntate parentum. Votum in genere eorum, qui sunt alterius potestatis subditi, quamvis non sit firmum sine consensu eorum, quibus subiiciuntur, non tamen peccant vovendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio, scilicet si suis superioribus placuerit, vel non renitantur; ex qua licita redduntur, & valida vota si conditio existat, 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *&* 9. *per totum*, *&* 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiun.* 3. *in corp. &* *ad* 2.

45. *Quær.* An unus coniugum possit vovere sine consensu alterius?

Resp. Div. Th. In his, in quibus uxor viro tenetur, & e converso, neuter potest vovere sine mutuo consensu, sicut patet de voto continentiæ; & sic alter coniugum dissentiens voto alterius non peccat, quia non dissentit, ut bonum illius impediat, sed ne sibi præiudicium generetur. Sed quia in dispensatione domus, & regimine vitæ mulier est subiecta viro, & non e converso, ideo vir potest in talibus vovere sine consensu uxoris, sed non e converso, 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *artic.* 1. *quæstiunc.* 3 *ad* 4. *&* 4. *sent. dist.* 32. *art.* 4. *ad* 2.

46. *Quær.* Si quis, post votum emissum continentiæ, contrahat in facie Ecclesiæ matrimonium, an sit validum, & possit reddere, & petere debitum?

Resp. Div. Th. Votum continentiæ, ut dictum est supra, duplex est, simplex, scilicet, & solemne: solemne votum continentiæ impedit matrimonium contrahendum, & dirimit iam contractum, idest facit, ut non sit matrimonium, & peccat si carnali copula utatur. Votum vero simplex impedit quidem matrimonium contrahendum, sed non dirimit iam contractum; non enim facit, quod matrimonium sequens sit nullum, sed solum, quod matrimonium contrahens mortaliter peccet; matrimonio autem existente mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir, & similiter e converso. Ideo vir, sive mulier matrimonio coniuncta, etiamsi votum simplex præcesserit, non peccat reddendo debitum viro, quia hoc necessitatis est, peccat autem exigendo, quia hoc est voluntatis. Huius autem diversitatis ratio est, quia votum solemne castitatis habet promissionem cum quadam traditione, per quam homo actualiter Divino cultui mancipatur per susceptionem ordinis, vel per professionem ad certam regulam: votum autem simplex habet promissionem sine ordinatione. Manifestum est autem postquam aliquis per votum solemne continentiæ corpus suum Deo non solum promisit, sed etiam tradidit actualiter, non potest illud ulterius coniugi dare, & multo minus reddere debitum. Persona, quæ per simplex votum Deo corpus suum promisit, si postmodum corporis sui potestatem tradat coniugi actualiter, & per matrimonium consummatum, peccat quidem frangens fidem voti, tamen secunda donatio tenet, & coniux habet in eius corpus potestatem, unde non peccat reddendo debitum; si vero quis emitteret votum religionis post matrimonium, suspenditur ad tempus, vivente puta uxore, vel viro, post mortem autem tenetur Religionem adire, nec potest aliam ducere uxorem; interim potest reddere, sed non potest petere debitum, ut iam dictum est: non tamen tenetur interim habitum deferre, vel tonsu-

furam; propter scandalum vitandum uxoris, & aliorum, *quodlib.* 3. *art.* 18. *in corp.* & 4. *sent. dist.* 27.

47. *Quer.* An in voto possit dispensari?

Resp. Div. Th. Dispensatio voti intelligenda est ad modum dispensationis, quæ fit in observantia legis, quia lex ponitur respiciendo ad id, quod est, ut in pluribus bonum. Sed quia contingit huiusmodi in aliquo casu, non esse bonum, oportuit per aliquem determinari in illo particulari casu, legem non esse servandam, & hoc proprie est dispensare. Similiter autem ille, qui vovet, quodammodo sibi statuit legem obligans se ad aliquid, quod est secundum se, & ut in pluribus bonum; potest tamen contingere, quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditivum, quod est contra rationem eius, quod cadit sub voto; ideo necesse est, quod determinetur aliquod votum non esse servandum, scilicet in hoc casu, hoc non esse materiam congruam voti, & tunc dicitur dispensatio voti. Si autem per hoc, quod servandum erat aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Minus vero est votum commutare, quam in voto dispensare, utrumque tamen in potestate Ecclesiæ consistit: ita quod quando votum commutatur, vovens absolvitur ab uno, & ligatur ad aliud; sed quando in voto dispensatur, simpliciter a voto absolvitur, sine hoc, quod ad aliud ligetur, unde post dispensationem in voto, puta simplici continentiæ, non peccaret mulier, neque exigendo, neque petendo debitum, 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. *in corp.* & 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. & 3. *in corp.* & *quodlib.* 3. *art.* 18. *ad* 1.

48. *Quer.* Ad commutationem, seu dispensationem voti, quænam Prælati auctoritas requiratur?

Resp. Div. Th. Prælatus in Ecclesia gerit vices Dei, & ideo in omni commutatione, vel dispensatione votorum, requiritur Prælati auctoritas, quæ in persona Dei determinet, quid sit Deo acceptum; quia omnis dispensatio petita a Prælato debet fieri ad honorem Christi, in cuius persona dispensat, vel ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est eius corpus. Plenitudo igitur potestatis dispensandi residet penes Summum Pontificem, ut alibi dictum est, alii autem participant de hac potestate, quantum eis concessum est, ut quia omnes ad unum recurrere non possunt, per inferiores dispensationem recipere possunt. Unde in votis illis, quæ non de facili dispensationem recipiunt, neque frequenter, sed raro, sicut votum religionis, & alia huiusmodi vota perpetua, solus Papa dispensare potest. In temporalibus autem votis, sicut peregrinationum, & ieiuniorum, & huiusmodi possunt etiam Episcopi, & Delegati dispensare; nisi aliquod horum sibi Papa reservaverit, sicut dispensatio in voto Terræ Sanctæ, & Compostellæ, & Romæ ad sepulcrum Principis Apostolorum, 4. *sent. dist.* 38 *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *in corp* & 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *in corp.* & *ad* 3. & *q.* 184. *art.* 6. *q.* 185. *art.* 4. & *q* 189. *art.* 7.

49. *Quer.* An in voto solemni possit fieri dispensatio a Papa?

Resp. Div. Th. Quod in *Decretali lib.* 3. *art.* 36. *cap.* 6. *extra de statu Monach. in fine Decret. Cum ad Monasterium*, dicitur, Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis adeo annexa est regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit indulgere. Non autem potest facere, puta, quod ille, qui est Sacerdos, & consecratus, non sit Sacerdos, & consecratus, licet possit ob aliquam causam executionem ordinis inhibere; simili ratione Papa non potest facere, quod ille, qui est Professus Religionem, non sit Religiosus: licet quidam Iuristæ contrarium dicant. Est autem debitum continentiæ essentiale statui religionis, per quem homo abrenuntiat sæculo, totaliter Dei servitio mancipatus, quod non potest simul stare cum coniugio. Unde nomen Monachi ab unitate sumitur per oppositum ad coniugium Quia vero debitum continentiæ non est essentialiter annexum Ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ, videtur, quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentiæ solemnizato per susceptionem Ordinis sacri. Non vero in voto solemnizato per professionem Religionis; tum quia castitas, ut dicit *Decretalis*, est annexa Regulæ Monachali, tum quia actus castitatis incipit ad Latriam pertinere per professionem Religionis, tum quia professi in Religione mor-

mortui sunt mundo, & in perpetua continentia vivunt Deo. Unde non sunt revocaudi ad vitam humanam occasione cuiuscumque eventus, sive pro vita propria, sive pro Patria, 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *per totum*.

50. *Quær.* An Religiosus factus Episcopus sit dispensatus a votis Religionis?

Resp. Div. Th. Religiosus, qui fit Episcopus sicut non absolvitur a voto continentiæ, ita nec a voto paupertatis, quia nihil debet habere tamquam proprium; sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiæ. Similiter non absolvitur a voto obedientiæ; sed per accidens obedire non tenetur, si superiorem non habeat. Sicut Abbas Monasterii, qui tamen non est obedientiæ voto absolutus, 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *ad* 4.

DE IURAMENTO.

51. *Quær.* Quid, & quotuplex sit iuramentum, & an sit licitum, & utile?

Resp. Div. Th. Ille, qui iurat invocat Divinum testimonium ad confirmandum ea, quæ dicit. Iurare igitur per Deum nihil aliud est, nisi invocare eius testimonium, cuius veritatem qui iurat, profitetur indefectibilem, quod pertinet ad Dei reverentiam, & ad cultum religionis. Divinum testimonium quandoque inducitur ad asserendum præsentia, vel præterita, & hoc dicitur iuramentum assertorium; quandoque autem inducitur divinum iuramentum ad confirmandum aliquid futurum, & hoc dicitur iuramentum promissorium. Secundum se est licitum, utile, & necessarium. Nam humanum testimonium non est sufficiens ad confirmandam veritatem, propter duo: Primo quidem, propter defectum veritatis humanæ, quia plurimi in mendacium labuntur. Secundo, propter defectum cognitionis, quia homines non possunt cognoscere neque futura, neque cordium occulta, vel etiam absentia, & tamen expedit rebus humanis, ut certitudo aliqua de his habeatur, ad iustificandum homines, & ad finiendum controversias, ut dicitur *ad Hebr.* 6 Et ideo necessarium fuit recurrere ad Divinum testimonium, quia Deus neque mentiri potest, neque cum aliquid latet: & iure introductum est, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur pro vero habeatur. Duplex est modus iurandi; unus quidem per simplicem Dei contestationem, sicut cum aliquis dicit, est mihi Deus testis, vel coram Deo loquor, vel per Deum. Alius modus iurandi est per execrationem, dum scilicet aliquis se, vel aliquid ad se pertinens ad pœnam obligat, nisi sit verum quod dicit, secundum illud *Psal.* 7. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis; & illud, Ego testem Deum invoco in animam meam, *Apost.* 2. *ad Cor.* 1. 2. 2. *q.* 89. *art.* 1. *&* 2. *&* 4. *per totum*, 3. *sent. art.* 1. *&* 2. *in corp. Lect.* 5. *cap.* 1. *ad Roman. Lect.* 4. *cap.* 6. *ad Hebr.* 1.

Error Waldensium sæcul. 12. *Christianis interdictum est iuramentum, ita ut nunquam illis iurare liceat.*

Error etiam Lutheri sæcul. 16. *Nequaquam licet iurare Christianis.*

52. *Quær.* An conditiones iuramenti sint tres, scilicet, iustitia, iudicium, & veritas?

Resp. Div. Th. Iuramentum non est bonum nisi ei, qui bene utitur iuramento: ad bonum autem usum iuramenti plura requiruntur; primo quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa, & discrete iuret, & quantum ad hoc requiritur iudicium discretionis. Secundo, quantum ad id, quod per iuramentum confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque sit aliquod illicitum, & quantum ad hoc requiritur veritas animi, & locutionis, per quam aliquis iuramento confirmat, quod verum est; & iustitia, per quam confirmat quod licitum est. Iudicio autem caret iuramentum incautum, veritate autem iuramentum mendax, iustitia autem iuramentum iniquum, sive illicitum, 2. 2. *q.* 89 *art.* 3. *in corp. & quodlib.* 12. *art.* 21. *in corp.*

53. *Quær.* An qui iurat per creaturas, iuret per Deum?

Resp. D. Th. Quamvis aliquando iuretur per creaturas, tamen sciendum, quod in omnibus his non iuratur nisi per Deum, cuius testimonium invocatur. Cum iuramentum innitatur Divinæ veritati de primario, secundario assumuntur ad iuramentum aliquæ creaturæ, non secundum se, sed in quantum in eis divina veritas manifestatur. Sicut iuramus per Evangelium, idest per Deum, qui dedit Evangelium, cu-

cuius veritas in Evangelio manifestatur, & iuramus per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & observaverunt; & hoc iuramentum fit per simplicem contestationem; per execrationem solet homo iurare per caput suum, per animam suam, per filium suum, aut per aliam rem, quam diligit, quod idem est eam obligare pœnæ infligendæ a Deo, si res aliter se habeat, *Opusc.* 4. *cap. de secundo præcept. &* 2. 2. *q.* 89. *art.* 6. *&* 3. *sent. dist.* 39. *art.* 1. *in corp.*

54. *Quær.* An sit de facili iurandum?

Resp. Div. Th. Iuramentum cedit in malum alicui ex eo, quod male utitur sine necessitate, & cautela debita: videtur enim parvam reverentiam habere ad Deum, qui eum ex levi causa testem inducit, quod non præsumeret etiam de aliquo viro honesto; unde *Eccl.* 23. dicitur: Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa: ne scilicet iurando ad facilitatem iurandi perveniatur, & ex facilitate iurandi ad consuetudinem, & a consuetudine in periurium decidatur. Unde Apostolus Paulus non invenitur iurasse, nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam præcipitem, 2. 2. *q.* 89. *art.* 2. *& Lect.* 5. *cap.* 1. *ad Rom.*

55. *Quær* Quænam sint causæ, in quibus, ut in plurimum licet iurare?

Resp. Div. Th. Causæ in quibus licet iurare hæ sunt, scilicet pro pace firmanda, sicut Laban iuravit, *Gen.* 30. Secundo, pro fama conservanda; tertio, pro fidelitate tuenda, sicut feudatarii iurant Dominis: quarto, pro obedientia implenda, si præcipiatur a superiori aliquid honestum. Quinto, pro securitate, vel cautione facienda; sexto pro veritate attestanda, sicut iuravit *Apostolus*. *Rom.* 1. Testis mihi Deus. Per iuramentum enim finitur omnis controversia; sicut in scientiis quando resolvitur quæstio ad prima principia, quiescitur, ita divina lege introductum est, quod cum pervenitur ad primam veritatem est status; quod fit quando ipsa in testimonium invocatur per iuramentum, *Exod.* 22. Applicabitur ad Deum, & iurabit; homines per maiorem sui iurant, & sic finitur omnis quæstio, & controversia, *Lect.* 4. *cap.* 6. *ad Hebr.*

Error Wicleffi sæcul. 14. *Iuramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos contractus, & commercia civilia.*

Unde Concil. Trid. *Sess.* 24. *de refor. cap.* 12. decrevit, *quod provisi de Beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel coram Generali eius Vicario orthodoxæ fide fidei publicam facere professionem, & in Romana Ecclesia obedientia se permansuros iurent, & spondeant. Provisi autem de Canonicatibus, non solum coram Episcopo, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur, alioquin prædicti omnes provisi, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.*

56. *Quær.* An liceat iuramentum exigere?

Resp. Div. Th. Sicut iurare non semper est malum, sed quandoque est licitum, quando pro necessitate aliqua, & cum cautela iuratur; ita etiam iuramentum recipere, vel exigere ex causa necessaria, & aliis debitis circumstantiis observatis potest esse sine peccato. Quando vero aliquis scit, vel probabiliter credit, quod aliquis deiurabit, non licet ei iuramentum exigere, nisi forte in loco iudicii, quia iuramentum in iudiciis, non tantum exhibetur propter iudicium, sed propter alios. Unde non est in potestate eius iuramentum remittere, quod secundum ordinem iuris exhibendum esset; similiter si sciat eum iuraturum verum, potest licite iuramentum exigere, non pro se, sed pro aliis, qui hoc nesciunt. Si autem dubitet, dubitatio ex tanta suspicione procedere potest, quod cum peccato erit; & ideo *Aug.* non audet dicere, quod sit sine peccato, non tamen dicit quod semper sit peccatum, immo nullum, si exigeret iuramentum tamquam persona publica, 3. *sent. dist.* 39. *art.* 5. *q.* 2. *ad* 2. *& art. ult.* 2. 2. *q.* 98. *art.* 4. *in cor.*

57. *Quær.* An liceat inducere aliquem ad iurandum per falsos Deos?

Resp. D. Th. Licet eius, qui per falsos Deos iurare paratus est, licet, inquam, iuramentum recipere, non tamen licet eum inducere ad hoc, ut per falsos Deos iuret, nam possumus recipere quantum ad assertionem veri, quod redundat in bonum commune, 2. 2. *q.* 98. *art.* 4. *ad* 4. *&* 3. *sent. dist.* 39. *art.* 5.

58. *Quær.*

58. *Quer.* Qualis, & quanta sit obligatio iuramenti?

Resp. Div. Th. Iuramentum aliud est assertorium, & aliud est promissorium, utrumque habet quamdam obligationem; diversimode tamen, quia in iuramento assertorio, quod est de præterito, vel de præsenti, obligatio est non respectu rei, quæ iam fuit, vel est, sed respectu ipsius actus iurandi, ut scilicet iuret id, quod iam verum est, vel fuit; sed in iuramento promissorio, quod præstatur de his, quæ sunt fienda a nobis, obligatio cadit supra rem, quam aliquis iurando firmavit. Tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id, quod iuravit, alioquin deest veritas iuramento; si autem est talis res, quæ in eius potestate non fuit, deest iuramento discretionis iudicium; nisi forte, quod erat ei possibile quando iuravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum, puta cum aliquis iurat se pecuniam soluturum, quæ ei postmodum vi, vel furto subtrahitur, tunc enim videtur excusatum esse a faciendo, quod iuravit, licet teneatur facere quod in se est: quia aliud est de simplici verbo, aliud de iuramento. Sufficit enim ad veritatem verbi, quod aliquis dicat id quod proponit se facturum. Sed si iuramentum adhibeatur, propter reverentiam Divini testimonii, quod invocatur, obligatur homo, ut faciat esse verum id, quod iuravit secundum suam possibilitatem, 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *q.* 1. *art.* 7. *in corp. & ad* 1.

59. *Quer.* An qui coactus iuravit, teneatur adimplere iuramentum?

Resp. Div. Th. In iuramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio; una quidem, qua obligatur homini cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia vero est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen eius promisit, & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere, quam iuramentum violare; potest tamen repetere in iudicio, quod solvit, vel Prælato denuntiare non obstante quod contrarium iuravit, quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum; esset enim contra iustitiam publicam. Romani autem Pontifices ab huiusmodi iuramentis absolvunt, ut habetur *extra de iure iurand. C. verum*, non quasi decernentes huiusmodi iuramenta non esse obligatoria, sed quasi huiusmodi obligationes ex iusta causa relaxantes, præcipue si quis coactus fuerit tali metu, qui possit cadere in constantem virum. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 3. 3. *sent. dist.* 39. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *in corp. iterum* 2. 2. *q.* 98. *art.* 3. *ad* 1.

60. *Quer.* An iuramentum de servando secretum in omnibus casibus obliget?

Resp. Div. Th. Est aliquando aliquod secretum, quod esset illicitum celare, sicut quod in periculum vergeret aliorum, quibus aliquis cavere tenetur; unde & in iuramento fidelitatis continetur, quod huiusmodi secreta subditi debeant dominis revelare, *Quodlibet.* 1. *art.* 15. *in corp.*

61. *Quer.* An semper iuramentum, quod vergit in deteriorem exitum sit relaxandum.

Resp. Div. Th. Iuramentum potest vergere in deteriorem exitum dupliciter; uno modo quia ab ipso principio habet peiorem exitum, vel quia est secundum se malum, vel quia est maioris boni impeditivum, puta cum quis iurat se non iturum Religionem, vel quod non accipiet Prælationem, in quo expedit eum accipere, vel aliquid aliud huiusmodi. Tale enim iuramentum a principio fuit illicitum, differenter tamen, quia si quis iuret se facturum aliquod peccatum, & peccat iurando, & peccat iuramentum servando. Si quis autem iurat, se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenebatur, peccat quidem iurando, quia ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator, non tamen peccat iuramentum servando; sed multo melius facit si non servet. Alio modo vergit in deteriorem exitum propter aliquod, quod de novo emerserat, quod fuit impræmeditatum, & tunc impletio iuramenti esset illicita. Quia iuramentum non est servandum in eo casu, quo est peccatum, vel boni impeditivum quia deest iudicium, & iustitia, 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *in corp. & ad* 2.

62. *Quer.* Quando alia est intentio iurantis, & alia cui fit iuramentum, qualiter servandum est?

Resp. Div. Th. Quando non est eadem in-

intentio iurantis, & eius, cui iurat, si hoc proveniat ex dolo iurantis debet iuramentum servari secundum sanum intellectum eius, cui iuramentum præstatur. Unde *Isidorus* dicit: Quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita accipit, sicut, cui iuratur, intelligit: & quod intelligatur de doloso iuramento patet per id, quod subditur: Dupliciter reus fit, & quia nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit. Si autem iurans dolum non adhibet, obligatur secundum intentionem iurantis. Unde *Greg.* dicit 27. *Moralium*: Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant: divina vero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimo proferuntur. Si vero aliquis absolute iuraret se facturum voluntatem alterius, intelligenda est debita conditio, si scilicet id, quod ei mandatur licitum sit, & honestum, & portabile, sive moderatum, 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad.* 4. & 2. 2. *q.* 98. *art.* 2. *ad* 3.

Extat prop. damn. ab Inn. XI. in ord. 25. *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

63. *Quær.* An omnes admittantur, & qualiter ad iuramentum?

Resp. Div. Th. In iuramento duo sunt consideranda; unum quidem ex parte Dei, cuius testimonium inducitur, & ex parte hominis, cuius dictum iuramento confirmatur. Ex parte Dei debetur iuramento maxima reverentia: & propter hoc a iuramento excluduntur pueri ante pubertatis annos, qui non coguntur ad iurandum, quia nondum habent perfectum usum rationis, quo possunt cum reverentia debita iuramentum præstare. Iterum ad iuramentum non admittuntur periuri, quia ex retroactis præsumitur, quod debitam reverentiam iuramento non exhibeant. Et propter hoc, ut debita reverentia iuramento exhibeatur, dicitur 22. *q.* 5. Honestum est, ut qui in sanctis audet iurare, hoc ieiunus fiat, cum omni honestate, & timore Dei. Ex parte hominis, cuius dictum iuramento confirmatur, quia de eo dubitatur. Hoc autem derogaret dignitati alicuius personæ eminentis, ut dubitaretur de eius veritate. Ideo personis magnæ dignitatis non convenit iurare: propter quod dicitur, 2. *q.* 4. *cap. si quis Presbyter*, quod Sacerdotes ex levi causa iurare non debent: tamen pro aliqua necessitate, vel magna utilitate licitum est eis iurare, & præcipue in solemnibus diebus solum pro spiritualibus negotiis: pro rebus temporalibus autem iuramenta præstanda non sunt, nisi ex magna necessitate, 2. 2. *q.* 89. *art.* 10. *in corp.*

64. *Quær.* An quis obligetur alieno iuramento?

Resp. Div. Th. Iuramentum est actio personalis. Unde ille, puta, qui de novo fit civis alicuius civitatis, vel Canonicus alicuius Ecclesiæ non obligatur quasi iuramento ad observanda illa, quæ civitas, vel Ecclesia se servaturam iuravit: tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, ut sicut fit socius bonorum civitatis, & Ecclesiæ, ita & fiat particeps onerum; sicut si civis, vel Canonicus iurat se servaturum statuta edita in aliquo Collegio, non tenetur ex iuramento ad servandum futura, nisi intenderit se obligare ad omnia statuta præterita, & futura; tenetur tamen ea servare ex ipsa vi statutorum, & ex vi sui iuramenti præstiti, maxime si induat rationem voti communitatis, 2. 2. *q.* 98. *art.* 2. *ad* 4.

65. *Quær.* An possit dispensari in iuramento, & qui possint dispensare, & quomodo?

Resp. Div. Th. Necessitas dispensandi tam in lege, quam in voto est propter hoc, quod id, quod in se, vel universaliter consideratum, est utile, & honestum, secundum aliquem particularem eventum potest esse inhonestum, & nocivum, quod non potest cadere nec sub lege, nec sub voto. Quod autem aliquid sit inhonestum, vel nocivum repugnat etiam his, quæ debent attendi in iuramento; nam si sit inhonestum, repugnat iustitiæ, si sit nocivum, repugnat iudicio: & ideo pari ratione etiam in iuramento dispensari potest. Quandoque autem aliquid sub iuramento promittitur, de quo dubium est, utrum sit licitum, vel illicitum, proficuum, vel nocivum, aut simpliciter, aut in aliquo casu; & in hoc potest quilibet Episcopus dispensare. Quando vero sub iuramento promittitur aliquid, quod est manifeste licitum, & utile, in tali iuramento non videtur habere locum dispensatio, vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem, faciendum; & ad hoc

hoc dignoſcendum maxime videtur pertinere ad poteſtatem Papæ, qui habet curam univerſalis Eccleſiæ, vel etiam abſoluta relaxatio, quod, ut alibi dictum eſt, ad Papam pertinet in omnibus generaliter, quæ ad diſpenſationem rerum Eccleſiaſticarum pertinent, ſuper quas habet plenitudinem poteſtatis. Sicut & ad unumquemque pertinet irritare iuramentum, quod a ſuis ſubditis factum eſt circa ea, quæ eius poteſtati ſubduntur, ſicut Pater poteſt irritare iuramentum puellæ, & vir uxoris, ut dicitur *Num.* 30. Ad hoc ſe extendit diſpenſatio iuramenti, ut id quod ſub iuramento cadebat, ſub iuramento non cadat, quaſi non exiſtens debita materia iuramenti. Materia autem iuramenti aſſertorii, quod eſt de præterito, vel de præſenti in quamdam neceſſitatem iam tranſit, & immutabilis facta eſt, & ideo diſpenſatio non refertur ad materiam, ſed ad ipſum actum iuramenti. Sed materia iuramenti promiſſorii eſt aliquid futurum, quod variari poteſt, ita ſcilicet, quod in aliquo eventu, (ut dictum eſt) poteſt eſſe aliquod illicitum, vel nocivum, & per conſequens non eſſet debita materia iuramenti, & ideo diſpenſari poteſt in iuramento promiſſorio, quia diſpenſatio cadit ſupra materiam iuramenti, & non contrariatur præcepto Divino de iuramenti obſervatione, 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. *ad* 1. *in corp. & ad* 3.

66. *Quær.* An ille, cui fit iuramentum poſſit illud relaxare?

Reſp. Div. Th. Homo poteſt alteri promittere aliquid ſub iuramento dupliciter; uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipſius, puta ſi ſub iuramento promittat ſe pecuniam daturum, a tali promiſſione poteſt abſolvere ille, cui promiſſio facta eſt; intelligitur enim iam ei ſolviſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundum eius voluntatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum, puta ſi aliquis ſub iuramento promittat alicui ſe intraturum Religionem, vel aliquod opus pietatis facturum; & tunc ille, cui promittitur non poteſt abſolvere promittentem, quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo, vel alicui tertio, niſi forte ſit interpoſita conditio, ratione cuius poſſit, ſcilicet ſi illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale, 2. 2. *q.* 89. *art* 9. *ad* 2.

DE VITIIS OPPOSITIS DUOBUS PRIMIS PRÆCEPTIS PRIMÆ TABULÆ.

67. *Quær.* Quid ſit periurium, & an ſit ſemper peccatum mortale?

Reſp. Div. Th. Periurium eſt mendacium iuramento firmatum. Dictum eſt ſupra, iurare eſt teſtem Deum invocare; pertinet autem ad Dei irreverentiam, & Dei contemptum, quod aliquis eum in teſtem invocet falſitatis, quia per hoc datur intelligi, vel quod Deus veritatem non cognoſcat, vel quod falſitatem teſtificari velit; unde manifeſtum eſt, quod periurium ex ſui ratione eſt peccatum mortale Religioni contrarium. Primo quidem, & principaliter, ut ait *Hieronym. Hieremiæ* 4. quando deeſt veritas; ſecundario autem, quando deeſt iuſtitia, quecumque enim modo quis iurat illicitum, ex hoc ipſo falſitatem incurrit, quia obligatus eſt, ut contrarium faciat; tertio vero, quando deeſt iudicium, quia cum indiſcrete iurat, ex hoc ipſo periculo ſe exponit falſitatem incurrendi, 2. 2. *q.* 98. *art.* 1. *&* 2. *&* 3. *per totum*.

Error Priſcilliani dicentis, *Mendacium non eſſe peccatum etiam iuncto periurio*.

68. *Quær.* An ſit periurus, & peccet mortaliter ille, qui non ſervat, quod coactus iuravit ſervare?

Reſp. Div. Th. Coactio non aufert iuramento promiſſorio vim obligandi reſpectu eius, quod licite fieri poteſt, & ideo ſi aliquis non impleat, quod coactus iuravit, periurium incurrit, & mortaliter peccat: poteſt tamen, ut ſuperius dictum eſt, per auctoritatem Summi Pontificis ab obligatione iuramenti abſolvi, maxime ſi coactus fuerit tali metu, qui cadere poſſit in virum conſtantem; nec obſtat, quod dicatur in *Decret. lib.* 2. *cap.* 15. *extra de iureiurando*, quod tales non ſunt puniendi tamquam pro mortali crimine; quia non hoc dicitur, quia non peccent mortaliter, ſed quia pœna eis minor infligenda eſt in foro externo, 2. 2. *q.* 98. *art.* 3. *ad* 1.

69. *Quær.* An qui iocoſe, vel inadvertenter ex lapſu linguæ falſum iurat, peccet mortaliter?

Reſp.

Resp. Div. Th. Qui iocose periurat, non evitat Divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis auget; & ideo non excusatur a peccato mortali. Ille vero, qui ex lapsu linguæ falsum iurat, si quidem advertit se iurare, & falsum esse, quod iurat, non excusatur a peccato mortali, sicut nec a Dei contemptu. Si autem non avertat, non videtur habere intentionem iurandi, ideo a crimine periurii excusatur, 2. 2. *q.* 98. *art.* 3. *ad.* 2.

70. *Quær.* An qui falsum iurat putans esse verum, & qui verum iurat putans esse falsum, peccet?

Resp. Div. Th. Actus morales procedunt a voluntate secundum obiectum apprehensum, ut bonum, prævia cognitione, & ideo si falsum apprehendatur, ut verum, erit quidem relate ad voluntatem materialiter falsum, & formaliter verum. Si autem quod est falsum, accipiatur ut falsum, erit falsum & materialiter, & formaliter: si autem id, quod est verum apprehendatur ut falsum, erit verum materialiter, & falsum formaliter; & ideo in quolibet istorum casuum salvatur aliquo modo ratio periurii propter aliquem falsitatis modum; sed quia in unoquoque potius est, quod est formale, quam id, quod est materiale, non ita est periurius ille, qui falsum iurat, quod putat esse verum; sicut ille, qui verum iurat, quod putat esse falsum. Dicit enim *Augustin. Serm.* 28. *de verb. Apost.* Interest quemadmodum verbum procedat ex animo, quia ream linguam non facit, nisi mens rea, 2. 2. *q.* 98. *art.* 1. *ad* 3. *&* 3. *sent. dist.* 39. *art.* 4. *ad* 1. *& ad* 3.

71. *Quær.* An peccet ille, qui exigit iuramentum ab eo, qui novit esse periurum?

Resp. D.Th. Circa eum, qui exigit ab alio iuramentum distinguendum videtur; aut enim exigit iuramentum pro se ipso propria sponte, aut exigit iuramentum pro alio ex necessitate officii sibi commissi; si exigit iuramentum pro se ipso, tamquam persona privata, distinguendum ulterius videtur, ut *Aug.* dicit *in serm. de verb. Apost.*28. *de periuriis*. Si enim nescit iuraturum falsum, & ideo dicit, Iura mihi, ut fides ei fiat, non est peccatum, tamen est humana tentatio, quia scilicet procedit ex quadam infirmitate, qua homo dubitat, alium esse verum dicturum: si autem scit eum fuisse contrarium eius, quod iurat, ac sit falsum iuraturum, & cogit eum iurare, homicida est, ille enim de suo periurio se interimit, sed iste manus interficientis impressit, propterea peccat: si autem aliquis exigit iuramentum, & tamen non semper scit eum iurare verum, vel falsum; sed quandoque dubitat de facto, & credit eum verum iuraturum, tunc ad maiorem certitudinem potest exigere iuramentum. Si autem aliquis exigat iuramentum tamquam persona publica, secundum quod exigit ordo iuris ad petitionem alterius, non videtur esse in culpa si ipse iuramentum exigat, sive sciat eum falsum iurare, sive verum, quia non videtur ille exigere, sed ille, ad cuius instantiam exigit, & propter bonum publicum, & universale, 2. 2. *q.* 98. *art.* 4. *per totum*.

72. *Quær.* An periurium sit abominabile, & infamiam gignat?

Resp. D. Th. Homines maxime abhorrent periurium; non tamen propter quodlibet periurium infamis efficitur quis ipso iure. Nam qui iurat falso iuramento assertorio, non est infamis ipso iure, sed solum per sententiam definitivam. Reputatur vero infamis ipso iure, qui frangit iuramentum promissorium solemniter factum; quia in eius potestate est, postquam iuravit, ut det suo iuramento veritatem, quod non contingit in iuramento assertorio, 2. 2. *q.* 98. *art.* 3. *& q.* 70. *art.* 4. *ad* 3.

Extant nonnullæ propositiones in hac materia proscriptæ ab Inn. XI.

26. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine iuret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est periurus.*

28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare iuramentum, quod de mandato Regis, a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem excipientis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

O 2 24. Vo-

24. *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

27. *Causa iusta utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.*

De Superstitione, Idololatria, Divinatione, et Vana observantia.

73. *Quær.* Quid sit superstitio, & eius species?

Resp. Div. Th. Superstitio est vitium religioni oppositum secundum excessum, non quia plus exhibeat in cultum divinum, quam vera religio; sed quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eodem modo, quo non debet. Et est quædam infidelitatis protestatio per exteriorem cultum. In multas dividitur species, secundum diversos fines divini cultus. Ordinatur enim primo divinus cultus ad reverentiam Deo exhibendam, & secundum hoc prima species est idololatria, quæ divinam reverentiam indebite exhibet creaturæ: secundo ordinatur ad hoc, quod homo instruatur a Deo, quem colit, & ad hoc pertinet divinatio, quæ dæmones consulit per aliqua pacta cum eis inita, vel tacita, vel expressa: tertio ordinatur divinus cultus ad quamdam directionem humanorum actuum, secundum instituta Dei, qui colitur, & ad hoc pertinet vana observantia. Omnes vero superstitiones procedunt ex aliquo pacto cum dæmonibus, ut dictum est, tacito, vel expresso; & ideo omnes intelliguntur prohiberi in hoc, quod dicitur; Non habebis Deos alienos, 2. 2. *q.* 92. *art.* 1. *&* 2. *q.* 94. *art.* 1. *ad* 1. *q.* 122. *art.* 2. *ad* 3.

Concil. Trid. *Sess.* 22. *in Decr. de observandis, & evitandis. Decernit Sancta Synodus, ut ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere sedulo curent, quæ superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, induxit.* Et infra: *Neve Sacerdotes ritus alios, aut alias cæremonias, & preces adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probate, ac frequenti, & laudabili usu recepte fuerint. Quarumdam Missarum, & candelarum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera Religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant.*

74. *Quær.* Quid sit idololatria, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Idololatria præcipue fit quando divinus cultus exhibetur creaturæ. Huiusmodi autem cultus exhibetur per aliqua sensibilia signa, puta sacrificia, ludos, & alia huiusmodi, & exhibetur creaturæ per aliquam sensibilem formam, & figuram, quæ idolum dicitur; quidam enim per quamdam nefariam artem imagines quasdam constituebant, quæ virtute dæmonis aliquos certos effectus habebant, unde homines putabant in ipsis imaginibus esse aliquid divinitatis. Mutaverunt, ut ait *Apost. ad Rom.* 1. gloriam immutabilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium; & sic peccatum idololatriæ est gravissimum, sicut enim in terrena republica gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem regium alteri impendat, quam vero regi, quia quantum est de se totum Reipublicæ perturbat ordinem. Ita qui honorem divinum creaturæ impendit, quantum est in se facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum, quod est gravissimum malum, & peccatum, 2. 2. *q.* 94. *art.* 1. *& art.* 3. *in corp. &* 3. *contra Gentes, cap.* 120. *q.* 2. *de malo art.* 10. *Lect.* 1. *prime ad Corinth.*

75. *Quær.* Quid sit divinatio, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Divinatio est quædam prænuntiatio futurorum; nam divini dicuntur, quia sibi actum Dei vindicant in prædictione futurorum eventuum, præcipue quantum ad cultum falsum deorum, & actuum liberorum prænotionem. Nam si quis prænuntiat ea, quæ ex necessitate eveniunt, vel ut in pluribus, neque etiam si quis futura contingentia Deo revelante cognoscat; tunc non ipse divinat, sed magis, quod divinum est suscipit: propterea divinatio non dicitur. Tunc igitur solum dicitur divinare, quando quis sibi indebito modo usurpat prænuntiationem futurorum eventuum, & quando aliquis futurum præ-

sumere tentat, unde prænosci non potest: & prædicta divinatio est peccatum ex genere mortale, tum propter mendacium, quia asseruntur incerta pro veris, tum propter usurpationem divinitatis, maxime si fiat consilio dæmonum, qui quidem possunt aliqua futura prædicere, vel quorum ipsi sunt causa, vel quæ sciunt naturali cognitione in his, quæ habent causas determinatas a natura, latentes tamen nobis, & notas eis, tum propter perspicacitatem naturalis intelligentiæ, tum propter experimentum longi temporis. Nihilominus, ait *Aug.* 21. *de Civit. Dei*, semper est peccatum, & apostasia a fide: & hoc propter tres rationes, quia quamvis vera dicant, semper tamen intentio eorum est ad fallendum; secundo, quia certitudinalem cognitionem habere non possunt, nisi de his, quæ per revelationem sciunt, permittente Deo; tertio, quia non possumus esse participes donorum Dei, & diaboli, & hæc inter omnes præcipua est, 2. 2. *q.* 95. *art.* 1. *& super cap.* 3. *&* 8. *Isaiæ promiscue*.

76. *Quær.* An liceat aliquid inquirere a dæmone sponte occurrente?

Resp. Div. Th. Inquirere aliquid a dæmone sponte occurrente, quandoque licet propter utilitatem aliorum, maxime quando Divina virtute, & ab Exorcistis potest compelli ad vera dicenda. Dæmonem autem invocare ad cognitionem occultorum acquirendam ab ipso, nunquam licet, 2. 2. *q.* 95. *art.* 4. *ad* 1.

77. *Quær.* Quantum sit detrimentum ex invocatione dæmonum proveniens?

Resp. Div. Th. Nulla utilitas temporalis potest comparari detrimento spiritualis salutis, quod imminet ex inquisitione occultorum, per dæmonum invocationem. Dæmon enim intendit perditionem hominum ex huiusmodi suis responsis: & etiamsi aliquando dicat vera, intendit homines assuefacere ad hoc, quod ei credatur, & sic intendit perducere in aliquid, quod sit saluti humanæ nocivum, 2. 2. *q.* 95. *art.* 4. *in corp. & ad* 3.

78. *Quær.* An divinatio, quæ fit per astra, vel per alia signa, sit illicita?

Resp. D. Th. Divinationi, quæ ex opinione falsa, vel vana procedit, ingerit se operatio dæmonis, ut hominum animos implicet vanitati, & falsitati. Vana autem, aut falsa opinione utitur, si quis ex consideratione stellarum, vel somniorum, vel signorum, vel huiusmodi futura velit præcognoscere, quæ per ea præcognosci non possunt. Omne enim corporale signum, vel est effectus eius, cuius est signum, sicut fumus significat ignem, vel procedit ab eadem causa, sicut Iris significat serenitatem, inquantum causa eius est causa serenitatis, vel ex necessitate eveniunt, sicut Astrologi ex consideratione stellarum pronuntiant eclipses futuras. Non potest autem dici, quod dispositiones cælestium corporum, vel signorum sint causa futurorum in rebus humanis, sive in rebus naturalibus contingentibus, quia entia per accidens non habent causam determinatam, ut dicitur 6. *Metaph.* Operatio autem naturæ semper est determinata ad unum aliquid, quia procedit ab uno principio, quod est forma rei naturalis. Multo magis substrahuntur causalitati corporum cælestium, & signorum actus liberi arbitrii. Nulla enim necessitas ex hoc libero arbitrio imponitur, sed contra inclinationes cælestium corporum, & signorum homo potest per rationem operari. Si quis ergo consideratione astrorum, signorum, & somniorum, & huiusmodi utatur ad præcognoscendos futuros casuales, vel fortuitos eventus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum, procedit ex falsa, & vana opinione. Et sic operatio dæmonis per pactum tacitum, vel expressum se immiscet. Unde erit divinatio superstitiosa, & illicita. Quare *August.* concludit *in lib.* 2. *super Genes. cap.* 17. Quapropter bono Christiano, sive Mathematici, sive Astrologi, sive somniatores, sive quilibet impie divinantium, cavendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam pacto quodam societatis irretiant, 2. 2. *q.* 95. *art.* 5. *& alibi per totum*.

Contra Astrologos, & Iudiciarios adest Bulla Sixti V. mensis Ianuarii 1585. quæ incipit: *Cæli, & Terræ Creator*, & Urbani VIII. mensis Ianuarii 1631. quæ incipit: *Inscrutabilis Iudiciorum Dei*, & 2. Aprilis: *Apostolatus officium*.

79. *Quær.* In quo consistant vanæ observationes?

Resp. Div. Th. *Aug.* dicit *in* 2. *de doctrina Christ.* quod ad pacta inita cum dæ-

dæmonibus pertinent millia inanium observationum (puta si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit: limen calcare cum ante domum suam aliquis transit; redire ad lectum, si quis cum se calciat, sternutaverit; redire domum si procedens offenderit; cum vestis a soricibus roditur plus timere superstitiones mali futuri, quam præsens damnum dolere). Igitur homines attendunt observationes non ut quasdam causas, sed ut signa quædam futurorum eventuum bonorum, vel malorum, non a Deo tradita, cum non sint introducta ex auctoritate divina, sed magis ex vanitate humana, cooperante dæmonum malitia. Unde si a principio in istis observationibus vel per somnium, vel per figuras, vel per prolationem quorumdam ignotorum verborum, vel characterum, aliquid veri experti sunt, hoc accidit casu; sed postmodum, cum homines incipiunt suum animum huiusmodi vanis observantiis implicare, multa secundum huiusmodi observationes eveniunt per deceptionem dæmonum; ut in his observationibus homines implicati curiosiores fiant, & se magis inserant multiplicibus laqueis perniciosi erroris, ut idem *Aug.* dicit in eodem *lib.* 2. *de Doctr. Christ.* Unde manifestum est, tales hominum observationes esse superstitiosas, & illicitas, & videntur esse quædam reliquiæ idololatriæ, 2. 2. *q.* 96. *art.* 3. *per totum*.

80. *Quær.* An dentur maleficia?

Resp. Div. Th. Quidam dixerunt, quod maleficium nihil erat in mundo, nisi in æstimatione hominum, qui effectus naturales, quorum causæ sunt occultæ maleficiis imputabant: sed hoc est contra auctoritates Sanctorum, qui dicunt, quod dæmones habent potestatem super corpora, & supra imaginationem hominum, quando a Deo permittitur; unde per eos malefici signa aliqua facere possunt. Singulariter per maleficia præstari potest impedimentum carnali copulæ; quia corruptio peccati prima, per quam homo factus est servus diaboli, in nos per actum generationis devenit. Unde convenienter ante Baptismum expelluntur dæmones, ne salutem hominis impediant: non tamen oportet, quod maleficium factum possit per maleficium aliud destrui, quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficia invocare; nam etsi exorcismi Ecclesiæ non valeant semper ad reprimendum dæmones, quantum ad omnes molestias corporales, iudicio Divino hoc exigente, semper tamen valent contra illas infestationes dæmonum, contra quas principaliter instituti sunt, contra impedimenta gratiæ: neque oportet, quod si propter peccatum aliquod data est diabolo potestas in aliquem, quod cessante peccato cesset potestas, quia pœna interdum remanet culpa transeunte, 4. *sent. dist.* 34. *art.* 3. *&* *quodlib.* 11. *art.* 10. *in corp. &* 3. *p. q.* 71. *art.* 2. *&* 3.

Adest Constitutio Gregorii XV. adversus committentes maleficia, seu sortilegia, quibus lædunt vel in vita, vel in potentia generandi, vel in bonis fortunæ, quæ incipit, *Omnipotentis Dei*, sub die 20. Martii anni 1625.

81. *Quær.* Quid sit tentare Deum, & an sit malum irreligiositatis?

Resp. Div. Th. Tentare Deum est proprie sumere experimentum de Deo. Sumimus autem experimentum de aliquo, & verbis, & factis; verbis quidem, ut experiamur, an sciat quod quærimus, vel possit, aut velit illud implere. Factis autem dum per ea, quæ facimus, exploramus alterius prudentiam, vel voluntatem, vel potestatem, sive hoc fiat expresse, sive fiat interpretative. Igitur siquis tentando Deum exploret Dei scientiam, potestatem, & voluntatem, & cum nullus homo experimentum sumat de eo, quod est certus; ideo omnis tentatio ex aliqua dubitatione procedit. Sed dubitare de his, quæ pertinent ad Dei perfectionem est peccatum; ideo manifestum est, quod tentare Deum ad hoc, ut ipse tentans cognoscat Dei virtutem, peccatum est. Si quis in suis petitionibus, vel factis, experimentum sumat eorum, quæ ad divinam perfectionem pertinent, non ut ipse cognoscat, sed ut aliis demonstret, si subsit iusta necessitas, sive aliqua utilitas, & alia, quæ ad hoc concurrere debent, tunc non esset tentare Deum. Sic enim Apostoli petiverunt a Domino, ut in nomine Iesu fierent signa, ut dicitur *Act.* 4. ad hoc scilicet, quod virtus Christi infidelibus manifestaretur. Sed si quis e contra experimentum, puta, ferri

can-

candentis ordinaret ad alicuius peccati occulti inquisitionem, huiusmodi experimentum esset illicitum, quia ordinaretur ad iudicanda occulta, quæ divino iudicio reservantur; tum etiam quia huiusmodi experimentum non est auctoritate divina sancitum; tum quia expectaretur ibi miraculosus effectus, contra illud *Deut. 6.* Non tentabis Dominum Deum tuum, 2. 2. *q. 97. art.* 1. *&* 2. *& q.* 95. *art.* 4. *ad* 3.

82. *Quær.* Quid sit sacrilegium, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Omne illud, quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad iniuriam Dei pertinet, & habet sacrilegii rationem; estque speciale peccatum, & opponitur religioni. Unde *Damascenus* dicit *in lib.* 4. *Orthodoxæ fidei:* Sicut Purpura regale indumentum est, si quis hanc perforaverit, morte damnatur, quasi contra Regem agens, ita etiam si quis rem sacram violat, ex hoc ipso contra Dei reverentiam agit, & sic per irreligiositatem peccat. Secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur necesse est, quod etiam sacrilegii species distinguatur; & tanto sacrilegium est gravius, quanto res sacra, in quam peccatur, maiorem obtinet sanctitatem; attribuitur autem sanctitas, & personis sacris, idest divino cultui dedicatis, & locis sacris, & rebus quibusdam aliis sacris: sanctitas autem loci ordinatur ad sanctitatem hominis, qui in loco sacro cultum Deo exhibet; & ideo gravius peccatum est sacrilegium, quo peccatur contra personam sacram, quam quo peccatur contra locum sacrum. Sunt tamen diversi gradus intra eamdem speciem, secundum differentiam personarum, & locorum. Similiter etiam circa alias res sacras, inter quas summum locum obtinent ipsa sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum præcipuum est Sacramentum Eucharistiæ, quod continet ipsum Christum, & ideo sacrilegium, quod contra hoc Sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia; post Sacramentum locum tenent vasa sacrata ad sacramentorum susceptionem, & ipsa imagines sacræ, & reliquiæ Sanctorum: deinde quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ, & Ministrorum: tandem ea, quæ sunt deputata ad sustentationem Ministrorum, sive sint mobilia, sive immobilia: quicumque autem contra quodcumque prædictorum peccat, crimen sacrilegii incurrit, 2. 2. *q.* 99. *art.* 3. *in corp.*

83. *Quær.* An sacrilegium possit esse in diversis generibus peccatum?

Resp. D. Th. Quocumque genere peccati aliquis faciat contra reverentiam debitam sacris rebus, sacrilegium formaliter committit, licet materialiter sint diversa genera peccatorum; puta, si aliquis Sacerdotem occidat est sub homicidio, si quis virginem sacratam violet, vel quamcumque mulierem in loco sacro, sub luxuria; sub furto si quis rem sacram furatus fuerit; vel si gulose cibum sacrum assumat, sacrilegium committit, 2. 2. *q.* 99. *art.* 2. *ad* 2. *& q.* 154. *art.* 2. *ad* 3.

84. *Quær.* Quænam pœnæ sint sacrilegis?

Resp. Div. Th. Conveniens pœna sacrilegi, qui sacris iniuriam infert, est excommunicatio, per quam a sacris arcetur. Secundum leges humanas adhibetur capitalis pœna; secundum statuta Ecclesiæ, quæ mortem capitalem non infligit, adhibetur pœna pecuniaria, ut saltem pœnis temporalibus homines a sacrilegiis revocentur, 2. 2. *q.* 99 *art.* 4. *in corp.*

DE SIMONIA.

85. *Quær.* Quid sit simonia, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, unde nec permutatio præbendarum, vel Ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest auctoritate partium absque periculo simoniæ; sicut nec transactio, ut iura determinant: Potest tamen Prælatus ex officio suo permutationes huiusmodi facere pro causa utili, & necessaria. Multo magis accipere pecuniam pro spirituali Sacramentorum gratia est crimen simoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari, quia consuetudo non præiudicat iuri naturali, vel divino. Per pecuniam intelligitur omne illud, cuius pretium potest pecunia æstimari. Actus enim aliquis est malus ex genere, eo quod

ca-

cadit supra materiam indebitam. Res spiritualis est materia indebita emptionis, & venditionis triplici ratione; primo quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari, maxime sacramenta novæ legis, in quantum sunt causa spiritualis gratiæ, quæ pretio æstimari non potest. Secundo quia id non potest esse debita venditionis materia, cuius venditor non est Dominus; Prælatus autem Ecclesiæ non est Dominus spiritualium rerum, sed dispensator. Tertio quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proveniunt. Unde & Dominus dicit *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. Et ideo aliquis emendo, vel vendendo rem spiritualem irreverentiam exhibet Deo, & rebus Divinis, propter quod peccat peccato irreligiositatis; Immo *Gregor.* dicit *in registro, & habetur primo q.* 3. *C. altare*, Decimas, vel Spiritum Sanctum emere, vel vendere Simoniacam hæresim esse nullus fidelium ignorat. Simoniaci non dicuntur hæretici simpliciter propter aliquam falsam opinionem, sed interpretative, quia ita operantur ac si æstimarent donum Spiritus Sancti pecunia possideri, quæ æstimatio esset hæretica: & dicitur maximum peccatum propter pravitatem ad ipsum ex cupiditate humana, & propter nocumentum maius, quia totum ordinem Ecclesiæ, pervertit & quia attingit peccata, quæ sunt contra præcepta primæ tabulæ, 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *&* 2. *in corp. &* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 1. *questiunc.* 2. *in corp. & ad* 2. *& quodlib.* 5. *art.* 2. *ad* 2. *totum promiscue*.

Error Simonis Magi tempore Apostolorum, *Donum Dei pecunia potest comparari*.

Error Simoniacorum Pallatorum sæcul. 12. *Licite Episcopatus a principibus laicis sine simoniæ crimine emi possunt, dummodo consecratio gratis fiat: sic enim non dignitas emitur, sed possessio prædiorum, quæ venalia sunt*.

Adest Prop. damn. ab Alex. VII. & est 22. *Non est contra iustitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis quia, collator conferens illa beneficia, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*.

Concil. Trid. *Sess.* 24. *de refor. cap.* 14. inquit. *In pluribus Ecclesiis ex prava consuetudine, intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione &c. certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesque illicitæ interponantur: hac autem cum Sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut ea, quæ Simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant; & has consuetudines ut pravas, & scandalosas reiiciant, & aboleant. Eos vero, qui adversus hac quavis ratione commiserint, pœnis contra Simoniacos editis Sacris Canonibus, & variis Summorum Pontificum constitutionibus, teneri decernit*.

86. *Quær.* An Papa possit esse Simoniacus?

Resp. Div. Th. Papa potest incurrere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius homo. Quamvis enim res Ecclesiæ sint eius, ut principalis dispensator, non tamen sunt eius, ut domini possessoris; & ideo si reciperet pro aliqua re pure spirituali pecuniam de redditibus Ecclesiæ alicuius, vel ab aliquo laico non de bonis Ecclesiæ, non careret vitio simoniæ, 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 7. *&* 4. *sent. dist.* 2. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 2.

87. *Quær.* Quænam sit regula generalis ad dignoscendum si in actionibus spiritualibus committatur simonia.

Resp. Div. Th. Actus aliquis potest dici spiritualis, uno modo quantum ad suum principium, quando scilicet actus competit alicui personæ ex aliquo spirituali dono, vel officio, quod in ipso est, sicut Episcopo consecrare Basilicas, & Diacono legere Evangelium, & in talibus, & similibus actibus committitur simonia, si aliquis intendat suum actum vendere. Alio modo est aliquis actus spiritualis, non ex parte principii, sed ex parte finis tantum, sicut docere liberales artes, quarum veritas spiritualis est; si vendatur finis, qui spiritualis est, scilicet ipsa veritas, spiritualis committitur simonia; non autem si sua opera locet, cum etiam gentibus liceat huiusmodi artes docere, cum huiusmodi doctrina non competat alicui propter aliquod spirituale officium. Si autem ex officio ad hoc te-

teneretur, intelligeretur ipsam vendere veritatem, si pretium suæ doctrinæ acciperet. Sicut patet in illis, qui instituuntur in aliquibus Ecclesiis ad docendum Clericos Ecclesiæ, & alios pauperes, pro quo ab Ecclesia beneficium recipiunt, a quibus non licet eis aliquid recipere ad hoc quod doceant, alias graviter peccarent, 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 3. *quodlib.* 8. *art.* 11. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2.

88. *Quær.* An munera sint in triplici differentia, scilicet a manu, a lingua, & ab obsequio?

Resp. Div. Th. Sicut dictum est, nomine pecuniæ intelligitur cuiuscumque pretium, quod pecunia mensurari potest. Ideo sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus a manu, ita etiam contrahitur per munus a lingua, vel ab obsequio. Obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari; unde pecuniaria mercede ministri, & famuli conducuntur; & ideo idem est, quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data, vel promissa: similiter etiam quod aliquis satisfaciat precibus alicuius ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Unde dicebat *Urbanus Papa* & habetur 1. *q.* 3. *cap. Salvator*, Quisquis res Ecclesiasticas, non ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra, munere linguæ, vel obsequii, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, simoniacus est, 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *in corp.* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *in corpor.*

Quare in hac materia cavenda est propositio damnata ab Inn. XI. videlicet:

45. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.*

46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sicuti illud pluris æstimatur quam res spiritualis.*

89. *Quær.* An semper obsequium præstitum obstet ad perceptionem beneficii?

Resp. Div. Th. Si aliquis, puta Clericus alicui Prælato impendat obsequium honestum ad spiritualia ordinatum, puta ad Ecclesiæ utilitatem, vel auxilium, ex ipsa devotione obsequii redditur dignus Ecclesiastico beneficio, sicut & propter alia opera bona; unde non intelligitur esse munus ab obsequio; & in hoc casu loquitur *Gregor. in registro lib.* 2. *cap.* 57. dum dicit; Ecclesiasticis utilitatibus deservientes, Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere. Tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad obsequium honestum ex ipsa devotione obsequii, sed ad favorem humanum. Si vero manifeste sit inhonestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum, puta quia servit Prælato ad utilitatem consanguineorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquid huiusmodi, erit munus ab obsequio, & est Simoniacum, 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 1. *& ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 3.

90. *Quær.* An omne munus a lingua sit simoniacum?

Resp. Div. Th. Munus a lingua dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus; & ideo si aliquis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit. Videtur ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit; unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum, quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquod confertur, tamen etiam in isto casu potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum: si vero aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno; licite tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium Ecclesiasticum petere sine cura animarum, 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 4.

91. *Quær.* An sit simonia dare aliquod beneficium Ecclesiasticum consanguineo ratione consanguineitatis?

 Resp.

Resp. Div. Th. Si quis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguineitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen simoniaca, quia ibi nihil accipitur: unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur simonia: si tamen aliquis dat Beneficium Ecclesiasticum hoc pacto, vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia, quia quicumque pro temporali commodo dat aliquod spirituale, vel annexum, simoniam committit, 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 2. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3.

92. *Quær.* An Prælati possint ex consuetudine accipere aliquid pro ordinationibus, vel consecrationibus, & aliis huiusmodi?

Resp. Div. Th. Consuetudo non præiudicat, ut dictum est iuri naturali, vel divino, quo simonia prohibetur; & ideo si aliqua consuetudine exiguntur quasi pretium rei spiritualis, cum intentione emendi, vel vendendi, est manifeste simonia, & præcipue si ab invito exigatur: si vero exigatur quasi quædam stipendia per consuetudinem approbatam, non est simonia; si tamen desit intentio emendi, vel vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis observantiam, & præcipue quando aliquis voluntarie solvit. Sicut etiam procurationem moderatam accipere possunt Episcopi in consecratione Ecclesiarum, non tamquam pretium consecrationis, sed pro substentatione secundum Ecclesiæ determinationem. In omnibus tamen sollicite cavendum est, quod habet speciem simoniæ, vel cupiditatis secundum illud *Thess. ultimo*, Ab omni specie mala abstinete. Episcopus pariter antequam beneficium conferat, si ob aliquam causam ordinaverit aliquid subtrahendum de fructibus beneficii conferendi, & in pios usus expendendum, non est illicitum: si vero ab eo, cui beneficium confert requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius beneficii, idem est, ac si aliquod munus ab eo exigeret, & non careret vitio simoniæ, 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 4. *& art.* 4. *ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 6.

Concil. Trid. *Sess.* 21. *de refor. cap.* 1. *Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum Episcopi, & alii ordinum Collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant.*

Videatur, quæ circa simoniacos statuit Pius V. in constit. *cum primum*, 1566.

93. *Quær.* An liceat Prælato accipere aliquid pro usu suæ potestatis, puta pro correctione facienda, vel omittenda, vel pro danda dispensatione vel aliquid huiusmodi?

Resp. Div. Th. Ille, cui committitur spiritualis potestas, ex officio obligatur ad usum potestatis sibi commissæ in spiritualium dispensatione; & etiam pro sua substentatione statuta stipendia habet ex redditibus Ecclesiæ; & ideo si aliquid acciperet pro usu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas, quas ex debito suscepti officii debet impendere; sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ usum, & propter hoc non licet pro quacumque dispensatione aliquid accipere, nec etiam pro hoc, quod subditos suos corrigat, vel a corrigendo desistat, & committeret simoniam, si pecuniam acciperet, ut peccatum, quod tenetur revelare, aut punire, non revelaret, neque puniret: licet tamen ei recipere procurationes, quando subditos visitat, non quasi pretium visitationis, & correctionis, sed quasi debitum stipendium, 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 6.

94. *Quær.* An Iudex, Advocatus, & Testes in iudicio in causis spiritualibus possint pecuniam accipere?

Resp. Div. Th. Iudex ex officio suo tenetur iudicium reddere, sicut etiam quilibet tenetur ex hoc, quod est iudicio subditus ad verum testimonium ferendum. Sed Advocatus non tenetur patrocinium suæ causæ præstare, nec Iurisperitus dare consilium, & ideo sicut dicit *August. ad Macedonium*, Non debet Iudex vendere verum iudicium, aut testis verum testimonium: non enim Advocatus vendens iustum patrocinium iustitiam vendit, quæ est spiritualis, sed actum suum.

suum. Sed Iudex vendendo verum iudicium, vendit iustitiam, ideo simoniam committit, si sit spiritualis Iudex: alias non committit, sed peccat graviter, & similiter dicendum est de teste. Et quia non est probabile, quod animus Iudicis spiritualis flectatur ad aliquid faciendum pro munere parvo, ideo in parvis muneribus Iudici datis, Ecclesiæ iudicium quantum ad exteriora non iudicat simoniam committi; sed apud Deum, qui cor videt simonia est & in parvis, & in magnis muneribus, si animus Iudicis ex eis flectatur, 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 9. *&* *art.* 3. *ad* 1.

95. *Quær.* An liceat dare pecuniam, puta examinatoribus, vel collatoribus, ne quis impediatur ab Episcopatu, vel ab alia aliqua Dignitate Ecclesiastica?

Resp. Div. Th. Antequam alicui acquiratur ius in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda per electionem, vel provisionem, seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam ius alicui acquisitum est, licet per pecuniam iniusta impedimenta removere, 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiuncula* 1. *ad* 7.

Concil. Trid. *Sess.* 24. *de refor. cap.* 18. *Caveant examinatores Clerici, seu Regulares, ne quidquam prorsus occasione examinis nec ante, nec post accipiant: alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrunt; a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant; & ad alia in posterum inhabiles reddantur.*

96. *Quær.* An Episcopus possit conferre aliquod beneficium suo debitori, ut sibi debitum solvat?

Resp. Div. Th. Simoniam committit, qui aliquod spirituale debitori suo dat, ut quod suum est recuperet, quia quicumque pro temporali commodo dat aliquod spirituale, vel annexum simoniam committit, 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *in corp. & ad* 2.

97. *Quær.* Qomodo ea, quæ sunt spiritualibus annexa non possint vendi?

Resp. Div. Th. Aliquid potest esse spiritualibus annexum dupliciter; uno modo sicut ex spiritualibus dependens, sicut habere beneficia Ecclesiastica dicitur spiritualibus annexum, quia non competit nisi habenti officium Clericale. Unde huiusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus, & propter hoc ea nullo modo vendere licet, quia eis venditis intelliguntur etiam spiritualia venditioni subiici. Quædam autem sunt annexa spiritualibus in quantum ad spiritualia ordinantur, sicut ius patronatus, quod ordinatur ad præsentandum Clericos ad Ecclesiastica beneficia, & vasa sacra, quæ ordinantur ad sacramentorum usum: huiusmodi vasa non præsupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis præcedunt; & ideo aliquo modo vendi possunt, non autem in-quantum sunt spiritualibus annexa. Unde vasa sacra in quantum sunt spiritualibus annexa sicut fini, eorum consecratio vendi non debet: tamen pro necessitate Ecclesiæ, & pauperum, & captivorum materia eorum vendi potest, dummodo præmissa oratione prius confringantur, quia post confractionem non intelliguntur esse vasa sacra, sed purum metallum. Unde si ex eadem materia similia vasa iterum conflarentur indigerent iterum consecrari. Quoad ius patronatus dicendum, quod per se vendi non potest, nec in feudum dari, sed transit cum villa, quæ venditur, vel conceditur. Quoad Decimas dicendum, quod ius spirituale accipiendi Decimas non conceditur Laicis, nec potest emi, nec vendi a nullo, sed tantummodo res temporales, quæ nomine Decimæ dantur. Licet Terram, ubi quondam fuit Ecclesia, vel Cimeterium vendere, & emere in casu necessitatis, sicut & de materia vasorum sacrorum dictum est; scilicet ratione materiæ, non autem potest vendi ratione consecrationis, ut scilicet aliquis pro pecunia sepeliatur, 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *in corp. & per totum, &* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiuncula* 3.

98. *Quær.* An liceat dare, & accipere pecuniam pro spiritualibus actibus?

Resp. Div. Th. Sicut Sacramenta dicuntur spiritualia quia spiritualem conferunt gratiam, ita etiam quædam alia dicuntur spiritualia, quia ex spirituali gratia procedunt, & ad eam disponunt,

P 2 quæ

quæ tamen per hominum ministerium exhibentur, quos oportet a populo sustentari, cui spiritualia administrant, secundum illud primæ *ad Corinth.* 9. Quis ministrat suis stipendiis unquam? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Et ideo vendere, quod spirituale est in huiusmodi actibus, aut emere simoniacum est; sed accipere, & dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam licitum est; ita tamen quod desit intentio mentalis emptionis, vel venditionis, & quod ab invitis non exigatur, per spiritualium subtractionem, quæ sunt adhibenda: hoc enim haberet quamdam venditionis, & vindictæ speciem. Gratis, & sponte spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutæ, & consuetæ obligationes, & quicumque alii proventus exigi a nolentibus, & valentibus solvere auctoritate superioris interveniente, 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *in corp.* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *in corp. quodlib.* 8. *art.* 11. *in corpor.*

99. *Quær.* An si Parochus nollet baptizare morientem, nisi pacto pretio, esset danda illi pecunia?

Resp. Div. Th. In casu necessitatis quilibet potest baptizare, & quia nullo modo est peccandum, pro eodem est habendum si sacerdos sine pretio baptizare non velit, ac si non esset qui baptizaret; unde ille, qui gerit curam pueri in tali casu licite potest eum baptizare, & posset licite aquam a Sacerdote emere, ut est purum elementum corporale. Si autem esset adultus, qui Baptismum desideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet sine pretio baptizare, deberet, si posset, per alium baptizari; quod si non posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro Baptismo dare, sed potius absque Baptismo decedere; suppleretur enim ei ex Baptismo Flaminis, quod ei ex sacramento deesset, 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 1. 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *ad* 3.

100. *Quær.* An Sacerdos male faciat accipiendo pecuniam pro Missa cantata?

Resp. Div. Th. Facere pactionem de Missa celebranda, est simoniacum semper; sed Sacerdos dum accipit pecuniam pro Missa cantanda, non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, & Missæ decantatæ; hoc enim esset, ut dictum est, simoniacum; sed quasi stipendium suæ sustentationis, quia si non habeat alios sumptus, & non teneatur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicut conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ, 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 2. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *ad* 4.

101. *Quær.* An liceat pro matrimonio pecuniam dare, vel accipere?

Resp. Div. Th. Quidam dicunt, quod pro matrimonio licet pecuniam dare, quia in eo non confertur gratia. Sed hoc non est undequaque verum; & ideo aliter dicendum est, quod matrimonium non solum est Ecclesiæ Sacramentum, sed etiam naturæ officium: & ideo dare pecuniam pro matrimonio inquantum est naturæ officium licitum est; inquantum vero est Ecclesiæ Sacramentum, est illicitum; & ideo secundum iura prohibemur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur, 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 6. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *ad* 2.

102. *Quær.* An liceat dare, vel accipere pecuniam pro cantu, pro processionibus, & similibus functionibus.

Resp. Div. Th. Aliqua possunt dari Deum laudantibus in celebratione Ecclesiastici officii, sive pro vivis, sive pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium, & eo etiam tenore pro processionibus faciendis in aliquo funere aliquæ eleemosynæ recipiuntur: si autem huiusmodi pacto interveniente fiant, aut etiam cum mentali intentione emptionis, & venditionis, simonia esset; unde illicita esset ordinatio si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non liceret processio in funere alicuius, nisi solveret certam pecuniæ quantitatem, quia per tale statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi; magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quod omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur, quia per hoc non præcluderetur via aliis exhibendi; & propterea prima ordinatio habet speciem exactionis, secunda autem habet speciem gratuitæ recompensationis, 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 2.

103. *Quær.*

103. *Quær.* An qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, alias non iturus, peccet?

Resp. Div. Th. In prædicto casu distinguendum est. Si enim huiusmodi distributiones recipit, quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit; & ita mortaliter peccat; si autem habet principaliter finem Deum in tali actu, ad huiusmodi autem distributiones respicit de secundario non quasi finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quod non vendit actum spiritualem, & ita simoniam non committit, nec peccat. Sic enim acceptio distributionum non erit causa quare ad Ecclesiam vadat; sed proprie huiusmodi determinatio quare nunc vadat, & non alia vice, *quodlib. 8. art. 11.*

104. *Quær.* An Prædicatoribus liceat aliquid emolumentum accipere ex prædicatione?

Resp. Div. Th. Prædicantibus temporalia debentur ad sustentationem Prædicantium, non autem ad emendum prædicationis verbum. Unde super illud *ad Timotheum* 5. Qui bene præsunt Præsbyteri &c. dicit *Glost.* Necessitatis est accipere unde vivitur, charitatis est præbere: non tamen venale est Evangelium, ut pro his prædicetur, si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 2. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *in corp. & ad* 4. *& ad* 5.

105. *Quær.* An liceat aliquid accipere pro ingressu Monasterii?

Resp. Div. Th. Pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium; licet tamen, si Monasterium sit adeo tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes. Similiter licitum est, si propter devotionem, quam aliquis ad Monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, facilius in Monasterio recipiatur; sicut etiam licitum est aliquem e converso procurare ad devotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ad hoc inclinetur ad Monasterii ingressum, licet non sit licitum ex pacto aliquid date, vel recipere pro ingressu Monasterii, ut habetur 1. *q.* 2. *cap. Quam pio*, 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad.* 7.

106. *Quær.* An liceat dare pecuniam pauperibus, ut orent Deum pro ipsis dantibus?

Resp. Div. Th. Quod illi, qui dant eleemosynam pauperibus, ut orationum ab ipsis suffragia impetrent, non eo tenore dant quasi intendentes orationes emere, sed per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocant ad hoc, quod pro eis gratis, & ex charitate orent, 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 2. *dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 2.

Adest propositio a Martino V. proscripta, scilicet:

25. *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.*

107. *Quær.* Quænam sit pœna simoniacis?

Resp. Div. Th. Nullus potest retinere licite id, quod contra voluntatem Domini acquisivit. Dominus ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, secundum illud *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date; & ideo qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest. Insuper autem Simoniaci tam vendentes, quam ementes spiritualia, aut etiam mediatores, ultra privationem beneficii, aliis pœnis puniuntur; scilicet infamia, & depositione, si sint Clerici, & excommunicatione si sint laici, ut habetur 1. *q.* 1. *cap. si quis Episcopus*, 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *in corp.*

108. *Quær.* An simoniace ordinatus sit suspensus?

Resp. Div. Th. Ille qui simoniace recipit sacrum ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam Sacramenti, non tamen recipit gratiam, neque ordinis exequutionem, eo quod quasi furtive suscepit characterem contra principalis Domini voluntatem, & ideo est ipso iure suspensus, & quoad se, ut scilicet de exequutione sui ordinis se non intromittat, & quoad alios, ut scilicet nullus ei communicet in ordinis exequutione, sive sit peccatum eius publicum, sive occultum, nec potest repetere pecuniam, quam turpiter dedit, licet alius iniuste detineat. Si vero sit simoniacus, quia contulit ordinem simoniace, vel quia dedit, vel recepit beneficium simoniace, vel fuit mediator simoniæ, si est publicum, est suspensus

fus ipso iure, & quoad se, & quoad alios; sed quando est occultum, est suspensus ipso iure quoad se tantum, non autem quoad alios. Igitur si aliquis scienter, & propria sponte simoniace accipiat ordinem, vel ecclesiasticum beneficium, non solum privatur eo, quod accepit, ut scilicet careat exequutione ordinis, & debet insuper beneficium resignare cum fructibus inde perceptis, sed etiam ulterius punitur, quia notatur infamia, & tenetur ad restituendos fructus non solum perceptos, sed etiam eos qui percipi potuerunt a possessore diligenti. Quod tamen intelligendum est de fructibus, qui supersunt deductis expensis factis causa fructuum, exceptis fructibus illis, qui alias expensi sunt in utilitatem Ecclesiæ. Si vero eo nesciente, nec volente per alios alicuius promotio simoniace procuratur, caret quidem ordinis exequutione, & tenetur resignare beneficium, quod est consequutus cum fructibus extantibus; non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit, nisi forte inimicus eius fraudolenter pecuniam daret pro alicuius promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit: tunc enim non tenetur ad renunciandum, nisi forte postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuit promissum. Contingit quandoque in ipsa datione simoniam intervenire per mediatores altero vel utroque ignorante, & tunc fit puta, ordinatio simoniaca, quamvis non fit simoniacus qui ordinat, vel ordinatur, nec pœnas incurrant, 2. 2. *q.* 100. *art. 6. ad* 1. *&* *ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3.

109. *Quær.* An subditus ex præcepto Episcopi simoniace electi possit recipere ordines?

Resp. Div. Th. Nullus debet obedire alicui quacumque ex causa ad communicandum sibi in facto illicito: Episcopus simoniace ordinatus, est ipso iure suspensus, & quoad se, & quoad alios, & illicite confert ordines. Si autem non ei constet non debet peccatum credere alterius, & ita cum bona conscientia debet ab eo ordinem recipere, sed cognito errore non debet ordinem exequi sine dispensatione: si autem Episcopus sit simoniacus aliquo alio modo, quam per promotionem suam simoniace factam, potest ab eo ordinem recipere, si sit delictum occultum, quia non est suspensus quoad alios, sed solum quoad se 2. 2. *q.* 100. *art. 6. ad* 2. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 2. *quæstiunc.* 3. *ad* 2.

110. *Quær.* Quid agendum cum eo, qui fuit simoniace in Monasterio receptus?

Resp. Div. Th. Si aliqui sunt in Monasterio simoniace recepti, debent abrenunciare; & si eis scientibus commissa est simonia post Concilium generale Lateranense sub *Innoc. III.* ut habetur *Cap. quoniam de simonia*, sine spe restitutionis de Monasterio suo repellantur, & ad agendam pœnitentiam sunt in arctiori regula ponendi, ne in sæculo evagentur. Si vero ipsis ignorantibus sive ante Concilium, sive post sint simoniace recepti postquam renunciaverint, possunt denuo recipi locis mutatis eiusdem, vel alterius ordinis, 2. 2. *q.* 100. *art. 6. ad* 5.

Super hoc adest Decretum Urb. IV. in Cap. *Sane, extra de simonia*; ubi excommunicationem imposuit dantibus & recipientibus aliquid ex pacto pro ingressu religionis; & suspensionem pro Capitulis, & Conventibus.

111. *Quær.* An simoniacus pure mentalis supradictis pœnis subiaceat?

Resp. Div. Th. Quoad Deum sola voluntas facit simoniacum. Quoad pœnam Ecclesiasticam exteriorem non punitur, ut simoniacus renunciare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere, 2. 2. *q.* 100. *art. 6. ad 6.*

112. *Quær.* Cui restituenda sunt bona Ecclesiastica simoniace accepta?

Resp. Div. Th. Pecunia, vel possessio, vel fructus simoniace accepti debent restitui Ecclesiæ, in cuius iniuria data fuerunt, non obstante quod Prælatus, vel aliquis de Collegio Ecclesiæ fuerit in culpa, quia eorum peccatum non debet aliis nocere; ita tamen quod quantum fieri potest, ipsi qui peccaverunt, inde commodum non consequantur. Si autem Prælatus, & totum Collegium sunt in culpa, tunc debet cum auctoritate superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari, 2. 2. *q.* 100. *art.* 6 *ad* 4.

113. *Quær.* Ad quem pertineat dispensare simoniacos?

Resp. Div. Th. Dispensare cum eo, qui est beneficiatus simoniace scienter, solus Papa potest; in aliis autem casibus potest etiam Episcopus dispensare; ita tamen quod prius renunciet, quod simonia-

niace acquisivit; & tunc dispensationem assequitur, vel parvam ut habeat laicam communionem, vel magnam dispensationem, ut post pœnitentiam in alia Ecclesia in suo ordine remaneat, vel maiorem dispensationem, ut remaneat in eadem, sed in minoribus ordinibus, vel maximam dispensationem, ut in eadem Ecclesia etiam maiores ordines exequatur, non tamen prælationem accipiat, 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 7.

DE BLASPHEMIA.

114. *Quær.* Quid sit Blasphemia, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Blasphemare est contumeliam, vel aliquid convitium inferre in iniuriam Creatoris. Unde Blasphemia importare videtur quamdam derogationem excellentis bonitatis Divinæ: nam quidquid convenit Deo, pertinet ad bonitatem ipsius, & quidquid ad ipsum non pertinet longe est a ratione perfectæ bonitatis, quæ est eius essentia. Quicumque ergo vel negat aliquid Deo, quod ei convenit, vel asserit de eo, quod ei non convenit derogando Divinæ bonitati, blasphemat. Quod quidem potest contingere dupliciter, uno modo secundum solam opinionem intellectus, alio modo coniuncta quadam affectus detestatione: si consideretur tantum in corde est cordis blasphemia; si autem exterius prodeat per locutionem est oris blasphemia, quæ opponitur confessioni fidei, & ideo habet in se gravitatem infedelitatis; & cum infedelitas sit maximum peccatum, consequens est, quod etiam blasphemia sit peccatum maximum, & secundum genus suum repugnat charitati Divinæ, quia derogat Divinæ bonitati, quod est obiectum charitatis. Unde *Glos.* super illud *Isaiæ* 18. Ad populum terribilem dicit, Omne peccatum, blasphemiæ comparatum, levius est. Unde etiam super illud *ad Ephes.* 4. Blasphemia tollatur a vobis, dicit *Glos.* Peius est blasphemare, quam periurare: qui enim periurat non dicit, aut sentit aliquid falsum de Deo sicut blasphemus. Sed Deum adhibet testem falsitatis, non tamquam existimans Deum esse falsum testem, sed tamquam sperans, quod Deus super hoc non testificetur per aliquod evidens signum, 2. 2. *q.* 13. *per totam promiscue.*

115. *Quær.* An blasphemia ex surreptione sit peccatum mortale, an veniale?

Resp. D. Th. Blasphemia potest absque deliberatione ex surreptione procedere dupliciter; uno modo, quod aliquis non advertat hoc, quod dicit esse blasphemiam, quod potest contingere cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpat, quorum significationem non considerat, & tunc est peccatum veniale, & non habet proprie rationem blasphemiæ: alio modo, quando advertit hoc esse blasphemiam, considerans significata verborum, & tunc non excusatur a peccato mortali, sicut nec ille, qui ex subito motu iræ aliquem occidit. Unde D. *Athanasius in Epistola ad Serapionem*, dicit, quod Arrianos, qui non semel tantum, sed pluries blasphemarunt, impossibile est non blasphemare; scilicet impossibile hic pro difficili sumitur, quæ difficultas ex prava consuetudine provenit, 2. 2. *q.* 13. *art.* 2. *ad* 3. *& opusc.* 1. *cap.* 28. Deterrentur tamen homines in præsenti a blasphemia propter timorem pœnarum, 2. 2. *q.* 13. *art.* 4. *ad* 1.

Circa pœnas contra Blasphemos videatur Concilium Lateranense, *Sess.* 9. *§. Ad abolendam*; & Constitutio Iulii III. quæ incipit, *In multis*; & Bulla Pii V. quæ incipit, *Cum primum Apostolatus.*



TRACTA-

TRACTATUS SEXTUS.

De Tertio Decalogi Præcepto.

Memento ut diem Sabbati sanctifices. *Exodi* 20.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid præcipitur in tertio Decalogi Præcepto?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

IN tertio Decalogi præcepto præcipitur exterior Dei cultus sub signo communis beneficii; scilicet ad repræsentandum opus creationis mundi, a quo requievisse dicitur Deus septima die, in cuius signum dies septima mandatur sanctificanda, idest deputanda ad vacandum Deo. Præceptum de sanctificatione Sabbati litteraliter intellectum, est partim morale, partim autem cæremoniale. Morale quidem, quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis: Nam sicut deputat homo aliquod tempus corporali refectioni, somno, & aliis huiusmodi necessariis, sic etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur vacando divinis. Est etiam cæremoniale secundum allegoricam significationem, prout significat cessationem ab omni actu peccati, & prout præfigurat quietem fruitionis Dei, quæ erit in Patria, 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *in corp. & ad* 1.

2. *Quær.* Quænam sint opera, quæ prohibentur in die festo, & quæ præcipiuntur?

Resp. Div. Th. In observatione festi duo sunt consideranda, quorum unum est finis, & hoc est, ut homo vacet rebus Divinis secundum legis præcepta, quæ continent sacra, Sacrificia, Sacramenta, & observationes. Et ex præcepto Ecclesiæ Missam audire, ut habetur ex *Cap.* 26. *Missas, de consecrat. dist.* 1. quod significatur in hoc, quod dicit, Memento ut diem Sabbati sanctifices, illa enim dicuntur sanctificati in lege, quæ divino cultui applicantur. Aliud vero est cessatio operum, quod significatur cum subditur, Septima die Domini Dei tui non facies omne opus servile, scilicet, ut habetur *Levit.* 23. Opus autem servile dicitur a servitute. Est autem triplex servitus, una quidem, qua homo servit peccato, secundum illud, Qui facit peccatum, servus est peccati; ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quam, qui aliud corporale opus facit, inquantum magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum quamvis corporale. Unde *August.* dicit *in lib. de decem chordis. cap.* 3. Melius faceret homo in agro suo aliquid utile, quam si in theatro seditiosus existeret, & melius fœminæ die Sabbati lanam facerent, quam tota die impudice versarentur. Alia vero servitus, qua homo servit homini, non secundum mentem, sed secundum corpus, & ideo dicuntur opera servilia, & corporalia illa, in quibus unus homo alteri servit. Opera vero inquantum sunt communia servis, & liberis, servilia non dicuntur. Unde quilibet tam servus, quam liber tenetur in necessariis providere non tantum sibi, sed etiam proximo, præcipue in his, quæ ad salutem corporis pertinent. Non enim est contra observantiam Sabbati, quod aliquis comedat, & alia huiusmodi faciat. Dominus *Matth.* 12. excusat discipulos, qui colligebant spicas in die Sabbati propter necessitatem, quam patiebantur. Similiter opus corporale ad salutem corporalem alterius non est contra observantiam Sabbati. Similiter si ordinetur ad imminens damnum rei exterioris vitandum; & alia opera secundum se considerata possunt immutari pro loco, & tempore, & ita non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, sicut fuit apud Hebræos in die Sabbati, sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia huiusmodi. Et etiam in quibusdam operibus

ribus prohibitis facilius propter necessitatem dispensantur in nova lege, quam in veteri: Tertia autem est servitus Dei, & secundum hoc opus servile posset dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei servitium, & non prohibetur in die Sabbati; quia hoc esset contrarium fini observationis Sabbati, scilicet ut vacet homo operibus ad Dei servitutem pertinentibus, & quamvis corporaliter operetur, sine crimine est: sic etiam Sacerdotes in Sabbato circumferentes arcam non transgrediebantur præceptum de Sabbati observatione. Similiter etiam nullius spiritualis actus exercitium est contra observantiam Sabbati; puta si quis doceat verbo, vel scripto. Unde *Num.* 28. dicit *Glos.* quod fabri, & huiusmodi artifices otiantur in die Sabbati. Lector autem Divinæ legis, vel Doctor ab opere suo non desinit nec tamen contaminatur Sabbatum. Alia opera servilia, quæ hoc carmine continentur, scilicet, *Rus*, *nemus*, *arma*, *rates*, *vulnera*, *lana*, *faber*, & dicuntur servilia primo, vel secundo modo, contrariantur, ut dictum est, observantiæ Sabbati, in quantum impediunt applicationem hominis ad Divina, 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3. *&* *ad* 4.

Concil. Trid. *Sess.* 22. *cap. de observatu. & evitandis in celebr. Miss.* inquit, *Quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ sacrificium omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur: Unde Rectores moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & maioribus festis accedant, doceantque populum quis sit huius sacrificii tam pretiosus, & cœlestis fructus.*

Et *Sess.* 22. *cap.* 5. ait: *Propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, quo maiestas tanti sacrificii commendaretur.*

Circa hanc materiam adsunt propositiones ab Inn. XI. proscriptæ; scilicet:

52. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo si absit contemptus.*

Et 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui eius duas partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

3. *Quær.* Quomodo observantia diei Dominicæ sit in præcepto?

Resp. Div. Th. Observantia diei Dominicæ in nova lege succedit observantiæ Sabbati, non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani, 2. 2. *q.* 122 *art.* 4. *ad* 4.

Hoc habetur in *Catechismo Rom.* 3. *p. in* 3. *Decalogi præcepto.*

4. *Quær.* Unde originem habuerint omnia festa?

Resp. Div. Th. Dictum est, quod Sabbatum, quod significat primam creationem, mutatur in diem Dominicum, in quo commemoratur nova creatura inchoata in Resurrectione Christi, & similiter aliis solemnitatibus veteris legis, novæ solemnitates succedunt, quia beneficia illi populo exhibita significant beneficia nobis concessa per Christum. Unde festo diei Dominicæ succedit festum Passionis Christi, & Resurrectionis: festo Pentecostes, in quo fuit data lex vetus, succedit festum Pentecostes, in quo fuit data lex spiritus vitæ: festo Neomeniæ, succedit festum Beatæ Virginis, in quo primo apparuit illuminatio Solis, idest Christi, per copiam gratiæ: festo Tubarum succedunt festa Apostolorum: festo Expiationis succedunt festa Martyrum, & Confessorum: festo Tabernaculorum succedit festum Consecrationis Ecclesiæ, ad significandum nedum Resurrectionem Christi, sed & membrorum Ecclesiæ; unde de Consecratione *dist.* 1. dicitur, Solemnitates Ecclesiarum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ. Festo Cœtus, succedit festum Angelorum, & festum omnium Sanctorum, *p.* 2. *q.* 103. *art.* 3. *ad* 4. *&* 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *ad* 4.

Adest Bulla Urbani VIII. quæ incipit, *Universa per orbem*, in qua describuntur dies, qui ex præcepto observandi sunt, ut videri potest in *Bullar. Rom.* & apud Auctores Morales, qui singillatim tractant de hac materia.

Unde Concil. Trid. *Sess.* 25. *de refor. cap.* 12. *Dies festi nedum a Sede Apostolica emanati, sed etiam quos in Diœcesi sua servandos Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus serventur.*

TRACTATUS SEPTIMUS.

De Quarto Decalogi Præcepto, & de variis hominum statibus, & officiis.

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam. *Exod.* 20.

QUÆRITUR PRIMO.

An convenienter tradatur quartum Præceptum de honoratione parentum?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

PRæcepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi; inter proximos autem maxime obligamur parentibus; & ideo immediate post præcepta ordinantia nos in Deum, qui est nobis essendi, & gubernationis primum & universale principium, ponitur præceptum ordinans nos ad parentes, qui sunt particulare principium nostri esse, & gubernationis. Unde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus, & patriæ, & consanguineis, & concivibus, & amicis. Nam in hoc præcepto, quod est de honoratione parentum, intelligitur mandari quidquid pertinet ad reddendum debitum cuicumque personæ; non tamen æqualiter omnibus, sed præcipue parentibus: aliis autem secundum propriam facultatem, & decentiam personarum; nam magis ad substantiam pertinet generatio, & educatio, cuius principium est pater, quam exterior gubernatio vices gerentium. Patri e converso per se convenit, ut subveniat filio educando, & nutriendo, non solum ad horam, sed ad totam suam vitam, quia pater habet rationem principii generantis, 2. 2. *q.* 101. *art.* 1. *in corp. & art.* 2. *ad* 2. *& ad* 3. *& quæst.* 122. *art.* 5. *per totum*.

Unde ad hoc præceptum servandum Concil. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 4. *de refor.* inquit, *Curabunt Episcopi, Dominicis, & aliis festivis diebus, pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri; & si opus sit etiam per Censuras Ecclesiasticas compellent.*

2. *Quær.* Quænam sint speciales obligationes filiorum erga parentes?

Resp. Div. Th. Parentibus, & aliis vicesgerentibus aliquid debetur dupliciter; uno modo per se; alio modo per accidens: per se quidem debetur eis id, quod decet patrem, inquantum pater est, qui cum sit superior, quasi principium filii existens, debetur ei a filio reverentia, & obsequium. Per accidens autem aliquid debetur patri, quod decet eum accipere, secundum aliquid, quod ei accidit; puta si sit infirmus, quod visitetur, & eius curationi intendatur; & si sit pauper, quod sustentetur, & sic de aliis huiusmodi, quæ omnia sub debito obsequio continentur; cum in honoratione parentum intelligatur omnis subventio, quæ debet parentibus exhiberi, & aliis, ut dictum est, secundum propriam facultatem, & decentiam personarum, quæ per communicationes consanguineorum, & concivium magis referuntur ad principia nostri esse, 2. 2. *q.* 101. *art.* 1. *ad* 3. *& art.* 2. *in corp. & ad* 1. *& ad* 3.

3. *Quær.* An obsequia parentibus præstanda sint cum dispendio propriæ animæ, & conscientiæ?

Resp. Div. Th. Religio, & pietas sunt duæ virtutes; Bonum non est bono contrarium, ait *Philos. in lib.* 2. *Top. cap.* 3. Unde non potest esse, quod pietas, & religio se mutuo impediant. Cuiuslibet virtutis actus debitis circumstantiis limitatur, quas si prætereat, iam non erit virtutis actus, sed vitii. Unde ad pietatem pertinet officium, & cultum parentibus exhibere, secundum debitum modum; non est autem debitus modus, ut plus homo tendat ad colendum patrem, quam ad colendum Deum. Si ergo cultus parentum abstrahat nos a cultu Dei, iam non esset pietas, parentum insistere cultui contra

tra Deum. Parentes, ait *Gregor. Luc. cap.* 9. & 12. quos adversarios in via Dei patimur odiendo, & fugiendo nescire debemus. Si enim parentes nostri nos provocent ad peccandum, & abstrahunt a cultu divino, debemus quantum ad hoc eos deserere, & odire; & ideo in tali casu dimittenda sunt officia pietatis in parentes propter divinum religionis cultum. Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum Crucis evola. Summum genus pietatis est in hac re esse crudelem, inquit *Hieronym. Epist.* 1. *ad Heliod.* Si vero exhibendo debita obsequia parentibus non abstrahatur a divino cultu, & nostra obsequia parentibus sint necessaria, ut sine his sustentari non possint, hoc iam pertinet ad pietatem; & sic non oportebit propter religionem, pietatem deserere, 2. 2. *q.* 101. *art.* 4. *in corp.* & *ad* 1. & *ad* 3.

4. *Quer.* In quibus debet filius obedire parentibus?

Resp. Div. Th. Ad ista se extendit debitum obedientiæ, ad quæ se extendit ius prælationis. Habet autem pater carnalis ius prælationis in filium, primo quidem quantum ad domesticam conversationem. Sic enim est paterfamilias in domo sua, sicut Rex in regno; unde sicut subditi Regis tenentur obedire Regi, & iis, quæ pertinent ad gubernationem regni: ita etiam filii, & alii domestici tenentur obedire. Secundo, quantum ad morum disciplinam. Unde & *Apostolus* dicit *ad Hebræos* 12. Patres quidem nostri habuimus eruditores, & obtemperabamus ei. Debet enim pater filio non solum educationem, sed etiam disciplinam, ut *Philosoph.* dicit; & iterum *Paulus* dicit *ad Coloss.* 3. Filii obedite parentibus per omnia; ad ea scilicet, ad quæ ius prælationis patriæ, vel dominativæ potestatis se extendit. Nam non exhiberet irreverentiam præcipienti, si non obediret ei, in quibus obedire non tenetur. *Quodlib.* 2. *art.* 9. *in corp.* & *ad* 1. & *ad* 3. & 2. 2. *q.* 104. *art.* 3. *ad* 1.

5. *Quer.* An filius pauper ad nutriendum Patrem senem teneatur uxorem ducere, ut ex dote alat Patrem?

Resp. Div. Th. Casus propositus non videtur de facili possibilis; vix enim contingere potest, quod aliquis parentes sustentare non possit absque matrimonii contractu, saltem manibus laborando, vel mendicando. Si tamen hoc contingeret esset idem iudicium de virginitate servanda, sicut est de introitu in Religionem. Si videt se in sæculo non posse vivere sine peccato mortali, vel non de facili, cum magis teneatur saluti animæ suæ providere, quam corporali necessitati parentum, non tenetur in sæculo remanere: si autem videt se posse in sæculo conversari absque peccato, distinguendum videtur; quia si sine eius obsequio parentes nullo modo vivere possunt, sic tenetur eis servire, & alia opera perfectionis prætermittere, & peccaret eos dimittens; & eorum curam Deo committens, hoc esset tentare Deum. Si vero sine eius obsequio aliqualiter sustentari possunt, non autem honorifice, non propter hoc tenetur opera perfectionis dimittere. Secus autem est de illo, qui iam Religionem intravit, quia cum iam sit mortuus mundo per professionem, solutus est a lege, qua in mundanis obsequiis parentibus tenebatur, secundum doctrinam *Apost. ad Rom.* 7. In aliis autem spiritualibus, puta orationibus, & huiusmodi tenetur servire, & salva sui Prælati obedientia, & suæ Religionis statu, pium studium adhibere, qualiter eius parentibus subveniatur. Et quod dictum est de introitu Religionis, potest etiam de observantia virginitatis, & aliis operibus perfectionis dici, *Quodlib.* 10. *art.* 9. *in corp.* & 2. 2. *q.* 101. *art.* 4. *ad* 4.

DE MUTUIS CONIUGUM OBLIGATIONIBUS.

6. *Quer.* Quænam debet esse subiectio mulieris ad virum, & quænam obligatio viri ad mulierem?

Resp. Div. Th. Duplex est subiectio; una servilis, secundum quam præsidens utitur subiecto ad sui ipsius utilitatem; alia est subiectio civilis, & œconomica, secundum quam Præsidens utitur subiectis ad eorum utilitatem, & bonum. Ex tali subiectione naturaliter fœmina subiecta est viro: quia naturaliter in homine magis abundat discretio rationis: maior etiam ex peccato subiectio est subsequuta: nam ad mulierem dictum est post peccatum; Sub viri potestate eris, *Genes.* 3. Inter virum, & mulierem debet tamen esse socialis coniunctio. Neque enim mu-

lier debet dominari in virum, ut dictum est, quia non est formata de capite; sed neque debet a viro despici, tamquam serviliter subiecta, quia non est formata de pedibus. Ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, *Gen. c.* 2. Igitur in his, quæ ad dispositionem domus pertinent, vir caput est mulieris, ut dicit etiam *Apost.* 1. *ad Corinth.* 11. Unde non debet agere sine consensu viri, vel expresso, vel præsumpto, nisi sit in aliqua necessitate: mulier æqualis tamen est viro in actu matrimonii, *p. p. q.* 92. *art.* 1. *ad* 2. *& art.* 3. *in corp. &* 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 2.

7. *Quær.* An unus Coniugum possit vovere sine consensu alterius?

Resp. Div. Th. In his, in quibus Uxor viro tenetur, & e converso, neuter potest vovere sine mutuo consensu; sicut patet in voto continentiæ; non enim potest unus absque consensu alterius vovere, & si voverit, peccat, nec debet servare votum, sed agere pœnitentiam de malo facto. Sed quia in dispositione domus, & regimine vitæ mulier est subiecta viro, & non e converso, ideo in talibus vir potest vovere sine consensu uxoris, sed non e converso, 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *questiunc* 3. *ad* 4. *& dist.* 32. *art.* 4. *ad* 3.

8. *Quær.* An Maritus possit militare absque consensu uxoris, & an uxor possit peregrinari absque consensu viri?

Resp. Div. Th. Vir potest absque consensu uxoris militare, maxime pro subveniendo necessitati Ecclesiæ generali; & tunc uxor debet continere ad tempus; nec tamen in hoc omnino subtrahitur mulieri ius suum, quia uxor posset eum sequi. Si uxor sit talis, quæ virum sequi non possit propter aliquod legitimum impedimentum, & de eius continentia timeatur, non esset viro consulendum, ut militaret. Nec est simile de uxore ad virum, quia vir cum debeat regere uxorem, & non e converso, magis tenetur uxor sequi virum, quam e converso; & propterea uxor cum maiori periculo castitatis discurreret terras, quam vir, & cum minori Ecclesiæ utilitate. Et ideo non potest huiusmodi, puta votum peregrinationis facere, vel quid simile sine viri consensu, 4. *sent. dist.* 32. *art.* 4. *ad* 1. *Quodlib.* 4. *art.* 11. *in corp.*

9. *Quær.* In quibus mulieres sint molestæ viris?

Resp. Div. Th. Solent mulieres in tribus esse molestæ viris suis; scilicet in contemptu virorum suorum, in superfluo victu, & vestitu, & in superbiæ fastu; & ideo Deus arguit mulieris superbiam in corde, & in corpore; arguit etiam luxuriam in ipso usu, in luxu, in incessu, in lascivo ornatu, *super caput* 4. *&* 13. *Isaiæ*.

DE OBLIGATIONE SERVORUM, ET DISCIPULORUM, ET ALIORUM HUIUSMODI.

10. *Quær.* An servus Domino, & Discipulus Magistro, & alii huiusmodi teneantur præstare reverentiam, & obedientiam proportionabiliter sicut supra dictum est de Parentibus?

Resp. Div. Th. Sicut Pater est principium generationis, & educationis, & disciplinæ, Princeps est principium gubernationis in rebus civilibus, Magister autem in disciplinis, & simile est in aliis. Unde est quod omnes tales personæ quodammodo Patres appellantur propter similitudinem curæ. Sicut 4. *Reg.* 5. Servi Naaman dixerunt ad eum: Pater si rem grandem dixisset tibi Propheta &c. & ideo sub pietate invenitur observantia per quam cultus, & honor, & obedientia exhibetur personis in dignitate constitutis; & eadem virtute servus reveretur Dominum, miles Ducem, & Discipulus Magistrum, 2. 2. *q.* 102. *art.* 1. *& q.* 103. *art.* 2.

11. *Quær.* Quomodo intelligatur illud Apostoli *ad Coloss.* 3. Servi obedite per omnia dominis carnalibus?

Resp. Div. Th. Hoc quod Apostolus dicit, intelligendum est per omnia, quantum ad illa, quæ pertinent ad ius patriæ, vel dominativæ potestatis. Sed quando præcepta sunt contra Deum, oportet obedire Deo magis, quam hominibus, *Act.* 5. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5.

Hinc merito propositionem sequentem 51. proscripsit Inn. XI. *Famulus, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum &c. ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat*

ciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

12. *Quær.* Ad quid teneatur Famulus, sive alter officialis, ut recte in suo ministerio agat?

Resp. Div. Th. Homo non omnes potest peccati occasiones etiam leves vitare, dum in mundo ipse vivit: sufficit si famulus, sive miles, sive quilibet alter minister peccatum vitet in suo famulatu, secundum consilium Ioannis; scilicet neminem conviciat, neque calumniam faciat, & contentus sit suis stipendiis, & quod constitutum est, faciat, *Lect. 3. in Io. q. 4. art. 2. 4. sent. q. 3. dist. 16.*

DE ECCLESIÆ PRÆLATIS, EORUMQUE POTESTATE, ET OFFICIIS.

13. *Quær.* An Rectoribus, Prælatis, & Principibus debeatur honor, & cultus, timor, & obedientia?

Resp. Div. Th. Excellentiæ eorum, qui sunt in dignitate constituti debetur honor ratione sublimioris gradus, timor autem ratione potestatis, quam habent ad coercendum. Officio vero gubernationis ipsorum debetur obedientia, per quam subditi moventur ad imperium Præsidentium, & tributa, vel obsequia, quæ sunt quædam stipendia laboris ipsorum. Ad *Rom.* 13. ait *Apost.* Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem; Et *ad Hebr.* 13. Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. Et iterum *ad Rom.* 13. Qui potestati resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Unde oportet in humanis, quod superiores moveant inferiores per suam voluntatem ex vi auctoritatis divinitus ordinatæ: nam sicut ex ipso ordine naturali divinitus instituto inferiora in rebus naturalibus necesse habent subiici motioni superiorum; ita etiam in humanis ex ordine iuris naturalis, & divini tenentur inferiores suis superioribus obedire. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam a Deo missis, 1. *Petr. c.* 2. 2. 2. *q.* 102. *art.* 2. *ad* 3. *&* *q.* 104. *art.* 1. *in corp.*

Prop. dam. ab Alex. VII. 28. *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.*

14. *Quær.* An malis Rectoribus, Prælatis, & Principibus sit honor, & obedientia præstanda?

Resp. Div. Th. Si Prælati sint mali non honorantur propter excellentiam propriæ virtutis, sed propter excellentiam dignitatis, secundum quam sunt Dei Ministri; & etiam in eis honoratur tota communitas, cui præsunt. In his, quæ pertinent ad dispositionem rerum humanarum tenetur subditus suo superiori obedire, secundum rationem superioritatis, secundum illud *Petri* 1. *cap.* 2. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis. Sicut miles Duci exercitus in his, quæ pertinent ad Bellum, servus Domino in his, quæ pertinent ad servilia opera exercenda, Filius Patri in his, quæ pertinent ad disciplinam vitæ, & curam domesticam, & sic de aliis. Si vero præcepta Rectorum sint contra Deum, tunc obedire oportet Deo magis, quam hominibus, *Act.* 5. 2. 2. *q.* 103. *art.* 1. *ad* 2. *&* *q.* 104. *art.* 5. *in corp.*

Error Io. Hus: *Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus Episcopus dum est in peccato mortali.*

Plura in genere dedimus circa hanc materiam in Tractatu de legibus. Nunc magis in particulari,

15. *Quær.* Quomodo Prælati Ecclesiastici teneantur ad ea, quæ sunt sui muneris erga subditos?

Resp. Div. Th. Prælati ex necessitate præcepti tenentur ad ea, quæ sunt proprii officii. Tria ministrare debet quilibet Prælatus suis subditis; scilicet bona spiritualia prædicando, & exempla monstrando, & temporalia largiendo; sollicitus ut gubernet populum, & pro populo suo patiatur, ut malos coerceat. Licet vero teneatur subditum suum revocare ab omni malo, non tenetur tamen eum inducere ad omne melius. Prælationis incumbit labor, & periculum imminet, quia sunt rationem reddituri pro animabus subditorum: hoc est maximum periculum, hominem de factis alterius rationem reddere, qui pro suis non sufficit, 3. *Reg.* 20. Custodi virum istum, quod si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Et *Hierem.* 13. Ubi est

est grex tuus, qui datus est tibi, pecus inclitum tuum, quid dices cum visitaverit te? *Lect.* 1. *cap.* 1. *ad Timoth.* & *quodlib.* 1. *art.* 14. *ad* 3. & *lect.* 3. *cap.* 13. *ad Hebreos.*

16. *Quær.* In quo differat bonus Prælatus a malo, & quæ sint eius signa?

Resp. Div. Th. Bonus Pastor intendit commodum Gregis, malus autem commodum proprium. Primus dicitur Pastor; ex quo datur intelligi, quod intendit pascere gregem; malus dicitur mercenarius, quasi mercedem quærens. Pastor oves cognoscit, eas educit, & segregat a societate impiorum, inducit ad Christum, & educit eas ex ovili, eas præcedit exemplo bonæ conversationis, *lect.* 3. *cap.* 10. *in Ioan.*

17. *Quær.* Ad quid assumantur Episcopi?

Resp. Div. Th. *Augustinus* dicit 19. *de Civit. Dei*, *c.* 19. quod Episcopus nomen operis est, non honoris. Græcum enim *epi*, idest super, *scopos* vero intentio est. Ergo *Episcopon* græce, intentio est: si velimus latine, superintendere, possumus dicere, ut intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. In actione enim non amandus est honor in hac vita, sive potentia; quoniam omnia vana sunt sub sole, sed opus ipsum, quod per eumdem honorem, vel potentiam fit. Dignitate igitur constitutus debet ad hoc intendere, ut talem se exhibeat, ut cæteros & scientia, & sanctitate præcellat. Unde *Gregor.* dicit in *Pastorali, parte pr. cap.* 1. Tantum debet actionem Populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet a Grege vita Pastoris. Ad Episcopum pertinet Basilicarum consecratio, unctio altaris, & confectio Chrismatis, ipse ordines Ecclesiasticos distribuit, & sacras Virgines benedicit; ait *Isidorus*, & habetur in *decr. dist.* 25. *cap. Praelectis*, 2. 2. *q.* 185. *art.* 1. *ad* 1. & *art.* 3. *ad* 2. 3. *p. supp. q.* 45. *art.* 5. *in corp.*

Concil. Trid. *Sess.* 25. *de refor. cap.* 1. ait: *Optandum est, ut ii, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ sua sunt partes agnoscant: ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut lucrum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant.* Et *Sess.* 5. *de refor. cap.* 2. *Prædicatio est præcipuum Episcoporum munus: quare statuit, & decrevit S. Synodus, omnes Episcopos, & omnes alios Ecclesiarum Prelatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint. ad prædicandum Iesu Christi Evangelium, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant.*

18. *Quær.* An oporteat semper eum, qui eligitur in Episcopum esse cæteris meliorem?

Resp. Div. Th. Qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter secundum charitatem, sed meliorem quoad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam & instruere, & defendere, & pacifice gubernare. Unde contra quosdam *Hieron. in* 1. *ad Titum* dicit, quod quidam non quærunt in Ecclesia columnas erigere, illos scilicet quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse, sed quos plus amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel dediti, & ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt. Hoc autem pertinet ad acceptionem personarum, quæ in talibus est grave peccatum. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, & sanctiore, ubi alias idoneus invenitur ad Ecclesiæ regimen; cum præcipue attendi debeat in hoc eminentia divinæ dilectionis. Ex parte autem eius, qui assumitur non requiritur quod reputet se aliis meliorem; hoc enim esset superbum, & præsumptuosum, sed sufficit, quod nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumere Prælationis officium, 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. *in corp.* & *ad* 1.

Concil. Trid. *Sess.* 24. *de reform. cap.* 1. ait, *Si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter, scienterque curandum est, ut in Domini Domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum, multo magis elaborandum est, ut in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur; nam totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si, quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Omnes igitur, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcumque ius, quacumque ratione a Se-*

Sede Apostolica habent; aut alioquin operam suam præstant; nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando, hortatur, & monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi iudicaverint, præfici diligenter curaverint, & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, & ætate, doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, quæ iuxta sacros Canones, & Tridentinæ huius Synodi decreta requiruntur omnes inquisitiones, informationes, testimonia, & probationes de persona promovenda &c.

19. *Quær.* An Papa possit præcipere alicui, ut Episcopatum, & Prælationem accipiat?

Resp. Div. Th. Quidam dicunt, quod Papa non potest præcipere alicui, quod accipiat Episcopatum, quia consensus debet esse liber. Sed hoc posito periret Ecclesiasticus ordo; nisi enim aliquis posset cogi ad suscipiendum regimen Ecclesiæ, Ecclesia conservari non posset; cum quandoque illi, qui sunt idonei, hoc nollent suscipere, nisi coacti. Immo qui votum emitteret de non suscipiendo Episcopatum, si per hoc intenderet, se obligare ad hoc, quod nec per obedientiam superioris Prælati accipiat, illicite voveret; si intendat vero ad hoc se obligare, ut quantum est de se Episcopatum non quærat, nec suscipiat, nisi imminente necessitate, licitum esset votum: quia quantum ad propriam voluntatem convenit homini principaliter insistere propriæ saluti; sed quod aliorum saluti intendat, hoc convenit homini ex dispositione alterius potestatem habentis. Et sicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis proprio motu feratur in hoc, quod aliorum gubernationi præficiatur, ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis omnino contra superioris iniunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuset, quia hoc repugnat charitati proximorum, quorum utilitati se aliquis debet exponere pro loco, & tempore, ut dicit *Aug.* 19. *de Civit. Dei*: Negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Hoc etiam repugnaret humilitati, per quam superiorum mandatis se subiicit, 4. *sent. dist.* 29. *art.* 4. *ad* 4. & 2. 2. *q.* 185. *art.* 2. *ad* 3. & *in corp.*

Adest propositio damn. ab Inn. XI. videlicet; *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promoveant; Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria, ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

20. *Quær.* Quare sit de necesse, quod sint Prælati, & Episcopi in Ecclesia?

Resp. Div. Th. Sacerdos simplex non potest absolvere, neque ligare, nisi præsupposita prælationis iurisdictione, qua sibi subduntur illi, quos absolvit, vel ligat. Unde oportet esse super Sacerdotalem potestatem Episcopalem, quantum ad actum ligandi, atque solvendi: & quantum ad hoc omnes Episcopi sunt æquales, & quilibet potest alium in Episcopum consecrare, 4. *sent. dist.* 24. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *in corp.*

21. *Quær.* An supra Episcopos possit esse aliquis superior in Ecclesia?

Resp. Div. Th. Secundum Scripturas, & secundum Canonum statuta, & definitiones Sanctissimum antiquæ Romanæ Ecclesiæ Episcopum primum esse, & maximum Episcoporum . . . Unde *Cyrillus Episcopus Alexandrinus* dicit: Membra maneamus in capite nostro, Apostolico throno, Romano Pontifice, a quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes, quoniam ipsius est reprehendere, . . disponere . . . cui omnes iure divino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipsi Domino Iesu Christo obediunt . . . & ideo qui hanc potestatem negant schismatici dicuntur, 3. *p. in suppl.* *q.* 40. *art.* 6.

Concil. Trid. *Sess.* 6. *de refor. cap.* 1. *Confidens itaque per Domini, ac Dei nostri misericordiam, providamque ipsius Dei in terris Vicarii solertiam omnino futurum, ut . . . supremæ sedis* au-

auctoritate . . . Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus provideatur.

Error Io. Hus. *Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.*

22. *Quær.* An Episcopus possit punire aliquem alterius Diœcesis?

Resp. Div. Th. Episcopus in cuius diœcesi aliquis delinquit efficitur superior eius, ratione delicti, etiamsi sit exemptus, nisi forte delinquat in re aliqua exempta, puta administratione bonorum alicuius monasterii exempti. Sed si aliquis exemptus committat furtum, vel aliquid huiusmodi potest per ordinarium iuste condemnari, 2. 2. *q.* 67. *art.* 1. *ad* 3.

Concil. Trid. *Sess. 6. de reform. cap.* 3. *Nemo sæcularis Clericus privilegii prætextu cuiusvis personalis, vel Regularis extra monasterium degens, tutus censeatur, quominus si deliquerit ab Ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum Canonicas sanctiones puniri, ac corrigi valeat.*

23. *Quær.* De quibus bonis possit Episcopus providere Consanguineos?

Resp. Div. Th. Aliud est dicendum de propriis bonis Patrimonialibus, quæ Episcopi possidere possunt, & de bonis Ecclesiasticis. Nam propriorum bonorum patrimonalium dominium habent: unde ex ipsa rerum conditione non obligantur, ut talia bona aliis conferant, sed possunt ea vel sibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri; tamen in eorum dispositione peccare possunt propter inordinationem affectus, non tamen tenentur ad restitutionem. Sed Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores: ad dispensatorem autem requiritur bona fides, secundum illud *primæ ad Corinth.* 4. Hic iam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Sunt autem bona Ecclesiastica non solum in usus Pauperum, sed etiam ad cultum Divinum, & necessitatem Ministrorum expendenda. Unde dicitur, *in q.* 2. *de redditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium*, Episcopo ex his una portio mittitur, duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi pauperum profuturæ a Præsbytero sub periculo sui ordinis ministrentur, ultima Clericis pro singulorum meritis dividatur. Si ergo distincta sint bona, quæ debent in usum Episcopi cedere ab his, quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda, & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum Ministrorum, aut in cultum Divinum expendenda, non est dubium, quod contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, ut scilicet propter immoderatum affectum, & usum peccet mortaliter, si immoderata sibi retineat, vel expendat, & aliis non subveniat, & pauperibus maxime: non tamen tenetur ad restitutionem, 2. 2. *q.* 185 *art.* 7. *in corp.*

24. *Quær.* Quibus Prælati debeant præmia, & beneficia conferre?

Resp. Div. Th. Beneficia Ecclesiastica non sunt danda magis, puta consanguineis, & propinquis, vel amicis, sed eis, qui magis sunt idonei ad regimen Ecclesiæ; quia illi quantum ad hoc magis nobis communicant. Contingit quandoque tamen aliquem esse meliorem simpliciter, qui non est melior quantum ad hoc quod beneficium percipiat; quia alius forte potest Ecclesiam magis iuvare, vel per consilium sapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel quia longo tempore servivit in Ecclesia. Unde Episcopus non tenetur semper dare meliori simpliciter, sed tenetur dare meliori quoad hoc: non enim potest esse, quod unum præferat alteri, nisi propter aliquam causam, quæ si pertineat ad honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ, iam quantum ad hoc est melior, & dignior. Qui vero dat ratione consanguinitatis præbendam alicui, intendens temporale bonum illius, cui datur, peccat graviter, sed simoniam non committit, quia non vendit, cum nihil accipiat. Sed si intendat aliquod bonum in se ipsum redundans, puta ut nobilitetur domus sua, & sit fortior, & potentior, & sic aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat, peccat graviter, & simoniam committit. Intendit enim quamdam tacitam venditionem, & obligare eum ad aliquam recompensationem faciendam sibi. Sed si solum spontaneam recompensationem intenderet, esset quidem adhuc prava intentio, & carnalis, non vero simo-

moniaca. Quandoque vero consanguinei sunt æque digni ut alii; sic potest consanguineos suos præferre, quia saltem magis in hoc præeminent, quod de ipsis potest magis confidere, ut unanimiter negotia Ecclesiæ tractent. Esset tamen hoc aliquando propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent præter meritum, & dignitatem bona Ecclesiæ consanguineis dandi. De patrimonio proprio, & de his, quæ proprio, & licito lucro acquirit potest benefacere consanguineis potius, quam aliis, nisi præponderet aliquid, puta indigentia summa, vel utilitas communis, 3. *sent. dist.* 29. *art.* 6. *ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 7. *&* 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 1. *Quodlib.* 5. *art.* 23. *in corp. & Quodlib.* 6. *art.* 9. *in corp.*

Concil. Trid. *Sess.* 7. *de refor. cap.* 3. *Beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere valeant, conferantur. Sess.* 24. *de refor. cap.* 18. *Expedit maxime animarum saluti a dignis, atque idoneis Parochis gubernari: peracto igitur examine, renuncientur quotcumque idonei iudicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus opportunis: ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicaverit.*

25 *Quær.* An possit aliquis pro se ipso petere beneficium?

Resp. Div. Th. Potest aliquis pro se petere, si dignus sit, beneficium Ecclesiasticum non habens curam animarum, si indigeat; sed non, si habeat curam animarum, quia præsumptuosum est, & tunc preces suæ ex hoc ipso, quod rogat, pro indigno fiunt, 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 4. 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 3.

26. *Quær.* An liceat aliquem habere plura beneficia?

Resp. Div. Th. Si aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautius vivat, ut facilius ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum, ubi est præbendatus, non tolluntur deformitates, utpote quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est præbendatus; cum præbendæ videantur esse ordinatæ, quasi quædam stipendia ibidem Deo ministrantium: sequitur enim diminutio cultus Divini, dum loco plurium unus instituitur: sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ob hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset; sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest, & multa alia huiusmodi inconvenientia, quæ de facili patent. Sed augetur, quia certum est per antiqua iura hoc esse prohibitum, quæ aliquo modo continent ius naturale, unde abrogari non possunt per contrariam consuetudinem, utpote irrationalem. Stante igitur iure antiquo, certum est, non posse aliquem plures præbendas habere absque dispensatione, etiam in iis circumstantiis, puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis eius obsequio, & possit plus servire Ecclesiæ ipse absens, quam alius præsens, & si quæ sint aliæ huiusmodi, *Quodlib.* 9. *art.* 15. *in corp.*

Concil. Trid. *Sess.* 24. *de refor. cap.* 17. *Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, Sancta Synodus statuit, ut in posterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.*

Et *Sess.* 7. *de refor. cap.* 4. *Quicumque de cætero plura curata, aut alia incompatibilia beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu Commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine, & titulo, recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis ipso iure privatus existat.*

27. *Quær.* An Prælati possint conferre beneficia Clericis uxoratis?

Resp. Div. Th. Secundum statutum Ecclesiæ Occidentalis matrimonii usus exequutionem ordinis non sacri impedit propter servandam maiorem bonitatem in officiis Ecclesiæ; & quia aliquis ex beneficio Ecclesiastico tenetur ad exequutionem ordinis, & ex hoc ipso privilegio Clericali gaudet; ideo beneficia apud Latinos Clericis uxoratis auferuntur, 4. *sent. dist.* 37. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4.

AD QUARTUM DECALOGI PRÆCEPTUM

TRACTATUS OCTAVUS

De Pœnis Ecclesiasticis, sive de Censuris.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit pœna Ecclesiastica? & primo de excommunicatione.

RESPONDET DIVUS THOMAS.

EXcommunicatio est censura ecclesiastica, scilicet separatio a Communione Ecclesiæ, & est gravissima pœnarum; sed quia pœnæ sunt etiam medicinæ, ut ait *Philosoph. in* 2. *eth.* Sapientis autem medici est a levioribus medicinis incipere, & minus periculosis pœnis, ideo excommunicatio maior infligi non debet, etiam pro peccato mortali, nisi quis contumax fuerit, vel non veniendo ad iudicium, vel ante terminationem iudicii sine licentia recedendo, vel determinationi non parendo: tunc enim postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur, & excommunicari debet a Iudice iam non habente quid amplius contra ipsum faciat ad eius correctionem. Potest aliquis extra Ecclesiam fieri per excommunicationem dupliciter; uno modo per minorem excommunicationem, ita quod separetur tantum a passiva participatione Sacramentorum: alio modo per maiorem excommunicationem, ita quod excludatur a Communione Fidelium, & a participatione activa, & passiva Sacramentorum. Communio enim Fidelium est duplex: quædam in spiritualibus, sicut sunt mutuæ orationes, & conventus ad sacra percipienda, quædam in corporalibus actibus, qui hoc versu continentur. *Os*, *orare*, *vale*, *communio*, *mensa negatur*. Os scilicet, ne detur osculum; orare, ne cum excommunicatis oremus: vale, ne salutentur: communio, ne scilicet in Sacramentis cum ipsis aliquis communicet: mensa negatur, ne aliquis cum eis comedat. Ecclesia enim in excommunicationis sententia Divinum imitatur iudicium, in quantum hominem a communione fidelium separat, ut erubescat; & sic imitatur divinum iudicium, quo per flagella castigat: in quantum autem a suffragiis, & aliis spiritualibus separat, imitatur Divinum iudicium, quo hominem auxiliis subtractis, sibi relinquit, ut per humilitatem se ipsum cognoscens ad Deum redeat, & ut spiritus eius salvus fiat in die Domini, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. & 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. *ad* 3.

Concil. Trid. *Sess.* 25. *de refor. cap.* 12. iubet; *Censuræ*, *& interdicta*, *nedum a Sede Apostolica emanata*, *sed etiam ab ordinariis promulgata mandante Episcopo a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur*, *atque serventur*.

2. *Quær.* Qui possint excommunicare?

Resp. Div. Th. Illa, quæ hominem obligant in comparationem ad alios homines ad forum publicum exterioris iudicii pertinent, & quia per excommunicationem homo a communione fidelium separatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet. Unde illi soli possunt excommunicare, qui habent iurisdictionem in foro iudiciali. Et propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, & maiores Prælati secundum communiorem opinionem possunt excommunicare. Sed Præsbyteri nonnisi ex commissione, & in certis casibus. Archidiaconi, Legati, & Clerici etiam non Sacerdotes possunt excommunicare. Sacerdotes vero Parochiales habent quidem iurisdictionem in subditos suos quantum ad forum conscientiæ, sed non quantum ad forum iudiciale, & ideo excommunicare non possunt, & quamvis forum pœnitentiale sit dignius, tamen in foro iudiciali maior solemnitas requiritur, quam non possunt exercere, quia in eo oportet, quod non solum Deo, sed etiam homini satisfiat 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 2. & *quæstiunc.* 2. *in corpor.* & *ad* 2.

Error Io. Hus. *Nullus Prælatus debet excommunicare aliquem nisi prius eum*

eum sciat esse excommunicatum a Deo.

Idem. *Prælatus excommunicans Clericum qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis, & Regni.*

Concil. Trid. *Sess.* 25. *de refor. cap.* 3. inquit. *Quod quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ Disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis, ut aiunt, aut pro deperditis, seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus, præterquam ab Episcopo, decernantur, & tunc, & non alias, quam ex re non vulgari. In causis vero iudicialibus civilibus, seu criminalibus, mandatur omnibus iudicibus Ecclesiasticis, ubi exequutio realis, vel personalis fieri poterit, a censuris Ecclesiasticis abstineant: quod si exequutio realis, vel personalis adversus reos fieri non poterit, sitque erga iudicem contumacia, tunc eos, præcedente bina saltem monitione per edictum, etiam anathematis mucrone ferire poterit.*

3. *Quær.* An excommunicatus possit excommunicare?

Resp. Div. Th. Excommunicatus excommunicare non potest, quia excommunicatus iurisdictione privatur, & quamvis non amittat iurisdictionem, amittit tamen iurisdictionis usum. Si enim sit suspensus ab ordine tantum, tunc non potest ea, quæ sunt ordinis, sed potest ea, quæ sunt iurisdictionis; & e converso si sit suspensus a iurisdictione, & non ab ordine; si autem sit suspensus ab utroque, tunc neutrum potest, 4. *sent. dist.* 18. *quæstiunc.* 3. *in corp. & ad* 1.

4. *Quær.* An se ipsum, vel superiorem, vel æqualem possit quis excommunicare?

Resp. Div. Th. Cum per iurisdictionem aliquis constituatur in gradu superioritatis respectu eius, in quem habet iurisdictionem, quia est iudex eius, ideo nullus habet in se ipsum, vel superiorem, vel æqualem iurisdictionem, & per consequens nullus potest se ipsum excommunicare, vel superiorem, vel æqualem. Unde quamvis aliquando excommunicatio sit lata in generali, non afficit se ipsum, vel superiorem, vel æqualem; par enim in parem non est imperium, a fortiori in superiorem, vel in se ipsum, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *in. corp.*

5. *Quær.* An Communitas possit excommunicari?

Resp. Div. Th. Excommunicari non debet aliquis, nisi pro peccato mortali; peccatum autem in actu consistit; actus autem non est communitatis, sed singularum personarum, & ideo singuli de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas; Et si etiam actus quandoque esset alicuius multitudinis, ut sunt seditiones, & huiusmodi, non tamen est probabile, quod aliqua communitas ita tota in malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes, & quia non est Dei, qui iudicat omnem terram, ut condemnet iustum, cum impio, ut dicitur *Genes.* 18. ideo Ecclesia quæ iudicium Dei imitari debet, satis provide statuit, ut tota communitas non excommunicetur, ne collectis zizaniis, simul eradicetur & triticum, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *in corp.*

6. *Quær.* An excommunicatio iniuste illata effectum habeat?

Resp. D. Th. Excommunicatio potest dici iniusta dupliciter, uno modo ex parte excommunicantis, sicut cum ex odio, vel ira excommunicat, & tunc excommunicatio nihilominus habet effectum suum, quamvis ille, qui excommunicat, peccet; quia reus excommunicatus iuste patitur, quamvis ille iudex iniusto modo faciat. Alio modo ex parte ipsius excommunicationis, vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia infertur sententia iuris ordine prætermisso, vel non habente legitimam potestatem, & tunc si sit talis error ex parte sententiæ, qui sententiam nullam faciat esse, non habet effectum, quia non est excommunicatio; si autem sententiam non annullet, habet effectum suum, & debet excommunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum, vel absolutionem petere ab excommunicatione, vel ad superiorem iudicem recurrere: si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret propter scandalum aliorum. Contingit autem quandoque, quod est debi-

ta causa ex parte excommunicationis, quæ non est debita ex parte excommunicati; sicut cum aliquis pro falso crimine in iudicio probato excommunicatur; & tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum. Si contemneret & iste mortaliter peccaret, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. *in corp.*

7. *Quær.* An aliquis possit pluribus excomunicationibus excommunicari?

Resp. Div. Th. Ille qui est excommunicatus una excommunicatione potest iterum excommunicari per eiusdem excommunicationis reiterationem, ad maiorem sui confusionem, ut vel sic a peccato resiliat, vel propter alias causas, & tunc tot sunt principales excommunicationes, quot causæ pro quibus aliquis excommunicatur, 4. *sent. dist.* 18. *art.* 3 *q.* 3. *in corp.*

8. *Quær.* Quinam sunt proprie excommunicati vitandi.

Resp. Div. Th. Excommunicati vitandi sunt, qui singulariter denuntiati per sententiam Ecclesiæ a communione pelluntur. *Lect.* 3. *cap.* 5. 1. *ad Corinth.* Puta cum hæreticis non tolleratis communicandum non est, sicut cum aliis excommunicatis specialiter nominatis, *quodl.* 10. *art.* 15.

Concil. Trident. *Sess.* 25. *de reform. cap.* 3. *Si quis obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tanquam de hæresi suspectum procedi possit.*

9. *Quær.* An liceat communicare cum excommunicato minori excommunicatione?

Resp. Div. Th. Excommunicato minori excommunicatione licet communicare, & sic excommunicatio non transit in tertiam personam, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. *ad* 2.

10. *Quær.* Quomodo participans cum excommunicato maiori excommunicatione, peccet?

Resp. Div. Th. Aliquis potest communicare, seu participare cum excommunicato directe, vel indirecte; directe quidem in his, quæ sunt fidelium; & sic ille, qui hoc modo communicat, peccat mortaliter, scilicet si communicet secum in divinis, sicut si orem cum eo, vel audiam missam cum eo, si ab aliquo, puta hæretico, vel simoniaco, vel schismatico, vel notorio concubinario Sacramentum Ecclesiæ quis suscipiat. Dicitur notorius concubinarius, vel propter sententiam, vel propter Confessionem in iure factam, vel per rei evidentiam, quod nulla potest tergiversatióne celari. Item si ex contemptu, & hoc quocumque modo, communicet, sive in Divinis, & in spiritualibus, sive in temporalibus, quasi contemnens mandatum Ecclesiæ, peccat mortaliter. Indirecte vero communicat cum excommunicato in his, quæ sunt hominis sicut in verbo, & in cibo, & in his quæ sunt simpliciter humanæ conversationis, & secundum hoc non peccat mortaliter, sed venialiter, nisi fiat, ut dictum est ex contemptu; quia videtur valde grave, quod homo, puta pro verbo levi, quo excommunicatum alloquitur mortaliter peccet, & excommunicantes laqueum damnationis iniicerent; unde in his non semper quis peccat mortaliter, sed solum quando in crimine cum excomunicato participat, & in causa, in auxilio, & consilio, vel favore, vel in Divinis, vel in contemptum Ecclesiæ. Si vero sit dubitatio de excommunicatione aliquorum; aut dubium præcedit sententiam iudicum, aut sequitur; si præcedit, puta cum nondum est declaratum per iudicum consensum aliquos esse excommunicatos, non sunt vitandi, quousque certo terminetur; in hoc casu certum est, quod in mitiorem partem interpretari debemus. Sed si ambiguum oriatur post concordem iudicum determinationem, magis standum est sententiæ iudicum duplici ratione; primo quidem, quia iudices sollicitius discutientes negotium, possunt plenius percipere veritatem, quam alii, qui perfunctorie constituuntur; secundario, quia hoc esset magnum nocumentum utilitatis communis status hominum, si sententiæ non staretur, sed quilibet pro suo libito vellet sententiæ calumniam ingerere, quia sic litigia essent interminabilia; & ideo in tali casu magis standum est sententiæ iudicum; nisi forte sit per appellationem suspensa 4. *sent. dist.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 3. *in corp.* & *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *quæstiunc.* 3. *in corp.* & *quodlib.* 4. *art.* 14. & *quodlib.* 11. *art.* 9. *in corp.*

11. *Quær.* An in aliquo casu neque venialiter quis peccet, si in pure corpora-

talibus communicet cum excommunicato?

Resp. Div. Th. Dictum est supra, quod duplex est excommunicatio; una est minor, quæ separat tantum a participatione Sacramentorum, sed non a communione fidelium, & ideo tali excommunicato licet communicare, sed non licet ei Sacramenta conferre. Alia est maior excommunicatio, & hæc separat hominem a Sacramentis Ecclesiæ, & a communione fidelium: & ideo excommunicato tali excommunicatione communicare non licet. Sed quia Ecclesia excommunicationem ad medelam, & non ad interitum inducit, excipiuntur ab hac generalitate quædam in quibus communicare licet, scilicet in his, quæ pertinent ad salutem, quia de talibus homo licite cum excommunicato loqui potest, & etiam alia verba interserere, ut facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur. Excipiuntur etiam quædam personæ, ad quas specialiter pertinet provisio excommunicati, scilicet uxor, servus, filius, rusticus, & serviens; sed hoc intelligendum est de filiis non emancipatis, alias tenentur evitare patrem. De aliis autem intelligitur, quod licet excommunicato communicare, si ante excommunicationem se ei subdiderunt, non autem si post. Quidam autem intelligunt, quod superiores possunt licite communicare inferioribus; & ad minus in his eis communicare debent, in quibus eis sunt obligati, quia sicut inferiores obligantur ad obsequium superiorum, ita superiores ad providentiam inferiorum. Sicut etiam sunt quidam casus excepti, sicut quando ignoratur excommunicatio, & quando aliqui sunt peregrini, & viatores in terra excommunicatorum, qui licite possunt ab eis emere, vel etiam recipere eleemosynam; & similiter si quis videat excommunicatum in aliqua necessitate, quia tunc ex præcepto charitatis tenetur ei providere, & hæc sunt: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*, quæ permittuntur: ut utile ad verba salutis, lex ad matrimonium, humile ad subiectionem; cætera patent, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *questiunc.* 1. *in corp.*

12. *Quær.* An absolutio ab excommunicatione debeat præcedere absolutionem sacramentalem, & an illa habeat determinata verba, sicut absolutio sacramentalis?

Resp. Div. Th. Absolutio ab excommunicatione debet præcedere absolutionem a peccatis, quia quandiu aliquis est excommunicatus non potest recipere aliquod Ecclesiæ Sacramentum. Circa verborum formam, alia est ratio de absolutione ab excommunicatione, quæ non est sacramentalis, sed magis iudiciariam consequens, & alia ratio de absolutione a peccatis in Sacramento pœnitentiæ; illa enim verba habent efficaciam ab intentione dicentis, unde tenenda sunt verba consonantia divinæ institutioni, quæ sunt in sacramentali confessione, scilicet: Ego te absolvo &c. *opusc.* 32. *cap.* 2. *&* 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *questiunc.* 1. *ad* 2.

13. *Quær.* An quilibet Sacerdos possit absolvere ab excommunicatione?

Resp. Div. Th. A minori excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere a peccato participationis. Si autem sit maior excommunicatio, aut est lata a Iudice, & sic ille, qui tulit, vel eius superior potest absolvere; vel est lata a iure, & tunc Episcopus, vel Sacerdos privilegiatus potest absolvere, exceptis casibus, quos sibi iuris conditor, scilicet Papa, reservavit sibi. Et 1. est cum aliquis iniicit manus violentas in Clericum, vel Religiosum. 2. Qui incendit Ecclesiam, & est denuntiatus. 3. Qui frangit Ecclesiam, & est denuntiatus. 4. Qui in divinis scienter communicat cum excommunicato nominaliter a Papa. 5. Qui falsificat literas Apostolicæ Sedis. 6. Qui excommunicatis in crimine communicat. Non enim iste casus generaliter debet absolvi nisi ab eo, qui excommunicavit, etiamsi non sit eius subditus; nisi propter difficultatem accedendi ad ipsum, absolveretur ab Episcopo, vel ab alio delegato proprio Sacerdote, præstita iuratoria cautione, quod pareret mandato illius Iudicis, qui sententiam tulit. A primo autem casu octo excipiuntur. I. In articulo mortis, in quo a qualibet excommunicatione potest quis a quolibet Sacerdote absolvi. II. Si sit Ostiarius alicuius Potentis, & non ex odio, vel ex proposito percussit. III. Si sit servus, & dominus læderetur de sua absentia, si ipse non sit in culpa. IV. Si Regularis Regularem percutiat, nisi sit enormis excessus. V. Si sit pauper. VI. Si sit impubes. VII. Si sit senex, vel valetudi-

na-

sarius. VIII. Si habeat inimicitias capitales. Sunt autem alii casus septem, in quibus percutiens Clericum excommunicationem non incurrit. I. Si sit causa disciplinæ, ut si Magister, & Prælatus percusserit. II. Si sit iocosa levitate. III. Si invenerit eum turpiter agentem cum uxore, vel matre, vel sorore, vel filia. IV. Si statim vim repellat. V. Si ignoret eum esse Clericum. VI. Si inveniat eum in Apostasia post trinam admonitionem. VII. Si se transferat Clericus ad actum penitus contrarium, ut fiat miles, vel ad bigamiam transeat, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *quæstiuncula* 1. *in corp.* & 2. 2. *q.* 64. *art.* 7.

Modo sunt & aliæ excommunicationes latæ a diversis Summis Pontificibus, & a Concilio Trid. Papæ reservatæ, & in Bulla Cœnæ Domini contentis, & alibi, quæ leguntur apud Auctores Moralistas, & Canonistas.

14. *Quær.* Quare non omnis Confessarius potest absolvere ab excommunicatione, cum absolvat a peccato, quod est vinculum maius?

Resp. Div. Th. Quamvis vinculum peccati sit maius simpliciter, quam vinculum excommunicationis; tamen quoad aliquid vinculum excommunicationis est maius, inquantum non solum obligat quoad Deum, sed etiam in foro Ecclesiæ; & ideo in absolvendo ab excommunicatione requiritur iurisdictio in exteriori foro, non autem in absolutione a peccato: nec exigitur cautio iuramenti, sicut exigitur in absolutione ab excommunicatione; per iuramenta enim controversiæ, quæ sunt inter homines terminantur, secundum Apostolum, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *artic.* 5. *quæstiunc.* 1. *ad* 1.

15. *Quær.* An stante contumacia posset quis absolvere ab excommunicatione etiam invitum?

Resp. Div. Th. Etiam manente contumacia potest aliquis discrete excommunicationem iuste latam remittere, si iudicat saluti eius expedire, in cuius medicinam excommunicatio lata est. Et in hoc malum culpæ, & malum pœnæ differunt, quia sicut peccata non committuntur nisi voluntate, ita non remittuntur alicui invito; sed excommunicatio, quæ est malum pœnæ sicut in aliquem invitum fieri potest, ita & invitus ab ea absolvi potest, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *in corp.* & *ad* 2.

Ordinarie tamen Concil. Trid. *Sess.* 25. *de refor. cap.* 3. decernit, quod *Excommunicatus quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, & communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur; sed si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tamquam de hæresi suspectum procedi possit.*

16. *Quær.* An irretitus pluribus excommunicationibus possit absolvi ab una, & non ab alia?

Resp. Div. Th. Excommunicationes non semper habent connexionem, & ideo possibile est, quod aliquis ab una absolvatur, & in altera remaneat: sed circa hoc sciendum est, quod aliquis quandoque est excommunicatus pluribus excommunicationibus ab uno Iudice, & tunc quando absolvitur ab una, intelligatur ab omnibus absolvi, nisi contrarium exprimatur: quandoque est excommunicatus a diversis Iudicibus, & tunc absolutus ab una excommunicatione, non propter hoc est absolutus ab altera, nisi omnes alii ad petitionem eius excommunicationem suam confirmaverint, vel nisi omnes uni demandarent absolutionem, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *quæstiunc.* 3. *in corp.*

17. *Quær.* An suspensio sit tanta pœna, quanta est excommunicatio?

Resp. Div. Th. Suspensio non tanta pœna est, quanta est excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati; sed suspensus ab ordine solum non potest ea, quæ sunt ordinis; & nonnunquam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut quando totum regnum supponitur interdicto pro peccatis Regis, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiun.* 2. *ad* 2. Scilicet a participatione aliquorum Sacramentorum, ab exercitio officiorum in Ecclesia, & a sepultura Ecclesiastica; & est locale, personale, & mixtum.

18. *Quær.* In quo diversificetur degradatio ab excommunicatione?

Resp. D. Th. Excommunicatis non aufertur exequutio potestatis quasi in perpetuum, sed ad correctionem usque ad tempus; degradatis aufertur exequutio quasi in perpetuum condemnatis, 3. *p.* *q.* 82. *art.* 8. *ad* 3.

De

De hac pœna loquitur Concil. Triden. *Sess.* 13. *de refor. cap.* 4.

19. *Quær.* An irregularitas incurratur propter peccatum?

Resp. Div. Th. Irregularitas non incurritur propter peccatum tantum, sed principaliter propter ineptitudinem personæ ad Sacramentum Eucharistiæ ministrandum: & ideo Iudex, & omnes, qui in causa sanguinis ei participant, sunt irregulares propter hoc, quod effusio sanguinis non decet Ministros dicti Sacramenti. Et propter hoc si Clericus, etiam se defendendo interficiat aliquem, irregularis est, quamvis non intendat interficere, sed seipsum defendere. Sicut etiam propter vitium lepræ, & propter bigamiam, 4. *sent. dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 2. *&* 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *ad* 3. *& q.* 108. *art.* 4. *ad* 2.

20. *Quær.* An qui ignoranter occidit aliquem, aut Iudex, qui scienter condemnat, sed non est exequuta sententia, incurrat irregularitatem?

Resp. Div. Th. Qui ignoranter hominem occidit homicidio casuali non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, nisi dederit operam rei illicitæ, vel nisi omiserit debitam diligentiam, quia tunc quodammodo efficitur voluntarium; nec hoc est propter hoc, quod forte culpa careat, quia etiam sine culpa incurritur irregularitas. Si aliquis etiam se ingerat in causam mortis percutiendo, vel sententiam dando, & mors non sequatur, non contrahitur irregularitas; contraheretur autem si mors sequeretur, quia irregularitas non tantum sequitur culpam, quam factum propter aliquem defectum Sacramenti, 4. *sent. dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 3. *& p.* 2. *q.* 10. *art.* 5. *ad* 4.


Concil. Trid. *Sess.* 24. *de refor. cap.* 6. asserit, *quod liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum non eorum Vicariis sit permissum.*

21. *Quær.* An si quis moriatur in bello, omnes qui in bello interfuerunt, sint irregulares?

Resp. Div. Th. Si aliquis percussus in bello moriatur, si ignoretur quis eum percusserit, propter dubium quilibet, qui in bello interfuit irregularis habetur propter iura, *quodlib.* 4. *art.* 3.

22. *Quær.* Quis possit dispensare cum bigamis in irregularitate?

Resp. Div. Th. Bigamiæ non est adiuncta irregularitas de iure naturali, sed de iure positivo, & ideo Papa potest dispensare totaliter; sed Episcopus quantum ad minores Ordines tantum, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 3. *art.* 3. *in corp.*



AD

AD QUARTUM DECALOGI PRÆCEPTUM

TRACTATUS NONUS.

De statu Regulari, eiusque obligationibus.

QUÆRITUR PRIMO.

An status regularis sit status perfectus, magis quam status Prælatorum, & an isti possint ad Religionem transire?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

NOn omnes Prælati sunt in statu perfectionis, sed soli Episcopi. Unde obligatio voti perpetui præfertur omni aliæ obligationi: obligari autem voto perpetuo, & solemni ad vacandum divinis obsequiis convenit proprie Episcopis, & Religiosis; sed alii, puta Plebani, Curati, Presbyteri, & Archidiaconi, & huiusmodi non obligantur voto perpetuo, & solemni ad curam animarum retinendam, sicut ad hanc obligantur Episcopi. Unde Episcopi præsulatum non possunt deserere quacumque occasione, absque auctoritate Summi Pontificis, & habetur *extra de regular. & transeuntibus ad Relig.* in *Decr. lib.* 3. *tit.* 31. *cap. Licet*. Nam retrocederet Episcopus si ad statum Religionis vellet transire, ut solum suæ saluti insisteret, qui se obligavit ad hoc, quod non solum suam salutem, sed etiam aliorum procuret: cum ad perfectionem Religiosorum solum pertineat per se studium quo quis adhibet ad propriam salutem. Archidiaconi autem, Presbyteri, Curati, & Plebani possunt libere abrenuntiare Episcopo curam eis commissam absque speciali licentia Papæ; cum Præsbyter, Curatus, Plebanus, vel Archidiaconus non se obliget totam vitam ad curam animarum, nec etiam ei competat principalem curam subditorum habere, sed quædam particularia circa curam animarum eorum officio ab Episcopo committantur. Et ideo comparatio status Religionis ad eorum officium est, sicut holocausti ad sacrificium, quod est minus holocausto. Unde manifestum est, quod Archidiaconis, & Præsbyteris, & Curatis licet ad Religionem transire; nam 19. *q.* 1. *cap. Clerici*, dicitur, Clericis qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in Monasteriis oportet largiri ingressus. Et *q.* 2. *cap. duæ leges*. Si quis in Ecclesia sua sub Episcopo populum retinet, & sæculariter Præsbyter vivit, si afflatus Spiritu Sancto in aliquo Monasterio, vel regula Canonica salvari se voluerit, concedatur, 2. 2. *q.* 184. *art.* 6. *&* 8. *& q.* 185. *art.* 4. *ad* 1. *& q.* 189. *art.* 7.

Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 1. *de refor.* inquit. *Non ignorat S. Synodus, quantum ex Monasteriis pie institutis, & recte administratis in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur: si ea, quæ ad suæ professionis perfectionem, fideliter observent.*

2. *Quær.* An quis de statu Religioso factus Episcopus, teneatur ad vota, & ad regulares observantias?

Resp. D. Th. A statu Religionis potest quis transire ad statum Episcopalem, ut dicitur 18. *q.* 1. Statutum est, quod sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit. Status Religionis ad perfectionem pertinet quasi quædam via in perfectionem tendendi, Status autem Episcopalis ad perfectionem pertinet. Dispositio non tollitur perfectione adveniente. Sic ergo dicendum, quod si quæ sint, quæ non impediant Pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, & alia huiusmodi, ad hæc remanet Religiosus, factus Episcopus, obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est obligationis signum. Si qua vero sunt in observantiis regularibus, quæ officio Pontificali repugnant, sicuti est solitudo, silentium, & aliquæ abstinentiæ, vel vigiliæ graves, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum Pontificale officium, ad huiusmodi observanda non tenetur; in aliis tamen potest uti di-

dispensatione secundum quod requirit necessitas personæ, vel officii, vel conditio hominum, cum quibus vivit per modum, quo etiam Prælati Religionum in talibus secum dispensant. Proprium autem nullo modo habere potest, etsi paternam hæreditatem sibi vindicat, non quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ debitam. Testamentum nullo modo facere potest, quia solum dispensatio ei committitur rerum Ecclesiasticarum, quæ morte finitur, ex qua incipit testamentum valere. Si tamen ex concessione Papæ testamentum facit, non intelligitur ex proprio facere testamentum, sed Apostolica auctoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, ut eius dispensatio possit valere post mortem, 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. *per totum*.

Quare Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 1. *de refor. Exemplo Patrum, non solum iubet, ut Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo, ne quid appareat, quod a sancto instituto alienum sit.*

3. *Quær.* An in tribus votis consistat totus Religionis status, & perfectio: scilicet in paupertate, castitate, & obedientia?

Resp. Div. Th. Ex his tribus votis integratur Religionis status, & perfectio. Nam ad exercitium perfectionis requiritur, quod aliquis a se removeat illa, per quæ posset impediri, ne totaliter eius affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio charitatis: huiusmodi autem sunt tria, primum cupiditas exteriorum honorum, quæ tollitur per votum paupertatis, ut quis vivat absque proprio: iuxta illud *Matth.* 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Secundum est concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ, quæ excluduntur per votum continentiæ, iuxta illud *Apost.* 2. *ad Corinth.* 7. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, perficientes sanctificationem nostram; nam qui sine uxore est sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo; qui cum uxore est sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Tertium autem est inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, secundum illud *Matth.* 19. Si vis perfectus esse, &c. sequere me. Nam perfectio Religionis maxime, & principaliter consistit in imitatione Christi, de quo dicitur ad *Phil.* 2. Factus est obediens usque ad mortem. Ideo convenienter ex tribus votis status Religionis integratur, & perficitur, 2. 2. *q.* 186. *art.* 3. & 4. & 5. & 7.

Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 1. necessarium esse censuit, *ut omnes Regulares ad regulæ, quam professi sunt, præscriptam vitam instituant, & componant: atque inprimis quæ ad suæ professionis perfectionem pertinent, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, & ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum respective essentiam fideliter observent.*

Errores Io. Vicleffi: *Sancti instituendo Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.*

Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana.

Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina præcepta.

4. *Quær.* An Religiosus semper peccet mortaliter transgrediendo ea, quæ sunt Regulæ Monasticæ?

Resp. Div. Th. Continetur aliquid in regula pertinens ad exterius exercitium, sicut sunt omnes observantiæ, inter quas sunt quædam, ad quas obligatur Religiosus ex voto professionis. Votum autem professionis respicit principaliter tria prædicta, scilicet paupertatem, continentiam, & obedientiam; alia omnia ad hæc ordinantur, & ideo transgressio horum trium obligat ad mortale: aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi per contemptum regulæ, quia hoc directe contrariaretur fini, & professioni, per quam aliquis vovit regularem vitam, vel propter præceptum, sive oretenus a Prælato factum, sive in regula expressum, quia hoc esset facere contra obedientiæ votum. Sed non omnia traduntur per modum præcepti, sed quædam per modum simplicis ordinationis, vel statuti obligantis non ad culpam, sed ad certam pœnam taxatam sustinendam, sicut nec in lege civili, & Ecclesiastica omnes ordinationes obligant ad mortale, 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *per totum*.

Recolatur Prop. 65. Michaelis de Molinos damn. ab Inn. XI. scilicet: *Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad externum pertingit. In interiore vero aliter res se habet, quo solus Deus, & director intrant.*

5. *Quær.* An subditi Religiosi teneantur in omnibus obedire suis superioribus?

Resp. Div. Th. Religiosi obedientiam profitentur quantum ad regularem conversationem, secundum quam suis Prælatis subduntur, & ideo ad illa solum tenentur obedire, quæ possunt ad regularem conversationem pertinere, & ad disciplinam vitæ, & curam monasticam, & secundum regulam, quam professi sunt, non solum ad ea, quæ sunt expressa in regula, sed etiam ad ea, quæ reducuntur ad obsequium fraternæ societatis, & ad punitionem culparum. Et hæc est obedientia sufficiens ad salutem. Si autem etiam in aliis obedire voluerit, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis. Dum tamen illa non sint contra Deum, aut cont a professionem regulæ, quia talis obedientia esset illicita. Alio modo non tenetur inferior obedire suo superiori, si ei aliquid præcipiat in quo ei non subdatur, scilicet propter præceptum maioris potestatis; quia obedientia non se extendit ultra potestatem, & ius prælationis, 2. 2. *q.* 94. *art.* 5. *ad* 3. *& in corp. quodlib.* 10. *art.* 9.

6. *Quær.* An peccatum Religiosi in eodem genere sit gravius, quam peccatum sæcularis?

Resp. Div. Th. Peccatum, quod a Religiosis committitur, potest esse gravius peccato eiusdem speciei tripliciter. Uno modo, si sit contra votum religionis, puta si religiosus fornicetur, vel furetur, quia fornicando facit contra votum continentiæ, & furando facit contra votum paupertatis, & non solum contra præceptum Divinæ legis. Secundo, si ex contemptu peccet, quia ex hoc videtur esse magis ingratus diviuis beneficiis, quibus est sublimatus ad statum perfectionis. Tertio modo peccatum Religiosi potest esse maius propter scandalum, quia ad vitam eius multi respiciunt. Si Religiosus ex infirmitate peccatum committit, quod non est contra votum, levius peccat, quia absorbetur a multis operibus bonis, & facilius ab eo resurgit, & iuvatur etiam a sociis ad resurgendum, 2. 2. *q.* 186. *art.* 10.

Concil. Trid. *Sess.* 25. quando agitur de scandalo, decernit, *Quod Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterii degit, & extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus a suo Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.*

7. *Quær.* An Religiosi, & Eremitæ teneantur subdi Episcopo?

Resp. Div. Th. Subiectio Religiosorum principaliter attenditur ad Episcopos, qui comparantur ad eos, sicut perfectiores ad perfectos. Unde ab Episcoporum obedientia nec Eremitæ, nec etiam Prælati Religionum excusantur: & si a diœcesanis Episcopis totaliter, vel ex parte sunt exempti Regulares, obligantur tamen ad obediendum Summo Pontifici, non solum in his, quæ sunt communia aliis, sed etiam in his, quæ specialiter pertinent ad disciplinam Religionis. Nec Papa in voto obedientiæ potest sic cum aliquo Religioso dispensare, ut nulli Prælato teneantur obedire in his, quæ ad perfectionem vitæ pertinent; non enim potest eum a sua obedientia eximere; potest tamen illum, & alios eximere ab inferioris Prælati subiectione, 2. 2. *q.* 186. *art.* 5. *ad* 3. *& art.* 8. *ad* 3.

8. *Quær.* An pro Religiosis sint studia instituenda?

Resp Div. Th. Competit studium literarum Religiosis tripliciter; primo quidem, quantum ad id, quod est vitæ contemplativæ, ad quam studium literarum dupliciter adiuvat; uno modo directe coadiuvando ad contemplandum, illuminando scilicet intellectum, quo dirigitur homo per studium ad considerandum divina. Unde in laudem viri iusti dicitur in *Psalmo primo*, quod in lege Domini meditatur die, ac nocte: alio modo studium literarum iuvat ad contemplativam vitam indirecte, removendo pericula, scilicet errores, qui in contemplatione divinorum frequenter accidunt his, qui Scripturas ignorant, &, ut *Greg.* dicit, *in* 6. *Mor.* dum veritatis esse discipuli humiliter ne-

negligunt, magistri errorum fiunt. Secundo necessarium est studium literarum Religiosis institutis ad prædicandum, & ad alia huiusmodi exercendum. Tertio studium literarum Religiosis congruit, quantum ad id, quod est omni Religioni commune, valet enim ad evitandum carnalem lasciviam. Unde *Hieron.* dicit ad *Rusticum* Monachum; Ama scripturarum studia, & carnis vitia non amabis; avertit enim animum a cogitatione lasciviæ, & carnem macerat propter studii laborem. Valet etiam ad auferendam cupiditatem divitiarum; valet etiam ad obedientiæ documentum. Unde manifestum est, quod Religiosis competit intendere studio principaliter literarum pertinentium ad doctrinam moralem, quæ secundum pietatem est: aliis vero doctrinis intendere non pertinet ad Religiosos, quorum tota vita divinis obsequiis mancipatur, nisi inquantum ordinatur ad sacram doctrinam, 2. 2. *q.* 188. *art.* 5. *in corp. & ad* 3. *& opus.* 19. *cap.* 11.

Conc. Trid. *Sess.* 5. *de refor. cap.* 1. *In conventibus regularium, in quibus studia commode vigere possunt, Sacræ Scripturæ lectio habeatur, quæ lectio a capitulis Generalibus, vel Provincialibus assignetur dignioribus magistris, ad Catholicæ fidei defensionem, & incrementum, sanæque doctrinæ conservationem, & propagationem, & ubi instituta foret, & negligeretur, restauretur.*

9. *Quær.* An Religiosis liceat indifferenter ex auctoritate propria prædicare, & confessiones audire?

Resp. Div. Th. Opportunum fuit, ut præter ordinarios Prælatos alii assumerentur ad huiusmodi officia propter multitudinem fidelis populi, & difficultatem inveniendi sufficientes personas distribuendas singulis Plebibus. Sed sicut Religiones aliquæ instituuntur ad militandum, non quidem ut militent auctoritate propria, sed auctoritate Principum, vel Ecclesiæ, quibus ex officio competit; ita etiam Religiones instituuntur ad prædicandum, & confessiones audiendum, non auctoritate propria, sed auctoritate Prælatorum superiorum, scilicet Episcoporum, & inferiorum, ad quos ex officio pertinet, & ita subservire Prælatis in tali ministerio est Religiosis proprium. Nec a Prælatis conceditur talibus Religiosis, ut quilibet indifferenter possit prædicare, vel confessiones audire, sed secundum moderationem eorum, qui huiusmodi Religionibus præficiuntur, vel secundum taxationem Prælatorum, 2. 2. *q.* 188. *artic.* 4. *ad* 2. *& ad* 3. *& ad* 5. *& opus.* 19. *cap.* 4.

Unde Concil. Trid. *Sess.* 5. *de reform. cap.* 2. decrevit, *quod Regulares cuiuscumque ordinis, nisi a suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in Ecclesiis suorum ordinum prædicare possunt, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis vero, quæ suorum ordinum non sunt ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint: si vero (quod absit) Prædicator errores, aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat.*

10. *Quær.* An liceat Religiosis ornare suas prædicationes eloquentia, & magno artificio?

Resp. Div. Th. Uti sapientia, & eloquentia sæculari in sacra Scriptura quodammodo commendatur, & quodammodo reprehenditur; reprehenditur quidem, quando aliquis ad iactantiam eis utitur, & quando eloquentiæ, & sapientiæ sæculari principaliter studet; nam tunc non intendit homines inducere in admirationem eorum, quæ dicit, sed dicentis. Commendatur autem, quando utitur aliquis sapientia, & eloquentia ad se non ostendendum, sed ad utilitatem audientium, qui sic quandoque facilius, & efficacius instruuntur, vel contrarii convincuntur: & iterum quando aliquis non principaliter eis intendit, sed eis utitur in obsequium sacræ Scripturæ, cui principaliter inhæret, ut sic omnia alia in obsequium eius assumat, *opus.* 19. *cap.* 12. *Lect.* 1. *cap.* 2. *ad Colost. Lect.* 3. *cap.* 1. *ad Corinth.*

11. *Quær.* An Religiosis liceat uti officio Advocati?

Resp. Div. Th. Exercere advocationis officium propter aliquid mundanum, repugnat omni Religioni; non autem si aliquis

liquis hoc exerceat secundum dispositionem sui Prælati pro Monasterio suo, ut in *Decretali extra de postulando cap. 6. p.* 1. Neque etiam pro defensione pauperum, aut viduarum. Unde in Decretis *dist.* 88. *cap. decrevit*. Decrevit Sancta Synodus, nullum deinceps Clericum, aut possessiones conducere, aut sæcularibus negotiis se permiscere, nisi propter curam pupillorum, aut si forte Episcopus Civitatis Ecclesiasticarum rerum sollicitudinem cum habere præcipiat. Eadem autem ratio est de Religiosis, & Clericis, quia utrisque sæcularia negotia interdicuntur, 2. 2. *q.* 187. *art.* 2. *& q.* 188. *art.* 3. *ad* 2. *& Lect.* 1. *cap.* 2. *secundæ ad Timoth. & opusc.* 19. *cap.* 9.

12. *Quær.* An Religiosis liceat frequentare Palatia Principum?

Resp. Div. Th. Frequentare Palatia Regum propter delicias, vel gloriam, vel cupiditatem non competit Religiosis, sed ea adire propter pias causas eis competit; unde dicitur 4. *Reg.* 4. Quod Eliseus dixit ad Mulierem, nunquid habes negotium, & vis ut loquar Regi, vel Principi militiæ? similiter etiam convenit Religiosis adire Regum Palatia ad eos dirigendos, vel dando consilium, vel intercedendo, & etiam si oporteat arguendos. Sicut Ioannes Baptista arguebat Herodem, 14. *Matth.* 2. 2. *q.* 187. *art.* 2. *ad* 3. *& opusc.* 19. *cap.* 9.

13. *Quær.* An Religioso liceat discurrere huc, & illuc per diversa loca?

Resp. Div. Th. Discursus Religiosorum vituperatur, quando ex inconstantia, vel animi levitate procedit, & quando ex concupiscentia terrenorum ad lucra quærenda discurritur; de his dicit *Aug.* Quosdam Monachos novimus nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes; arguit enim eorum discursum ex levitate procedentem, vel potius ex cupiditate. Unde *Hieronym.* dicit *ad Paulin. tom.* 1. Si cupis esse quod diceris, Monachus, idest solus, quid facis in urbibus? Et hoc maxime accidit in illis, qui sine aliquo fructu discurrunt. Alia vero sunt Castra Prædicantium, ait *Gregor. homil.* 18. *super Ezechiel.* qui huc, & illuc pro colligendis animabus in sanctis operis procinctu laborant, qui amore Domini in prædicatione discurrunt, & quasi rotæ ignis sunt, unde & ipsi ardent, & alios incendunt, & talis prædicantium discursus ad salutem animarum commendandus est, *opusc.* 19 *cap.* 10. *& alibi*.

14. *Quær.* An Religiosi debeant cum omnibus conformari?

Resp. Div. Th. Viri spirituales salva vitæ, & Religionis suæ observantia, omnibus se debent conformare. Ait *Apost.* omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos, *lect.* 4. *cap.* 9. 1. *ad Corinth.*

15. *Quær.* An Religiosos deceat vilioribus uti vestibus?

Resp. Div. Th. Habitus vilis, & incultus est signum contemptus divitiarum, & mundani fastus, unde *Hieronym.* dicit ad Rusticum Monachum, sordes vestium candidæ mentis inditia sunt. Vilis tunica contemptum sæculi probat, utrumque competit Religiosis, quia Religio est status pœnitentiæ, & contemptus mundanæ gloriæ, & propter exemplum aliorum. Alio modo potest considerari habitus vilis, & incultus secundum quod procedit ex avaritia, vel negligentia, & sic ad vitium pertinet, 2. 2. *q.* 187. *art.* 6. *opusc.* 19. *cap.* 8.

16. *Quær.* An Religiosi possint possidere aliquid in commune, & etiam tamquam proprium?

Resp. Div. Th. Religiosi proprium nullo modo habere possunt secundum illud, *Matth.* 10 Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: habere enim aliquid proprium perfectioni repugnat. Unde *Hieronymus ad Nepotianum* conqueritur de quibusdam, dicens. Sunt ditiores Monachi, quam fuerunt sæculares, possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerunt: suspirat eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos. Non hoc tamen habet locum in divitiis moderatis communiter conservatis ad solam sustentationem vitæ, qua singuli indigent, eo quod singuli simpliciter utuntur his, quæ pertinent ad necessaria vitæ. Habere enim de rebus exterioribus in communi, sive mobilibus, sive immobilibus quantum sufficit ad simplicem victum, perfectionem religionis non impedit, si consideretur paupertas per comparationem ad communem finem religionum, quod est vacare divinis obse-

sequiis; si autem consideretur per comparationem ad speciales fines religionum, tanta erit unaquæque religio secundum paupertatem perfectior, quanto habet paupertatem magis proportionatam suo fini. Manifestum est quod ad exteriora opera vitæ activæ indiget homo copia rerum; ad contemplationem autem pauca requiruntur. Sic patet, quod religio, quæ ordinatur ad actiones corporales activæ vitæ, puta ad militandum, ad hospitalitatem sectandam, imperfecta esset, si communibus careret divitiis. Religiones autem, quæ ad contemplativam vitam ordinantur tanto perfectiores sunt, quanto earum paupertas minorem eis sollicitudinem temporalem ingerit; maiorem sollicitudinem requirit religio, quæ est instituta ad contemplandum, & contemplata aliis tradendum per doctrinam, & prædicationem, quam illa quæ est instituta ad contemplandum tantum. Ideo tribus gradibus Religionum super positis, triplex gradus paupertatis competit, 2. 2. *q.* 188. *art.* 7. *&* *q.* 185. *art.* 8. *ad* 3.

Unde Concil. Trid. *Seff.* 25. *cap.* 3. *Concedit Sancta Synodus omnibus Monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum, & mendicantium (exceptis domibus Fratrum Sancti Francisci, Cappuccinorum, & eorum, qui Minorum de Observantia vocantur) etiam quibus, aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.*

De reliquo Concil. Trid. *ibid. cap.* 2. sic decernit; *Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur.*

Errores Io. Vicleffi. *Contra Scripturam Sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.*

Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

Omnes de ordine mendicantium sunt heretici, & dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.

Si aliquis ingrediatur religionem privatam qualemcunque tam possessionatorum, quam mendicantium redditur ineptior & inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

17. *Quær.* An Religiosi possint dare aliis?

Resp. Div. Th. Religiosi sunt sub potestate suorum Prælatorum, unde, puta Testamentum nullo modo facere possunt, quia solus usus committitur rerum, qui morte finitur, ex qua incipit testamentum valere, ut *Apost.* dicit *ad Hebr.* 9. Si quis habeat dispensationem a Prælato commissam, potest eleemosynas facere de rebus monasterii: si vero non habeat dispensationem, quia nihil proprium habet, non potest facere eleemosynam sine licentia Prælati, vel expresse habita, vel probabiliter præsumpta: nisi forte in articulo extremæ necessitatis, in quo licitum est furari, ut eleemosynam daret; nec propter hoc efficitur peioris conditionis; quia sicut dicitur in *Libro de Ecclesiast. dogmatibus cap.* 71. bonum est facultates pauperibus erogare; sed melius est pro intentione sequendi Dominum simul omnia donare, & egere cum Christo, 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *&* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 2. *art.* 5. *quæstiunc.* 4.

18. *Quær.* An Religiosus possit Claustrum exire ad subveniendum Patri?

Resp. Div. Th. Aliter dicendum est de illo, qui nondum Religionem intravit, & aliter de illo, qui iam in Religione est professus. Qui nondum in Religionem intravit, si videt Patrem suum in magna necessitate, non debet in religionem intrare; si iam in Religione professus est mortuus mundo, & in claustro remanet sub præcepto Prælati, (est enim factus impotens ad reddendum debitum ministerium,) debet tamen quantum potest, salva ordinis obedientia satagere, ut per se, vel per alium suis Parentibus subveniatur, si in necessitate fuerint constituti, *quodlib.* 3. *art.* 16.

Concil. Trid. *Seff.* 25. *cap.* 4. *de Regularibus: Probibet S. Synodus ne quis Regularis sine sui superioris licentia prædicationis, vel lectionis, aut cuiusvis pii operis prætextu subiiciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, vel universitatis . . . nec liceat regularibus a suis conventibus recedere etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem mis-

missi, aut vocati fuerint . . . & ab ordinariis locorum puniantur.

19. *Quær.* An Religiosi teneantur tolerare suos impugnatores?

Resp. Div. Th. Perfecti viri dupliciter impugnari possunt; uno quidem modo quantum ad personas proprias, puta cum inferuntur eis iniuriæ personales: alio modo possunt impugnari quantum ad statum eorum, ut, puta cum aliquis verbis, vel factis perfectionis statui derogat, scilicet de viris Religiosis mala vera alicuius extendunt ad omnes, dubia asserunt ut vera, falsa confingunt, bona pervertunt. *Videatur in fonte opusc. 19. per totum.* Non intelligentes quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, vita ad exemplum, 2. 2. *q.* 188. *art.* 8. *in corp. in fine.* In iniuriis ergo personalibus decet perfectos viros esse maxime patientes, ut sint etiam parati plura sufferre. Statum vero suum, scilicet Religionem impugnari non debent pati, quantum resistere possunt, hoc enim vergeret in iniuriam Dei. Unde *Chrysost.* super illud *Matth.* 4. *Vade Satana*, ait: Christi discamus exemplo, nostras quidem iniurias magnanimiter sufferre: Dei autem iniurias nec usque ad auditum sufferre: quoniam in propriis iniuriis esse quemlibet patientem laudabile est, iniurias autem Dei dissimulare nimis est impium, *quodlib.* 5. *art.* 26. *opusc.* 19. *cap.* 14. 16. & 20.

Recolatur tamen proposit. 17. damn. ab Alex. VII.

20. *Quær.* An Religiosus teneatur in conscientia esse perfectus?

Resp. Div. Th. Ille qui transit ad Religionem non profitetur esse perfectum, sed profitetur se adhibere studium ad perfectionem consequendam: ideo Religiosus non est transgressor suæ professionis, si non sit perfectus, sed solum si contemnat ad perfectionem tendere, secundum quod requirit conditio sui status; & ad meliora contendere secundum regulam quam professus est. Transgreditur ex contemptu aliquis, quando voluntas eius renuit subiici ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam; quando autem e converso propter aliam aliquam particularem causam, puta propter concupiscentiam, vel iram, vel huiusmodi inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu, etiamsi frequenter ex infirmitate peccatum iteretur, 2. 2. *q.* 186. *art.* 2. *ad* 1. & *ad* 2. & *art.* 9. *ad* 3.

21. *Quær.* An liceat Religiosis mendicare?

Resp. Div. Th. Religiosis competit vivere ad imitationem Christi. Sed Christus mendicavit secundum illud *Psal.* 39. Ego autem sum mendicus, & pauper: Ergo conveniens est Religiosis mendicare. Causa humilitatis aliqui mendicant; illi enim videntur abiectissimi inter homines esse, qui non solum sunt pauperes, sed intantum sunt egentes, quod necesse habent ab aliis victum accipere; alio modo ex necessitate, & utilitate: ex necessitate quidem, sicut dictum est, cum aliquis non potest aliunde habere unde vivat, nisi mendicet: ex utilitate cum aliquis intendit ad aliquid utile perficiendum, sicut petuntur eleemosynæ pro constructione puta Ecclesiæ, vel pro quibuscumque operibus, quæ vergunt in utilitatem communem; & hoc modo mendicitas est licita; si fieret ex cupiditate habendi divitias, vel victum otiose, talis mendicitas esset illicita, 2. 2. *q.* 187. *art.* 5. *in corp.*

Error Io. Hus, *Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto.*

22. *Quær.* An sit laudabile Religionem ingredi absque multorum consilio, & diuturna deliberatione?

Resp. Div. Th. Diuturna deliberatio, & multorum consilia requiruntur in magnis dubiis. In his, quæ sunt certa, & determinata non requiritur consilium. Certum est, quod ingressus religionis est melius bonum, & qui hoc dubitat derogat Christo, qui hoc consilium dedit. Potest considerari ingressus religionis per comparationem ad vires; sed qui ingrediuntur Religionem non confidunt in sua virtute se posse subsistere, sed auxilio virtutis Divinæ. Si tamen sit aliquod speciale impedimentum infirmitatis, vel onera debitorum, vel aliqua huiusmodi, in his requiritur deliberatio, & consilium cum viro probo; tamen non est diuturna deliberatio habenda. Reservatur enim probationis tempus, in quo difficultates experiuntur. Si sit de religione, ad quam quis ingredi debeat, de talibus etiam po-

potest haberi consilium cum his, qui non impediant, sed potius qui inducant; nam isti non solum non peccant suadendo, sed magnum merentur præmium: dummodo non mendaciis, & violenter cogant, quod prohibetur *in Decret.* 20. *q.* 3. Et ne aliquis simoniace trahat muneribus datis, vel acceptis pro ingressu religionis, ut prohibetur *in Decret. ibidem q.* 2. Nec tamen ad hoc pertinet si sine pacto aliqua munuscula quis tribuat ad familiaritatem captandam, ut eum favorabilem sibi reddat, non intendens gloriam propriam, sed gloriam Dei, & proximi salutem. Deus enim temporalibus beneficiis allicit ad bene agendum. In Ecclesiis etiam quibusdam temporalium distributionum alliciuntur aliqui ad Ecclesiæ deserviendum, non quod præmium accipiant, sed sunt quædam secundario illectiva ad serviendum Deo, 2. 2. *q.* 189. *art.* 9. *&* 10. *& quodlib.* 4. *art.* 23. *& opusc.* 17. *cap.* 2. *&* 3.

Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 18. *Anathemati Sancta Synodus subiicit omnes, & singulas personas, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, vel quamcumque aliam mulierem invitam ad ingrediendum Monasterium, vel ad emittendam professionem: simili quoque anathemati subiicit eos, qui Sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquomodo sine iusta causa impedierint.*

23. *Quær.* Quomodo gravatus ære alieno possit ingredi religionem?

Resp. Div. Th. Si aliquis sit obligatus, ut alicui rationem ponat, non potest hoc licite prætermittere, ut Religionem ingrediatur. Si autem non habet unde reddat tenetur facere quod potest, ut scilicet cedat bonis suis creditoribus. Secundum iura civilia propter pecuniam personam liberi hominis non obligatur, sed solum res, quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ. Unde licite potest exhibitis rebus suis religionem ingredi, nec tenetur in sæculo remanere, ut procuret, unde debitum solvat, 2. 2. *q.* 189. *art.* 6. *ad* 3.

24. *Quær.* An liceat de una Religione transire ad aliam?

Resp. Div. Th. Transire de Religione ad Religionem, nisi propter magnam utilitatem, vel necessitatem non est laudabile, tum quia ex hoc plerumque scandalizantur illi, qui relinquuntur, tum etiam quia facilius proficit aliquis in religione, quam consuevit, quam in illa, quam non consuevit, cæteris paribus. Potest tamen aliquis laudabiliter de una religione transire ad aliam triplici ex causa; primo quidem zelo perfectioris Religionis. Secundo propter declinationem Religionis a debita perfectione; puta si in aliqua Religione arctiori incipiant Religiosi remissius vivere, laudabiliter transit aliquis ad Religionem etiam minorem, si melius observetur. Tertio propter infirmitatem, vel debilitatem, ex qua interdum provenit, quod non potest aliquis arctioris Religionis statuta servare, posset autem servare statuta Religionis laxioris. Sed in his tribus casibus potest esse differentia, nam in primo casu debet licentiam petere, quæ tamen ei negari non potest, ut habetur *extra de regularibus transeuntibus cap. licet*. Similiter requiritur superioris iudicium in secundo casu; in tertio vero casu est necessaria dispensatio, 2. 2. *q.* 189. *art.* 8.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *de refor. cap.* 11. ait. *Quia vero Regulares de uno ad alium ordinem translati, facile a suo superiore licentiam standi extra Monasterium obtinere solent, ex quo vagandi, & apostatandi occasio tribuitur; nemo cuiuscumque ordinis Prælatus, vigore cuiuscumque facultatis aliquem ad habitum, & professionem admittere possit, nisi ut in ordine ipso, ad quem transfertur sub sui superioris obedientia in claustro perpetuo maneat.*

Et *Sess.* 25. *cap.* 19. decernit, quod *Nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem; nec detur licentiam cuiquam Regulari occulte habitum ferendi suæ Religionis.*

25. *Quær.* An Religiosus expelli possit propter culpam, si sit paratus corrigi, & sustinere pœnam?

Resp. Div. Th. Apostolus dicit; Auferte malum ex vobis: modicum enim fermentum &c. Aufertur autem aliquis aut per pœnam corporalem, & per hoc manifestum est, quod aufertur etiam ille, qui vellet pœnitere quantumcumque, sicut homicida suspenditur quantumcum-

que

que pœniteat: vel per pœnam spiritualem, & hoc Ecclesia non facit, nisi quis esset contumax; & ratio huius, quia per pœnam corporalem aufertur aliquid temporale, quod potest recompensari per aliquod maius bonum; sed bonum spirituale, quod amittitur, non potest recompensari, & ideo non debet Religio infligere talem pœnam, quandiu vult corrigi, quoniam sicut est excommunicatio in Ecclesia, ita est expulsio in Religione: & ideo dicendum, quod nullus est, nisi propter contumaciam expellendus, sed est sequestrandus in carcere, vel alio modo puniendus, *quodlib.* 12. *art.* 36.

26. *Quær.* Quid sit Apostasia a Religione?

Resp. Div. Th. Contingit aliquem apostatare a Deo, recedendo a Religione, quam professus est; & hæc dicitur apostasia a Deo per mentem repugnantem Divinis mandatis, quæ importat retrocessionem quamdam a Deo per debitam, & subiectam voluntatem ad obediendum præceptis eius, 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *in corp.*

„ Apostatæ peccant mortaliter, & „ excommunicantur, & incidunt in alias „ pœnas a Sacris Canonibus statutas, ut vi- „ dere est in Decretis Clementis VIII. nec „ non Urbani itidem VIII. contra fugiti- „ vos, & Apostatas. Efficiuntur enim pes- „ simi, & incorrigibiles: *Confregisti iu- „ gum, dirupisti vincula; dixisti, non „ serviam. Hierem.* 22.

Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 4. decrevit, *ut non liceat Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinariis Locorum, tamquam desertor sui instituti, puniatur.*

Præterea *Sess.* 25. *cap.* 19. decrevit: *Si quicumque Regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur nisi infra quinquennium tantum a die professionis, & tunc non aliter nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, & ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam Apostata puniatur. Interim vero nullo privilegio suæ religionis iuvetur.*

27 *Quær.* Ad quid teneantur Prælati Regulares?

Resp. Div. Th. Prælati ex necessitate præcepti tenentur ad ea, quæ sunt proprii officii. Ministrare debet quilibet Prælatus suis subditis bona spiritualia exhortando, & exempla monstrando, & bona temporalia, ut pro subdito aliquid patiatur, ut malos coerceat, quamvis teneatur subditum suum revocare ab omni malo; non tamen tenetur eum inducere ad omne melius, *lect.* 1. *cap.* 1. *prima ad Corinth. & lect.* 5. *cap.* 12. *secunda ad Corinth. & in prologo prima ad Timoth & quodlib.* 1. *art.* 14. *ad* 3.

Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 20. decrevit, *ut Abbates, qui sunt ordinum capita, ac cæteri prædictorum ordinum superiores, Episcopis non subiecti, quibus est in alia inferiora monasteria, prioratusve legitima iurisdictio, eadem illa sibi subdita Monasteria, & Prioratus suo quisque loco, atque ordine ex officio visitent.*

28. *Quær.* Quomodo se debeant gerere gremiales, ut non peccent in electione Prælatorum, cum pendeat in hoc principaliter bonum omnium Religionum?

Resp. Div. Th. Honor est quoddam testimonium de virtute eius, qui honoratur; ideo sola virtus est debita causa honoris. Unde opponitur institiæ distributivæ omnis respectus ad solam personam, si non facit ad rem. Consistit enim æqualitas iustitiæ distributivæ in hoc, quod diversis personis diversa tribuuntur secundum proportionem ad dignitates, & merita personarum; si ergo aliquis consideret illam proprietatem personæ, propter quam aliquid, quod ei confertur est ei debitum, & proportionatum, puta quia bonus est, & bene deserviet Ecclesiæ, vel Religioni, quia bene literatus, & honestus, non est acceptor personarum, quia hic attenditur causa debita, non persona; nam accipere personam proprie est in aliquo negotio attendere quasi regulam ipsius negotii conditionem personæ nihil facientem ad negotium, puta si ali-

si aliquis consideret in eo, cui aliquid confert, non id, quod ei datur, sit ei proportionatum, vel debitum, sed solum quod est talis homo, puta Petrus, vel Martinus, hic est acceptio personarum, quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam causam, quæ faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personæ. Ad personam etiam refertur quæcumque conditio non faciens ad causam, propter quam sit dignus hoc dono, puta si aliquis promoveat aliquem ad prælationem, vel magisterium, quia est amicus, vel consanguineus, vel civis, vel aliquid huiusmodi, hæc est acceptio personæ. Talis acceptio personarum est peccatum, inquantum contrariatur iustitiæ, & quanto in maioribus aliquis iustitiam transgreditur, tanto gravius peccat; unde cum spiritualia sint temporalibus potiora, gravius etiam peccatum est personas accipere in dispensatione spiritualium, 2. 2. *q.* 63. *art.* 1. *&* 2. *&* 3. *Lect.* 2. *super cap.* 2. *ad Galat. & ad Rom. quodlib.* 10. *art.* 12. Unde *Hieronym. super* 1. *ad Titum*, dixit, quod quidam non quærunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel dediti, vel pro quibus maiorum quispiam rogaverit, ut deteriora taceam, qui ut promoti fierent, muneribus impetrarunt. Et subiungit Aug. in *Epistola* 29. *ad Hieronym.* Non est putandum, leve esse peccatum in personarum acceptione, 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. *in corp.*

29. *Quær.* An simpliciter in electionibus sit etiam dignior eligendus?

Resp. Div. Th. Primo oportet eligere ad Prælationem aliquem, qui sit bonus simpliciter, quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum: non tamen oportet, quod semper eligatur ille, qui est melior simpliciter; possibile est enim, quod illi, qui est in charitate perfectior, deficiant multa, quæ requiruntur ad hoc, quod aliquis sit Prælatus idoneus, quæ in alio, qui est minoris charitatis inveniuntur, ut sunt scientia, prudentia, industria, potentia, & alia huiusmodi, quia forte potest Ecclesiam magis iuvare vel per consilium sapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel quia servivit in Ecclesia. Unde non oportet semper eligere meliorem simpliciter in charitate, sed eum, qui sit melior ad hoc, vel illud officium: si autem eligat quis eum, quem reputat minus idoneum ad tale officium, licet alias meliorem in sanctitate, peccat, & in tali electione erit ibi acceptatio personarum, quæ sine peccato non fit, inquantum quod corrumpitur iudicium, quando scilicet attribuitur alicui personæ aliquid præter proportionem suam, in qua proportione consistit actus, & æqualitas iustitiæ distributivæ, puta si sit aliqua conditio indebite movens, vel familiaritas, vel consanguinitas, vel aliquid huiusmodi, & sic indebite movet, *Quodlib.* 8. *art.* 6. *in corp. &* 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *& quodlib.* 6. *art.* 9. *in corp. & ad* 5. Post electionem sufficit elegisse bonum quantum ad forum contentiosum, in quo non reprobatur electio ex hoc, quod potest aliquis alius magis idoneus inveneri, dummodo qui eligitur idoneus sit, alias omnis electio calumniam pateretur.

Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 6. decernit, *ut in electione superiorum quorumcumque, quo omnia recte, & sine ulla fraude fiant, in primis Santa Synodus districte precipit omnes eligi debere per vota secreta: ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec inposterum liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis facienda constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere. Si vero contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, & his, qui ad hunc effectum se in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis existat.*

Et *cap.* 7. statuit *ut Abbatissa, & Priorissa, & quocumque alio nomine Præfecta, vel Præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Si hoc etiam in commodum superioris, qui electioni præest videatur, ex his, quæ trigesimum excesserint, & quinque saltem annos post professionem recte vixerint, Episcopo, vel alio superiore consensiente, eligatur.* Videatur etiam *Sess.* 24. *de ref. cap.* 1. ut alibi retulimus.

30. *Quær.* An Religiosi, qui honorant magnates præ pauperibus, peccent?

 Resp.

Resp. Div. Th. In his quæ ad Christi fidem pertinent peccatum esset divites pauperibus præferre, sicut ministrationes Sacramentorum, & alia huiusmodi; sed in his, quæ mundi convictus requirit, oportet mundi gerere morem, & divites honorare, illis dumtaxat honoribus, qui ad exteriorem convictum pertinent, *Quodlib.* 10. *art.* 12. *in corp. & ad* 1.

AD QUARTUM DECALOGI PRÆCEPTUM

TRACTATUS DECIMUS

De Iure, & Officiis Principum.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit Iustitia?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

IUstitia est perpetua, & constans voluntas ius suum unicuique tribuendi. Reddere ius suum unicuique pertinet principaliter ad Principem per modum imperantis, & dirigentis, & subditi reddunt quod suum est unicuique per modum exequutionis per exteriores actiones, & per exteriores res, quibus sibi invicem homines communicare possunt: cum id iustitiæ proprium sit, in his, quæ sunt ad alterum, 2. 2 *q.* 58. *art.* 1. *&* 2. *&* 8.

2. *Quær.* An convenienter ponantur duæ species iustitiæ, scilicet commutativa, & distributiva, ultra legalem, & communem?

Resp. D. Th. Præter iustitiam legalem, quæ ordinat hominem tamquam bonum partis ad totum, quia ad leges pertinet ordinare ad bonum commune, ut supra habitum est de legibus, duæ aliæ sunt iustitiæ species, scilicet distributiva, & commutativa. Nam duplex est alius ordo, scilicet partis ad partem, & hunc ordinem dirigit commutativa iustitia, quæ consistit in his, quæ mutuo sunt inter duas personas ad invicem. Alius ordo est totius ad partes, quem quidem ordinem dirigit iustitia distributiva communium, secundum proportionalitatem; unde medium iustitiæ est medium rei, & rationis, quod consistit in quadam recta proportionis æqualitate rei exterioris ad personam exteriorem; ita tamen quod in iustitia distributiva non accipitur medium secundum æqualitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rerum ad personas: ut scilicet, sicut una persona excedit aliam, ita etiam res, quæ dantur uni personæ, excedit rem, quæ datur alteri; & ideo *Philosophus* dicit, quod tale medium est secundum geometricam proportionalitatem, in qua attenditur æquale non secundum quantitatem, sed secundum proportionem. Sicut si dicamus, quod sicut se habent sex ad quatuor, ita se habent tria ad duo, non autem est æqualis excessus secundum quantitatem, sed utrobique est sexquialtera proportio. Sed in commutationibus redditur aliquid alicui singulari personæ, propter rem eius, quæ accepta est, ut maxime patet in emptione, & venditione, & similibus, in quibus opertet adæquare rem rei. Si puta uterque contrahentium habeat quinque, & unus eorum accipit unum de eo, quod est alterius, unus habebit sex, & alter quatuor. Erit ergo iustitia si uterque reducatur ad medium, & accipiatur unum ab eo, qui habet sex, & detur ei, qui habet quatuor; sic enim uterque habebit quinque, quod est medium rei, & sic fit æqualitas secundum aritmeticam medietatem, quod in commutativa iustitia omnino servandum est, 2. 2. *q.* 61. *art.* 1. *&* 2. *in corp.*

3. *Quær.* Quænam sit materia propria iustitiæ distributivæ, & commutativæ?

Resp. Div. Th. Iustitia, sicut supra dictum est, versatur circa quasdam operationes exteriores, scilicet distributionem rerum, vel bonorum, & commutationem, quæ quidem sunt usus quorundam exteriorum vel rerum, vel personarum, vel etiam

etiam operum: rerum quidem, ficut cum aliquis vel aufert, vel restituit alteri suam rem; personarum autem, sicut cum aliquis in ipsam personam hominis iniuriam facit percutiendo, conviciando, &c. Operum autem, sicut cum aliquis iuste ab alio exigit, vel alteri reddit aliquod opus. Nam distributiva iustitia est directiva distributionum; puta præmiorum, vel pœnarum; secundum exigentiam meritorum; commutativa vero iustitia est directiva commutationum, quæ attendi possunt inter duas personas; quarum quædam sunt involuntariæ, quædam vero voluntariæ. Involuntariæ quidem actiones, quando aliquis utitur re alterius, vel persona, vel opere eo invito, quandoque occulte per fraudem, quandoque manifeste per violentiam; utrumque autem contingit, aut in rem, aut in personam propriam, aut in personam coniunctam. In rem, si occulte unus rem alterius accipiat, & vocatur furtum; si autem manifeste vocatur rapina. In personam autem propriam, si lædatur aliquis occulte, puta per dolosam veneni exhibitionem. Manifeste per verberationem, mutilationem, & occisionem. Quantum ad dignitatem personæ læditur occulte per calumnias, & falsa testimonia, seu detractiones, quibus aliquis aufert famam alterius; manifeste per accusationem in iudicio, sive per convicium illatum. Quantum ad personam coniunctam, læditur aliquis in uxore per adulterium, & aliis modis iniuriæ, sicut & ipsa persona propria, sive in rebus, sive in operibus. Voluntariæ autem commutationes dicuntur, quando aliquis voluntarie transfert rem suam in alterum, si transfert absque debito, sicut in donatione non est actus iustitiæ, sed liberalitatis. Intantum autem ad iustitiam translatio voluntaria pertinet, inquantum est ibi aliquid de ratione debiti, quod quidem contingit multipliciter; uno modo transfert rem suam in alterum, pro recompensatione alterius rei, sicut accidit in venditione, & emptione: alio modo tradit rem suam alteri, cum debito, & animo recuperandi rem. Si gratis concedit usum rei vocatur ususfructus in rebus fructiferis, vel mutuum, seu accommodatum in rebus non fructiferis, sicut sunt denarii, vasa, & huiusmodi. Si vero nec ipse usus gratis conceditur, vocatur locatio, & conductio. Alio modo tradit conservandam rem suam recuperandam, ut in deposito, vel pignore. In omnibus istis actionibus sive voluntariis, sive involuntariis, est eadem ratio accipiendi medium, secundum æqualitatem recompensationis, quam principaliter pertinet ad Principem tueri per modum imperantis, & dirigentis, ut subditi reddant unicuique quod suum est, 2. 2. *q.* 61. *art.* 3. *per totum*.

4. *Quær.* Quomodo Deus prosperatur Principes, qui sectantur iustitiam?

Resp. Div. Th. Regibus, qui iustitiam quærunt divitiæ adduntur a Deo, sicut Salomon, qui dum sapientiam quæsivit ad faciendum iudicium, promissionem de abundantia divitiarum accepit: de fama superfluum videtur dicere. Quis enim dubitet, bonos Reges non solum in vita, sed magis post mortem quodammodo laudibus hominum vivere, & in desiderio haberi. Restat ulterius, quod eminentem obtinebit cœlestis beatitudinis gradum, qui officium regium digne, & laudabiliter exequitur. Et quia periculosum est diversa sentire in illa parte iustitiæ, quæ dicitur commutativa, ideo &c., *opusc.* 20 *cap.* 9. *&* 10. *&* *opusc.* 73. *in proemio*.

5. *Quær.* Quænam sit obligatio, & necessitas Principis ad faciendam optimam electionem ministrorum?

Resp. D. Th. Sine ministris quodcumque dominium transire non potest, ut per eos secundum gradum personarum exerceantur officia, distribuantur opera, & administrentur necessaria, sive in regno, sive in quacumque republica, secundum merita cuiuscumque in ea contenti. Unde Moyses a Iethro reprehenditur, quia ipse solus satisfaciebat populo sine ministris. Stulto, inquit, labore consumeris tu, & populus iste, & ultra vires tuas est, nec poteris sustinere. Provide, inquit, viros (notentur qualitates, scilicet) potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & denarios, qui iudicent populum omni tempore: quidquid maius fuerit referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent. *Exod.* 18. Qui iura populo tribuant; sive sint Senatores, sive Præfecti, sive Proconsules,

 aut

aut Censores, sive in tutoribus dandis, sive actoribus, sive curatoribus, vel quibuscumque causis, & negotiis pupillorum, & viduarum, vel etiam rebus patrimonialibus dividendis. Curiæ deputati, sicut & Decuriones ad omnem actum curialis officii, & tabelliones, sic dicti, quoniam portatores sint tabellarum, in quibus acta geruntur sive reipublicæ, sive personæ privatæ. Quod si multitudo populi in politia sub certis limitibus in gradu, & numero disponitur, quantum ad sui directionem, multo magis in Castris in quibus maxima, & periculosissima est difficultas regiminis tum ex parte operis, quod ei incumbit, quia ad finem terribilium ordinatur, quod est mors, tum ex parte hostium, qui infestant, unde etiam ex hac parte provide viros potentes, & timentes Deum, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis Duces, Tribunos, Centuriones, & quinquagenarios, si hoc feceris implebis imperium Dei, *Exod. cap.* 18. *Opusc.* 20. *lib.* 2. *cap.* 10. *&* *lib.* 4. *cap.* 26. *&* 28.

6. *Quær.* An liceat Principibus vendere officia Reipublicæ?

Resp. Div. Th. Considerandum videtur circa hoc, quod Apostolus dicit, quod multa licent, quæ non expediunt. Cum autem Balivis, & Officialibus nihil committatur, nisi temporalis officium potestatis, non video quare huiusmodi officia non liceat vendere; dummodo talibus vendantur, de quibus possit præsumi, quod sint utiles, & idonei ad talia officia exercenda, & non tanto pretio vendantur officia, quod recuperari non possint sine gravamine subditorum. Sed tamen talis venditio expediens non videtur; primo, quia contingit frequenter, quod illi, qui essent magis idonei ad huiusmodi officia exercenda sunt pauperes, & emere non possint, & si etiam sunt divites, illi, qui meliores sunt, talia officia non ambiunt, nec inhiant ad lucra ex officio acquirenda. Sequitur igitur, quod ut plurimum illi officia suscipiant, qui sunt peiores, ambitiosi, & pecuniæ amatores, quos etiam probabile est subditos Principis opprimere, & Principis etiam commoda non sic fideliter procurare. Unde magis videtur expediens, ut bonos homines, & idoneos ad suscipiendum officia Principes eligant, quos etiam invitos, si necesse fuerit, compellant, quia per eorum bonitatem, & industriam maiora accrescunt Principibus, & subditis eorum. Si vero mutuum darent, ut officium accipiant, absque dubio pactum esset usurarium, quia pro mutuo accipiunt officii potestatem. Unde in hoc daretur eis occasio peccandi, & ipsi tenerentur resignare officio taliter acquisito. Si tamen gratis officia dentur, & post ab eis mutuum accipiatur, hoc absque omni peccato fieri potest. *Opusc.* 21.

7. *Quær.* Quæ requirantur ad hoc ut consilium, quod ministri dant Principi sit legitimum?

Resp. Div. Th. Ad bonitatem consilii, quod electionem præcedit, tria exiguntur; unum scilicet, quod consiliantes præfigant sibi debitum finem. Secundo quod ad finem bonum consequendum adinveniant bona media, per quæ finem consequantur. Unde si quis bonum finem consequi intendat per malam actionem, non est bonus consiliator. Tertio requiritur ut adinveniant utrumque in tempore convenienti, ne quis sit præceps in festinando, vel etiam inutilis in tardando, 2. *sent. dist.* 40. *art.* 2. *in corp.*

8. *Quær.* Quid facere debet Princeps de his, quæ extorserunt officiales a suis subditis?

Resp. Div. Th. Debet Princeps restituere si ad manus eius devenerint bona, vel certis personis si potest, vel in pios usus expendere, sive pro utilitate communi, si personas certas non potest invenire; si bona, vel pecuniæ ad manus Principis non devenerunt, debet compellere officiales suos ad consimilem restitutionem, etiamsi non fuerint notæ Principi aliquæ certæ personæ damnificatæ, a quibus exegerint, ne de sua iniustitia exactores commodum reportent; quinimmo sunt a Principe super hoc gravius puniendi, ut cæteri a similibus abstineant in futurum, quia sicut *Salomon* dicit, Pestilente flagellato stultus sapientior fit. *Opus.* 21. *q.* 7.

9. *Quær.* Quomodo bona subditorum dicantur esse Principis?

Resp. Div. Th. Omnia sunt Principum ad gubernandum, non ad retinendum sibi, vel dandum aliis, & si quæ leges tales sunt, tyrannicæ sunt, & non absolvunt a conscientia, sed a foro iudiciali, & vio-

& violentia. Principes igitur suis debent esse contenti stipendiis, nec subditos suos gravare possunt in bonis eorum, & rebus, nisi in duobus casibus, scilicet ratione delicti, & pro bono communi sui regiminis, *quodlib.* 12. *art.* 25. *ad* 1. *&* *opusc.* 20. *lib.* 3. *cap.* 11.

10. *Quær.* An liceat Principibus præter consueta, alia exigere a subditis?

Resp. Div. Th. Princeps, qui militat utilitati communi potest de communibus vivere, & communia negotia procurare, vel per redditus deputatos, & per ea, quæ a singulis ordinarie colliguntur. Si aliquis casus emergat de novo, in quo oporter plura expendere pro utilitate communi, vel pro honesto statu Principis conservando, ad quæ non sufficiunt redditus proprii, vel exactiones consuetæ, puta si hostes terram invadant, aut aliquis similis casus emergat, tunc præter solitas exactiones possent licite terrarum Principes a suis subditis aliqua exigere pro utilitate communi. Si vero velint exigere ultra id, quod est institutum pro sola libidine habendi, vel propter inerdinatas, & immoderatas expensas, hoc eis omnino non licet, *Opusc.* 21. *q.* 6. *& super cap.* 1. *Isaiæ*, *& lect.* 1. *cap.* 13. *ad Romanos*. Vide ibi pro libito.

11. *Quær.* An teneantur Principes habere sollicitudinem, ut de ærario publico provideatur pauperibus, advenis, & peregrinis, & similibus?

Resp. Div. Th. Inter omnes artes ars regendi amplior est. Principes vices Dei gerunt; Deo specialiter est cura pauperum. Quare ad bonum regimen Regni, Provinciæ, vel civitatis, vel cuiuscumque Principatus pertinet, ut de communi ærario provideatur per Principem indigentiis pauperum, pupillorum, & viduarum, ac advenis, & peregrinis, & ægrotantibus. Hinc est, quod in singulis provinciis, civitatibus, & castris ad talia ministeria exercenda sunt hospitalia instituta ad pauperum inopiam sublevandam, non solum apud fideles, sed etiam apud infideles. De Aristotele tradunt Historiæ, quod Alexandro exhortatorias literas destinavit; quod pauperum inopiæ memor esset, ad prosperitatem sui regiminis augmentandum, *opusc.* 20. *lib.* 2. *cap.* 15.

12. *Quær.* An ad bonum regimen debeat Princeps invigilare circa pondera, & mensuras?

Resp. Div. Th. Oportet Regem, vel quemcumque Dominum ad bonum ipsorum regimen mensuras, & pondera populo sibi subiecto tradere, quia per ipsa lites diminuuntur, & in emptionibus, & venditionibus fidelitas servatur. Hinc est quod primus Dux Israelitici populi Moyses tradendo leges, ut air *Isidorus*, simul cum illis pondera, & mensuras constituit sive pro cibis, sive pro potibus. Et cum exhortaretur populum ad iustitiam faciendam, statim subiungit regulas naturalis iustitiæ: Non facietis, inquit, iniquum aliquid in pondere, & mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquus sextarius, *opusc.* 20. *lib.* 2. *cap.* 14. Iustitia regis est neminem iniuste per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum, & proximum suum iudicare, advenis, pupillis, & viduis defensorem esse, cohibere furta, adulteria punire, iniquos non exaltare, impios, & parricidas de terra perdere, Ecclesias defendere: pauperes eleemosynis alere, iustos super negotia constituere: senes, & sapientes, & sobrios consiliarios habere. Patriam suam fortiter, & iuste contra adversarios defendere; fidem catholicam in Domino habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, & *D. Greg.* dicit, Summum bonum est in Regibus iustitiam colere, ac sua cuique iura servare, & in subditos non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodiri, *lib.* 2. *de erud. Princip. cap.* 13.

13. *Quær.* Ad quid tenentur Principes erga subditos principaliter?

Resp. Div. Th. Principi erga subditos triplex imminet cura: primo de successione hominum, & de substitutione eorum, qui diversis officiis præsunt. Secundo, ut suis legibus, pœnis, & præmiis homines sibi subiectos ab iniquitate coerceat, & ad opera virtuosa inducat. Tertio imminet Regi, ut multitudo sibi subiecta contra hostes tuta reddatur. Requiritur etiam, ut per regentis industriam necessariorum adsit sufficiens copia, & plures sint artes, & artifices ad sufficientiam humanæ vitæ; debet principaliter intendere ad iustitiam, &c. *Opusc.* 20. *lib.* 1. *cap.* 15.

Adest error Quakeri an. 1655. *Nullus po-*

potest esse Dominus; unde nullus debet alteri servire, sed omnes debent esse aequalis conditionis.

14. *Quær.* Ad quid teneantur subditi erga Principes?

Resp. Div. Th. Ordo iustitiæ requirit, ut inferiores suis superioribus obediant, aliter non posset humanarum rerum status conservari ...... Principi enim tria debet subditus; primo fidelitatem, secundò reverentiam, tertio famulatum.... Principi igitur debetur honor ratione sublimioris gradus, timor ratione potestatis, quam habet ad coercendum; debetur fidelitas, & obedientia, per quam subditi moventur ad imperium, & tributa in signum subiectionis: dicuntur tributa eo quod subditi dominis ea tribuunt de agris, & vineis pro generali regimine, quo patriam in pace, & quiete gubernant, & de mercimoniis pro custodia, & reparatione viarum, *p.* 2. *q.* 100. *art* 5. *&* 2. 2. *q.* 102. *art.* 1. *ad* 2. *& ad* 3. *& q.* 104. *art.* 6.

15. *Quær.* De malis, quæ ex guerris sequuntur, a bono Principe vitandis.

Resp. Div. Th. Multum debet movere Principem ad hoc ut guerram timeat, & quantum potest caveat, quia multa mala ex guerris sequuntur, & multa bona impediuntur, & parvus, vel nullus fructus frequenter inde habetur. Ex guerra sequuntur odia, & homicidia, frequenter qui in bello moriuntur, morte æterna moriuntur. Sequuntur inde incendia, rapinæ, & furta: filiæ prostituuntur, eleemosynæ, & alia bona impediuntur, & specialiter mala inferuntur pauperibus, qui non meruerunt, & dum superbit impius, incenditur pauper, *Psalm.* 9. Quidquid delirant Reges plectuntur Achivi. Inhumanum valde est, Christianum cum Christiano guerram facere. Immitissimus est homo homini: leo leoni non nocet, lupus lupum non lædit. Homines sapientes multum guerram fugiunt. Varius est eventus belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius. Qui fortis est, invenit æque fortem, iuxta illud *Hierem.* 46. 12. Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt. *Lib.* 7. *de erud. Principum cap.* 8. *&* 9.

16. *Quær.* Unde proveniat debilitas, & subversio Civitatis, & Reipublicæ?

Resp. Div. Th. Quod Regnum debilitetur potest contingere vel ex defectu Præsidentis, qui deficit in sapientia, & iustitia, vel ex defectu subditorum, qui non perfecte obediunt, *q.* 7. *de malo, art.* 7. *ad* 9.

Plura circa hanc materiam reperies in quæst. de Legibus.

DE OBLIGATIONE MILITIS.

17. *Quær.* Ad quid teneatur Miles pro bono Reipublicæ?

Resp. Div. Th. Bellatores congrua sunt pars politiæ, ordinata quidem contra impulsores aliarum partium, & ad ipsarum munimen; ad hoc enim constituitur miles in civitate, ut se pro sua patria contra hostes opponat. Unde ad hoc iuramento astringuntur, cum ad gradum militarem ascendunt pro Republica non recusantes mortem. Est ergo bellator in Republica necessarius, & pars præcipua politiæ, & eius officium est assistere Principi pro exequenda iustitia, & fideliter, & constanter contra hostes pugnare, pro conservanda patria; & sic militaris gradus in Republica est singulariter fructuosus, si neminem concutiat, neque calumniam faciat, & contentus sit suis stipendiis, 4. *sent. dist.* 16. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 3. *opusc.* 20. *cap.* 10. *&* 24.

In corpore Ecclesiæ quasi cerebrum est Clerus, quasi manus est militum cœtus; Clerus intellectu, & sensu præcellit: cœtus vero Militum Clerum protegit, & si totam Ecclesiam debet defendere, maxime tamen Clerum. Ab eo autem habet directionem, & debet ei protectionem. Hanc Dei ordinationem, qua Deus vult inter clerum, & milites magnam esse dilectionem, quam innititur inimicus humani generis impedire, sciens concordiam, & amorem eorum valde utilem esse Dei Ecclesiæ, discordiam vero valde noxiam, *lib.* 7. *de erud. princ.*

Plura superius circa hanc materiam dedimus in quæstionibus de vitiis contra charitatem.

18. *Quær.* Quotuplex est pugna iusti certaminis?

Resp. Div. Th. Aliquod bellum dupliciter est; uno modo generale, sicut cum aliqui decertant in acie; alio modo particulare, puta cum aliquis iudex, vel etiam privata persona non recedit a iusto iudicio, 2. 2. *q.* 123. *art.* 5. *ad* 2.

TRA-

TRACTATUS XI.

De Quinto Decalogi Præcepto.

Non occides. *Exod.* 20.

QUÆRITUR PRIMO.

An homicidium sit semper peccatum?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

HOmicidium importat occisionem hominis indebitam, & ideo homicidium nunquam est licitum; quamvis occidere hominem aliquando sit licitum; puta si aliquis homo sit periculosus communitati, & corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter, & salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur, & ideo humana iustitia pro posse illos, qui sunt perniciosi in alios, occidit, *quodlib.* 8. *art.* 4. *ad* 1. *& p.* 2. *q.* 100. *art.* 8. *ad* 3. *&* 2. 2. *q.* 64. *art.* 2. *in corp. & ad* 2.

2. *Quær.* An liceat cuicumque occidere malefactores?

Resp. Div. Th. Sicut dictum est, occidere malefactorem licitum est inquantum ordinatur ad salutem totius communitatis, & ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandæ; cura autem communis boni commissa est Principibus habentibus publicam auctoritatem, & ideo eis solum licet malefactores occidere, non autem privatis personis, nisi forte sit miles, qui interficiat hostem, & non pro se hoc faciat, sed pro aliis auctoritate Principis, & minister latronem auctoritate iudicis, 2. 2. *q.* 64. *art.* 3. *in corp. & ad* 1. *& art.* 7. *ad* 1.

3. *Quær.* An Clericis, & Prælatis Ecclesiæ liceat occidere malefactores?

Resp. Div. Th. Ministerium Ecclesiasticorum, & Clericorum est in melioribus ordinatum, quam sint corporales occisiones, scilicet in his, quæ pertinent ad spiritualem salutem, & electi sunt ad Altaris ministerium, in quo repræsentatur passio Christi occisi, qui cum percuteretur non repercutiebat; & ideo debent a talibus abstinere; & quamvis accipiant Prælati Ecclesiarum officia Principum, non tamen ad hoc, ut ipsi iudicium sanguinis exerceant per se ipsos, sed quod eorum auctoritate iudicium sanguinis per alios exerceatur, 2. 2. *q.* 64. *art.* 4. *in corp. & ad* 3. Propterea irregularitas consequitur actum homicidii, etiamsi sit absque peccato, 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *ad* 3.

4. *Quær.* An liceat alicui occidere seipsum?

Resp. Div. Th. Occidere seipsum est omnino illicitum; est enim contra inclinationem naturalem, & contra charitatem, qua quilibet debet seipsum diligere. Et ideo sui ipsius occisio semper est peccatum mortale. Ex hoc plura inferuntur: primo non licet homini seipsum interficere, puta neque ut ad fœliciorem transeat vitam, quia transitus de hac vita ad aliam fœliciorem non subiacet libero arbitrio hominis, sed potestati divinæ; Ego occidam, & vivere faciam, *Deut* 32. Neque inferre sibi mortem ad alias huius vitæ miserias evadendas, quia esset maius malum assumere ad minoris mali vitationem, quia ultimum malorum huius vitæ, & maxime terribile est mors. Neque licet seipsum interficere propter aliquod peccatum commissum, tum quia in hoc maxime sibi nocet, cum sibi adimat necessarium pœnitentiæ tempus, tum etiam quia malefactorem occidere non licet, nisi per iudicium publicæ potestatis; immo non licet neque habenti publicam potestatem seipsum occidere propter quodcumque peccatum; nullus enim debet esse iudex sui ipsius: licebit tamen ei se committere iudicio aliorum, & mortis pœnam quilibet potest substinere. Neque licebit mulieri seipsam occidere ne ab alio corrumpatur, quia non debet in se committere crimen maximum, ut vitet crimen alienum, non enim est crimen mulieris per violentiam violatæ, si consensus non adsit; neque licebit ob timorem, ne consentiat in pecca-

catum, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, vel ut vitentur mala præsertim minora; & minus certa. Incertum est enim, an in futurum consentiat in peccatum. Potens est enim Deus hominem quacumque tentatione superveniente liberare a peccato, 2. 2. *q.* 64. *art.* 5. *per totum*, *& q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. Licitum est, quod aliquis se a morte per fugam liberet, sicut condemnatus ut fame moriatur, potest occulte ministratum cibum sumere, quia non sumere esset seipsum occidere, *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2.

5. *Quer.* An liceat in aliquo casu condemnare, & occidere innocentem?

Resp. Div. Th. Nullo modo licet occidere innocentem. Vita autem iustorum est conservativa, & promotiva boni communis, quia ipsi sunt pars principalior multitudinis, & gravius peccat ille, qui occidit iustum, quam ille qui privata auctoritate occideret peccatorem. Unde si Iudex, puta scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes ut inveniat occasionem liberandi innoxium. Si hoc non potest, debet eum superioris relinquere iudicio; si hoc etiam non potest, secundum allegata potest sententiam ferre: quia ipse tunc non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentem. Minister quoque Iudicis condemnantis innocentem, si sententia intollerabilem errorem contineat, non debet obedire: si vero non contineat manifestam iniustitiam, ipse non habet discutere superioris sententiam; nam præceptum exequendo non ipse occidit innocentem, sed Iudex, cui ministerium exhibet, 2. 2. *q.* 64. *art.* 6. *per totum*.

6. *Quer.* An liceat alicui occidere aliquem se defendendo?

Resp. Div. Th. Nihil prohibet unius actus esse duos effectus, (ut dictum est in quæstionibus de ultimo fine) quorum alter sit in intentione; alius vero sit præter intentionem. Ex actu ergo alicuius se defendentis duplex effectus sequi potest, unus quidem conservatio propriæ vitæ, alius autem occisio invadentis. Actus ergo huiusmodi ex hoc, quod intenditur conservatio propriæ vitæ non habet rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale, quod se conservet in esse, quantum potest. Si aliquis vero ad defendendam propriam vitam utatur maiori violentia, quam oporteat ad finem conservationis vitæ, erit illicita defensio; nam secundum iura: *vim vi repellere licet:* nec est necessarium ad salutem, ut hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo vitæ suæ providere, quam vitæ alienæ. Sed quia occidere hominem non licet (ut ex supradictis patet) nisi publica auctoritate propter bonum commune, illicitum est, quod homo directe intendat occidere hominem, ut seipsum defendat; nisi ei, qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere, refert hoc ad publicum bonum, ut patet de milite pugnante contra hostem, & in ministro Iudicis contra latronem, quamvis & isti peccent, si privata libidine moveantur, & cum livore vindictæ, 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *in corp. & ad* 5.

Concil. Trid. *Seff.* 14. *cap.* 7. decernit; *Si homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quæcumque, ac dignitates iure quodamodo dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, qui nonnisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, dispensare possit.*

7. *Quær.* An qui casu aliquem occidit incurrat reatum homicidii?

Resp. Div. Th. Casualia inquantum huiusmodi non sunt simpliciter loquendo intenta, neque voluntaria, & per consequens non sunt peccata. Contingit tamen id, quod non est actu per se volitum, vel intentum, esse per accidens volitum, vel intentum inquantum non removet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debebat removere. Hoc autem contingit dupliciter: uno modo quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit. Alio modo, quando non adhibet debitam sollicitudinem. Unde si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens secundum iura, & nihilominus homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum. Si vero det operam rei illicitæ, non evadit homicidii reatum, si ex eius

ope-

opere mors hominis sequatur, & secundum Canones imponitur pœna illi, puta qui percutit mulierem pregnantem, si sequatur mors mulieris, vel pueri animati, 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *per totum* & 4. *sent. q.* 25. *quæstiunc.* 2. *art.* 2. *ad* 3.

8. *Quar.* An liceat occidere hominem volentem se occidi?

Resp. Div. Th. Ille, qui occidit hominem volentem se occidi, iniuriam facit non solum homini occiso, sed etiam Deo, & Reipublicæ. Sicut dictum est de illo, qui occidit seipsum, utpote qui contra legem naturalem, & contra charitatem faciat; & cum quilibet homo sit pars communitatis, occidendo, iniuriam communitati facit, & sicut qui alienum servum interficit peccat in dominum, cuius est servus, quia usurpat sibi iudicium; sic & in Deum peccat; ad solum enim Deum pertinet iudicium mortis, & vitæ, 3. *p. q.* 47. *art.* 6. *ad* 3. & 2. 2 *q.* 64. *art.* 5. *in corp.*

9. *Quar.* An sit licitum in aliquo casu membrum mutilare?

Resp. Div. Th. Si membrum sanum fuerit, & in sua naturali dispositione consistens, non potest præscindi absque totius corporis detrimento. Si vero membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivum, tunc licitum est de voluntate eius, cuius est membrum putridum, membrum præscindere propter salutem totius corporis, quia unicuique commissa est cura propriæ salutis; & eadem ratio est si fiat voluntate eius, ad quem pertinet curare de salute alterius. Et ideo etiam per publicam potestatem aliquis privatur membro aliquo propter culpam aliquam: aliter vero membrum mutilare est omnino illicitum, 2. 2. *q.* 65. *art.* 1. *in corp.*

10. *Quar.* An maceratio corporis sit licita, & quomodo?

Resp. Div. Th. Maceratio proprii corporis, puta per vigilias, & ieiunia non est Deo accepta, nisi inquantum cum debita discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrænetur, & natura non nimis gravetur: ut scilicet homo abstineat, puta a cibis, & sustineat labores, prout oportet pro congruentia hominum, cum quibus vivit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate, 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *ad* 3. & *q.* 146. *art.* 1.

Error Quietistarum sæculi 17. *Ieiunare non oportet hominem, nec orare postquam gradus perfectionis fuerit assecutus quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui, & rationi subiecta, ut possit homo libere corpori concedere quidquid placet.*

Error Flagellantium sæcul. 13. *Perusii & Romæ prius bene cœpit, postea in superstitionem transivit. Ita quod docuerunt Flagellantes, necessarium esse ad salutem solum Baptismum sanguinis per proprii corporis flagellationem.*

11. *Quar.* An liceat exponere se periculo mortis pro conservatione personæ valde utilis Ecclesiæ, & Reipublicæ?

Resp. Div. Th. Si talis casus immineret, ubi puta quis subtrahendo sibi necessaria vitæ, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur, pro talis personæ liberatione, licite se ipsum, & suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum commune sit proprio præferendum, 2. 2. *q.* 32. *art.* 6. *in corp.*

12. *Quar.* An pro salute animæ proximi liceat exponere vitam temporalem?

Resp. Div. Th. Proximum quantum ad salutem animæ magis diligere debemus, quam corpus proprium. Quare cum scimus certo fratrem posse liberari per mortem corporis a morte animæ sine periculo animæ nostræ, tradere animam sive vitam pro fratribus nostris non est perfectionis, sed necessitatis in casu, quo quis tenetur eius saluti providere, alias autem est perfectionis, 2. 2. *q.* 26. *art.* 5. *in corp.* & *ad* 3. & 3. *sent. dist.* 29. *art.* 8. *q.* 2. *ad* 2.

13. *Quar.* An Civis pro defensione Patriæ possit exponere vitam?

Resp. Div. Th. Videmus, quod naturaliter pars se exponit ad conservationem totius corporis, sicut manus exponitur ictui, absque deliberatione, ad conservationem totius corporis; & quia ratio imitatur naturam, huiusmodi imitationem invenimus in virtutibus politicis. Est enim virtuosi Civis, ut se exponat mortis periculo pro totius Reipublicæ conservatione, *p. p. q.* 60, *art.* 5. *in corp.*

Error Valdensium sæcul. 12. *Illicitum est Christianis bellum gerere.*

14. *Quar.* De abortu, an sit homicida, qui procurat abortum?

Resp. Div. Th. Tunc puerperium ad homicidium pertinet, quando formatum est, & animam habet. Unde *Hieronym. ad Algasiam*, ait, & habetur, 32. *q.* 2. *cap. Sicut semina*: Semina paulatim formantur in utero, & tamdiu non reputatur homicidium, donec elementa confecta suas imagines, membraque suscipiant. Ex his apparet, tunc eos homicidas esse, qui abortum procurant, cum formatum est animatum puerperium. Qui vero venena sterilitatis procurant, non coniuges, sed fornicarii sunt, unde *Aug.* exclamat, & habetur, 32. *q.* 2. *cap.* (*aliquando*) Eousque pervenit hæc libidinosa crudelitas, ut etiam venena sterilitatis procuret; & si nihil valuerit, conceptos fœtus inter viscera aliquo modo extinguat, vel fundat, volendo prolem suam prius interire, quam vivere, aut si in utero vivebat, occidi antequam nasci. Hoc peccatum quamvis sit grave, & inter maleficia computandum, & contra naturam, quia etiam bestiæ fœtus expectant; tamen est minus quam homicidium, quia adhuc poterat alio modo impediri conceptus. Nec est Iudicandus talis irregularis, nisi iam formato puerperio abortum procuret, 4. *sent. dist.* 31. *& in expositione textus dist.* 32.

Adest prop. 34. & 35. proscripta ab Inn. XI.

15. *Quær.* Utrum liceat viro uxorem occidere deprehensam in adulterio?

Resp. Div. Th. Virum interficere uxorem contingit dupliciter. Uno modo per iudicium civile, & sic non est dubium, quod sine peccato potest vir zelo iustitiæ, & non livore vindictæ, aut odii motus, uxorem adulteram in iudicio sæculari accusare criminaliter de adulterio, & pœnam mortis a lege statutam petere. Alio modo potest eam per seipsum occidere extra actum adulterii; & hoc neque secundum leges civiles, neque secundum legem conscientiæ licet. Sed lex civilis quasi licitum computat, quando in ipso actu illam interficit, non quasi præcipiens, sed quasi pœnam homicidii non inferens propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem uxoris: sed Ecclesia in hoc non est adstricta legibus humanis, ut iudicet eum sine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ Ecclesiastico iure infligendæ, & ideo in nullo casu licet viro interficere uxorem propria auctoritate, 4. *sent. dist.* 37. *q.* 2. *art.* 1. *in corp.*

Adest propos. ab Alex. VII. damn. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

16. *Quær.* An Pater possit occidere, vel mutilare filium, & Dominus servum, sicut Princeps subditum?

Resp. Div. Th. Maior potestas maiorem debet habere coactionem. Sicut autem civitas est perfecta Communitas, ita Princeps civitatis habet perfectam potestatem coercendi, & ideo potest infligere pœnas irreparabiles scilicet occisionis, & mutilationis. Pater autem, & Dominus, qui præsunt familiæ domesticæ, quæ est imperfecta Communitas, habent imperfectam potestatem coercendi secundum leviores pœnas, quæ non inferunt irreparabile nocumentum. Et huiusmodi est verberatio; nam verberatio tantummodo afficit sensum dolore. Unde multo minus nocumentum est, quam mutilatio membri, quæ tangit corporis integritatem. Et cum nullus iuste puniat aliquem, nisi sit eius iurisdictioni subiectus, ideo etiam verberare aliquem non licet nisi habenti potestatem aliquam super illum, qui verberatur. Et quia filius subditur potestati Patris, & servus potestati Domini, & Discipulus Magistri, istiusmodi licite possunt verberare subditos. Sicut etiam ad horam, & ad breve tempus includere, & ligare causa correctionis, & disciplinæ. Simpliciter vero aliquem incarcerare, vel ligare ad eum solum pertinet, qui habet disponere universaliter de actibus, & vita alterius, 2. 2. *q.* 65. *art.* 2. *in corp. & ad* 2. *& art.* 3. *ad* 3.

De bello, & duello iam supra dictum est, ubi de vitiis oppositis charitati. Nunc apponuntur nonnullæ propositiones damnatæ ad hanc materiam spectantes.

13. Innoc. XI. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

Et 15. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia*

quia nimirum ei obventa est pinguis hereditas.

Et 30. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat.*

31. *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei.*

32. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus; sed etiam, ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.*

33. *Licitum est tam heredi, quam legatario contra iniuste impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur se taliter defendere: sicut & ius habendi cathedram, vel præbendam contra eorum possessorem iniuste impedientem.*

34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

35. *Videtur probabile omnem fœtum quamdiu in utero est carere anima rationali; & tunc incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.*

2. Alexandri VII. *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam incurrat.*

17. *Licet occidere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

18. *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non superest.*

17. *Quær.* Quomodo homicidium aliquando ex circumstantiis aggravetur, puta si sit sævum, & proditorium, & sacrilegum; & quænam pœna infligenda pro delicto?

Resp. Div. Th. Nomen sævitiæ, & feritatis sumitur a similitudine ferarum; huiusmodi enim animalia nocent hominibus, ut ex eorum corporibus pascantur, non ex aliqua iustitiæ causa, cuius consideratio pertinet ad rationem, & ideo proprie loquendo, feritas, vel sævitia dicitur secundum quod delectatur quis hominum cruciatus; talis enim delectatio non est humana, sed bestialis, proveniens ex mala consuetudine, vel corruptione naturæ, sicut aliæ huiusmodi bestiales affectiones, 2. 2. *q.* 159. *art.* 2. *in corp.* Et sicut venatores ponunt ingenia, ut capiant lupos in foveis, ita etiam inimici, ut capiant homines, exercent ingenia, & hoc fit per proditionem. Et si hoc fit contra reverentiam debitam personis sacris, sacrilegium formaliter committitur; puta, si quis Sacerdotem occidat: Quare conveniens pœna sacrilegii est excommunicatio, & quia qui sacra non reveretur, non sufficienter videtur a peccando arceri, per hoc quod sacra ei interdicantur, de quibus non curat; ideo secundum leges humanas adhibetur capitalis pœna, vel adhibetur pœna pecuniaria, ut saltem pœnis temporalibus homines a sacrilegio retrahantur, 2. 2. *q.* 99. *art.* 2. *ad* 2. *& art.* 4. *in corp. & q.* 154. *art.* 10. *ad* 2. *& super Psal.* 7.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *de refor. cap.* 7. decernit: *Qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari avelli debet, qui sua voluntate homicidium perpetravit, etiam si crimen occultum fuerit; nullo ideo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, inferri liceat, sed omni ordine, ac beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuo careat.*

18. *Quær.* An aliquid sit restituendum pro vita ablata, aut membro mutilato, & quid pro damnis realibus post mortem subsequutis?

Resp. Div. Th. Cum aliquis abstulit alicui membrum, vel vitam in quibus non potest recompensari æquivalens, recompensatur quod possibile est; puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri; insuper homo tenetur ad restitutionem eius, in quo, puta, hæredes damnificavit; tale damnum tamen non oportet recompensare ex æquo; qui enim est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem, vel in potentia. Unde non tenetur restituere tantum quantum

tum lucrari potuisset, puta occisus, vel mutilatus; sed secundum æstimationem lucri, quod accidere consuevit, pensatis conditionibus personarum, & negotii; secundum arbitrium sapientis, & pensato labore, & infortuniis, quæ in lucro expectato accidere alias possent, 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 1. *& art.* 4. *in corp. & ad* 2. *& 4. sent. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *ad* 4.

Recolatur prop. damn. ab Inn. XI. in ordine 39. videlicet: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

TRACTATUS XII.

De Sexto, & Nono Decalogi Præcepto.

6. Non Mœchaberis.
9. Non desiderabis Uxorem Proximi tui. *Exod.* 20.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid in his Præceptis prohibeatur?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Sciendum quod in isto præcepto non mœchaberis, prohibetur non solum adulterium, sed omnis carnalis corruptio, præter ea, quæ sunt matrimonii. Nam quidam dixerunt commixtionem viri, & uxoris non esse sine peccato, quod est hæreticum. Talis autem coniunctio aliquando non solum est sine peccato, sed etiam est ad meritum vitæ æternæ habentibus charitatem: aliquando est cum peccato veniali, aliquando cum mortali. Quando enim est cum intentione procreandæ prolis, tunc est opus virtutis; quando est cum intentione reddendi debitum, tunc est etiam opus iustitiæ; quando autem est causa exercendæ libidinis, tunc est cum veniali, quando scilicet non excedit limites matrimonii: quando autem excedit, ut scilicet si posset, extenderet se ad aliam, tunc est mortale: Deus enim tam viris, quam mulieribus prohibuit adulterium. Licet enim aliqui credant adulterium esse peccatum, tamen non credunt simplicem fornicationem esse peccatum mortale, contra quos ait *Apost. Hebr.* 13. Fornicarios, & adulteros iudicabit Deus; & 1. *Cor.* 6. Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt. A Regno autem Dei non excluditur aliquis nisi per peccatum mortale; ergo est peccatum mortale. Unde esset hæresis dicere fornicationem simplicem non esse peccatum mortale, *Opusc.* 4. *de* 6. *præcepto Decalogi.*

Error Durandi de Waldah, sæcul. 12. *Matrimonium est fornicatio palliata.*

Error Sergii sæcul. 6. *Fornicatio peccatum non est, sed potius naturæ beneficium.*

Error Mahumeti sæcul. 7. *Licita modo est polygamia, seu uxorum pluralitas.*

Error Græcorum sæc. 11. *Per adulterium solvitur matrimonium etiam consummatum.*

2. *Quær.* Quot, & quæ sint species luxuriæ?

Resp. Div. Th. Species luxuriæ sunt sex, & si addatur sacrilegium erunt septem. Primo scilicet fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium, & vitia contra naturam. Nam peccatum luxuriæ consistit in hoc, quod aliquis non secundum rectam rationem delectatione venerea utatur. Nam oportet species luxuriæ assignari ex parte materiæ, vel obiecti, quæ quidem non potest convenire rationi rectæ dupliciter; uno modo, quia habet repugnantiam ad finem venerei actus; & sic inquantum impeditur generatio prolis est vitium contra naturam, quod est in omni actu venereo, ex quo generatio sequi non potest: alio modo, inquantum non impeditur generatio, sed debita educatio, & promotio prolis natæ, & dicitur for-

fornicatio simplex, quæ est soluti cum soluta. Alio modo ex parte fæminæ, cui aliquis commiscetur, puta si ei debitus honor non servatur, est incestus, qui consistit in abusu mulierum consanguineitate, vel affinitate coniunctarum: alio modo ex parte eius in cuius potestate est fæmina, quæ si est in potestate viri, est adulterium; si autem est in potestate patris, est stuprum; si inferatur violentia, est raptus. Sacrilegium vero, si quis virginem sacratam violet, vel quamcumque mulierem in loco sacro. Diversificantur istæ species magis ex parte fæminæ, quam viri, quia in actu venereo fæmina se habet sicut patiens, & per modum materiæ, vir autem per modum agentis. Dictum est, quod prædictæ species secundum differentiam materiæ assignantur; prædicta diversitas materiæ habet etiam annexam diversitatem formalem obiecti, quæ accipitur secundum diversos modos repugnantiæ ad rectam rationem, 2. 2. *q.* 154. *art.* 1. *in corp. &* 10. *& q.* 99. *art.* 2. *ad* 2. *& q.* 15. *de malo art.* 3. *in corp.*

3. *Quær.* An in vitio contra naturam sint determinatæ species?

Resp. Div. Th. Supra dictum est, ibi est determinata species luxuriæ, ubi specialis ratio deformitatis occurrit, quæ faciat indecentem actum venereum. Quod quidem pluribus modis contingere potest. Uno quidem modo, si absque omni concubitu, causa delectationis venereæ, pollutio procuretur, quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidem mollitiem vocant. Alio modo, si fiat per concubitum ad rem non eiusdem speciei, quod vocatur bestialitas. Tertio modo, si fiat per concubitum ad non debitum sexum, puta, masculi ad masculum, vel fæminæ ad fæminam, quod dicitur sodomiticum vitium. Quartum, si non servetur naturalis modus concubendi, aut quantum ad instrumentum non debitum, aut quantum ad alios monstruosos, & bestiales concubendi modos, 2. 2. *q.* 154. *art.* 11.

Adest prop. damn. ab Alex. VII. 24. scilicet: ***Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.***

4. *Quær.* Quænam sit gravitas maior, & minor inter peccata luxuriæ?

Resp. Div. Th. Peccatum contra naturam est gravissimum, & turpissimum, & pessimum; inter vitia vero, quæ sunt contra naturam ipsam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ, sive pollutionis, quæ consistit in sola omissione concubitus ad alterum; quod ex causa meræ delectationis venereæ committitur. Gravissimum autem est peccatum bestialitatis, quia non servatur debita species; post hoc autem est vitium sodomiticum, cum ibi non servetur debitus sexus: post hoc est peccatum ex eo, quod non servetur debitus modus concubendi, magis autem si non sit debitum vas. Post quod in vitiis contra usum determinatum secundum naturam est incestus, qui est contra naturalem reverentiam, quam personis coniunctis debemus; per alias autem species luxuriæ, magis repugnat rationi, quod aliquis venereis utatur non solum contra id, quod convenit proli generandæ, sed etiam cum iniuria alterius; & ideo fornicatio simplex, quæ committitur sine iniuria alterius personæ, est minima inter species luxuriæ: maior autem iniuria est si quis abutatur muliere alterius potestati subiecta ad usum generationis, quam ad solam custodiam, & ideo adulterium est gravius, quam stuprum, & utrumque aggravatur per violentiam; propter quod raptus virginis est gravius, quam stuprum, & raptus uxoris, quam adulterium, & hæc omnia etiam aggravantur secundum rationem sacrilegii, 2. 2. *q.* 154. *art.* 12. *in corp. & ad* 4.

5. *Quær.* Quotuplex sit gradus in peccato luxuriæ, & quæ mala, & damna sequantur?

Resp. Div. Th. Quintuplex est gradus, primus est aspectus oculorum, quo mulier pulchra aspicitur, & præcipue virgo; secundus autem est cogitatio; tertius delectatio, quartus consensus, quintus opus. Per peccatum luxuriæ homo in lubrico positus est, & nisi aliquis principia vitet, vix a posterioribus potest pedem retrahere. Et duplex principaliter est damnum, quod homo propter peccatum luxuriæ incurrit; primum corporale, scilicet periculum personæ, & rerum: aliud vero damnum est impedimentum a bonis operibus, quo maxime videtur homo a Deo discedere; accedit autem homo ad Deum per spirituale actus, qui maxime impediun-

diuntur per delectationem veneream; immo superveniunt quasi filiæ luxuriæ cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, & horror futuri. Nam intemperantia cum maxime corrumpat prudentiam, ideo vitia opposita prudentiæ maxime oriuntur, & multi inordinati actus exteriores, præcipue ad locutionem pertinentes, scilicet turpiloquia; nam luxuriosi, quorum cor turpibus concupiscentiis plenum est, de facili ad turpia verba prorumpunt, in verba scurrilia, scilicet leviter, & inconsiderate dicta, in verba lubrica ad veneream delectationem ordinata, & prorumpunt in stultiloquia propter cæcitatem mentis, idest in verba provocantia ad malum. Hæc omnia sunt mortalia, inquantum ad mortalia peccata ordinantur. *Lect. 1. cap. 31. Iob. & 2. 2. q. 153. art. 5. ad 4 & Lect. 2. cap. 5. ad Ephesios.*

6. *Quær.* Magis in particulari quomodo sit illicita fornicatio, & an semper sit peccatum mortale?

Resp. Div. Th. Apud Gentiles fornicatio simplex non reputabatur illicita propter corruptionem naturalis rationis; tamen absque omni dubio tenendum est, quod fornicatio simplex sit peccatum mortale. Ad huius evidentiam considerandum est, quod peccatum mortale est, quod committitur directe contra vitam hominis. Nam cum fornicatio sit concubitus vagus, utpote præter matrimonium existens, & contra bonum prolis educandæ, cum tollatur certitudo prolis, ex qua imminet educatio eiusdem prolis, & cura patris, a quo est instruendus, defendendus, & in bonis tam interioribus, quam exterioribus promovendus. Nec obstat, si aliquis fornicando, sufficienter provideat proli de educatione, quia id, quod cadit sub legis determinatione, iudicatur secundum id, quod communiter accidit, non secundum illud, quod in aliquo casu potest accidere; nam hoc est semper contra bonum speciei humanæ, cum tollat debitam subordinationem parentis ad prolem, *2. 2. q. 154. art. 2. per totum, 4. sent. dist. 33. art. 3. in corp.*

Recolatur prop. 25. damn. ab Alex. VII. videlicet: *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis præcepto dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

7. *Quær.* Quomodo fornicator dicatur peccare in corpus suum?

Resp. Div. Th. Ille, qui fornicatur, dicitur ab *Apost. 1. Cor. 6.* quod in corpus suum peccat, non solum quia fornicationis delectatio consumitur in carne; sed quia contra bonum proprii corporis agit, inquantum scilicet resolvit illud, & inquinat, & alteri commiscet, & per carnis luxuriam subditur diabolo, *2. 2. q. 154. art. 2. ad 1. & ad 2.*

Recolatur prop. damn. ab Inn. XI. *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium rationi dissonum videatur.*

8. *Quær.* An uxor possit dare licentiam marito, ut fornicetur, & e contra; & an magis peccet vir, quam mulier?

Resp. Div. Th. Mulier habet potestatem in corpore viri, non simpliciter quantum ad omnia, sed solum quantum ad matrimonii usum, & ideo non potest contra matrimonii bonum corpus uxoris alteri præbere. Et simpliciter loquendo, cæteris paribus, vir in simplici fornicatione plus peccat, quam mulier, quia habet plus de rationis bono, per quod potest prævalere quibuslibet motibus corporalium passionum, *4. sent. dist. 33. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 6. & dist. 35. q. 1. art. 4. ad 5.*

Adest prop. damn. ab Inn. XI. *Copula cum coniugata consentiente marito non est adulterium, ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

9. *Quær.* An vir possit dimittere uxorem fornicariam?

Resp. Div. Th. Si vir dimittat uxorem fornicantem livore vindictæ, peccat: si autem ad infamiam propriam cavendam, ne videatur particeps criminis, vel ad vitium uxoris corrigendum, vel ad evitandam prolis incertitudinem, non peccat, *4. sent. dist. 35. artic. 1. ad 1.* Septem sunt casus, in quibus vir non potest ob causam fornicationis uxorem dimittere; primus casus, quando ipsemet eam prostituit; secundus, quando ipse cum alia fornicatus fuerit; tertius, quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, ut quia non vult reddere debitum; quartus, quando ipsa credens probabiliter virum mortuum, alte-

alteri nupsit; quintus, quando violenter ab aliquo oppressa fuit; sextus, quando sub specie viri ab altero cognita fuit; septimus, quando fuit a viro post adulterium manifeste deprehensum, nihilominus retenta coniungitur ei, non quasi meretrici, sed quasi uxori, *Lect. 2. cap. 6. ad Cor. & 4. sent. dist. 35. art. 1. in corp. & art. 2. ad 3.*

10 *Quer.* Si fornicatio est peccatum mortale, quare permittuntur meretrices?

Resp. Div. Th. In regimine humano, illi, qui præsunt, recte aliqua mala tollerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur, sicut *Augustinus* dicit in *lib. 2. cap. 4. de ordine*: Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus; nam si mali abstineant a mulieribus, prolabuntur in masculos: ideo minus malum est in mulieribus commisceri, quam sit in vilia declinare flagitia. Unde idem *Aug.* dicit, quod hoc facit meretrix in mundo, quod sentina in mari, vel cloaca in palatio: tolle cloacam, & replebis fœtore palatium, & similiter de sentina; tolle meretrices de mundo, & replebis ipsum sodomia, *Opusc. 20. lib. 4. cap. 14.*

11. *Quer.* An Dominus possit uti Ancilla ad fornicandum?

Resp. Div. Th. Accedere ad mulierem non iunctam sibi matrimonio, quæ concubina vocatur, est contra legem naturæ, & contra præceptum Decalogi, nam Ancilla quamvis sit Domini ad obsequium, non est tamen res sua ad concubitum. Unde ubicumque legitur in veteri testamento, aliquos concubinas habuisse, quos necesse sit a peccato mortali excusare, oportet eas esse matrimonio iunctas, & tamen concubinas dici, quia aliquid habebant de ratione uxoris, & aliquid de ratione concubinæ. Antiqui patres ea dispensatione, qua plures uxores habebant, ad Ancillas accedebant uxorio affectu erant enim uxores quantum ad principalem finem, qui est bonum prolis; sed quantum ad secundum finem, qui est dispensatio familiæ, & communicatio operum sola uxor principalis coniungebatur ut socia, sed hoc deerat in his, quæ concubinæ nominabantur, & ex hac parte habebant aliquid simile concubinæ; ratione cuius sic nominabantur; sed proprie nunquam licuit habere concubinam, *4. sent. dist. 33. art. 3. per totum.*

Recolatur prop. damn. ab Alex. VII. in ordine 41. videlicet: *Non est obligatus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tedio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficile inveniretur.*

12. *Quer.* Quomodo stuprum dicatur species luxuriæ?

Resp. Div. Th. In Virgine sub custodia patris existente quædam deformitas specialis occurrit si corrumpatur, tum ex parte puellæ, quæ ex hoc quod violatur, nulla pactione coniugali præcedente, impeditur a legitimo matrimonio consequendo, & ponitur in via meretricandi, a quo retraebatur ne signaculum virginitatis amitteret; tum etiam ex parte patris, qui de eius custodia sollicitudinem ponit, secundum illud *Eccl.* 42. Super filiam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis. Et ideo manifestum est, quod stuprum, quod importat illicitam virginum deflorationem sub cura parentum existentium habere duplicem iniuriam annexam, unam quidem ex parte virginis, quam etsi vi non corrumpat, tamen eam seducit, & sic tenetur eam satisfacere. Unde dicitur *Exod.* 22. Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dabit pretium pudicitiæ, dotabit eam, & habebit uxorem, & hoc ideo ne videatur ludibrium fuisse: si autem pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quod virgines accipere consueverunt. Aliam vero iniuriam facit patri puellæ, unde ei secundum legem tenetur ad pœnam, si res ad iudicium venerit, *2. 2. q. 154. art. 6. in corp. & ad 3.*

13. *Quer.* Quomodo raptus, qui est species luxuriæ distinguatur a stupro, & ab aliis speciebus?

Resp. Div. Th. Raptus, prout nunc de eo loquimur, qui est species luxuriæ, quandoque in idem concurrit cum stupro, quandoque autem invenitur raptus sine stupro, quandoque stuprum sine raptu; concurrunt quidem in idem, quando aliquis violentiam infert in virginem illicite deflorandam, quæ quidem violentia quandoque infertur tam virgini, quam patri; quan-

quandoque autem infertur patri, & non virgini, puta cum ipsa consensit, ut per violentiam de domo patris abstrahatur; differt etiam violentia, & raptus alio modo, quia quandoque puella violenter adducitur, non tamen violenter corrumpitur, sed de voluntate virginis, sive corrumpatur fornicario concubitu, sive matrimoniali, qualitercumque violentia adsit, salvatur ratio raptus. Invenitur autem raptus sine stupro, puta si aliquis rapit viduam, vel puellam corruptam. Unde Simmachus Papa dicit, & habetur *36. q. 2. cap. Raptores*. Raptores viduarum, vel virginum ob immanitatem facinoris tanti detestamur. Stuprum vero sine raptu invenitur, ut dictum est quando aliquis absque violentiæ illatione virginem illicite deflorat, 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. *in corp.*

14. *Quær.* An etiam si aliquis sponsam violenter adducat de domo patris, censendus est raptor?

Resp. Div. Th. Sponsus ex ipsa desponsatione habet aliquod ius in sua sponsa; & ideo quamvis peccet violentiam inferendo, excusatur tamen a crimine raptus; unde Gelasius Papa, *36. q. 1. cap. lex illa præteritorum*, dicit; Lex illa præteritorum Principum ec. ibi dicit raptum esse commissum, ubi puella, de cuius nuptiis nihil actum fuerat, videbatur adducta, 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. *ad* 4.

15. *Quær.* Quibus sint restituendæ raptæ puellæ?

Resp. Div. Th. Aliter est dicendum de raptu puellarum, quæ sunt aliis desponsatæ, & aliter de raptu illarum, quæ non sunt aliis desponsatæ; illæ autem, quæ sunt aliis desponsatæ, restituendæ sunt suis sponsis, qui in eis ex ipsa desponsatione ius habent; illæ autem, quæ non sunt aliis desponsatæ, primo restituendæ sunt patris potestati, & tunc de voluntate parentum possunt licite eas in uxores accipere. Si autem aliter fiat, illicite matrimonium contrahitur; tenetur enim quicumque rem rapit ad eius restitutionem, nec tamen raptus dirimit matrimonium iam contractum, etsi impediat contrahendum. In detestationem autem eius criminis dicitur in Concilio Meldensi, & habetur *39. q. 2. cap. Placuit*. Placuit, ut hi qui rapiunt fœminas, vel furantur, vel seducunt, eas nullatenus habeant uxores. Quod quidem decretum est abrogatum, 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. *ad* 3.

Concil. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 6. *de reform. Decernit Sancta Synodus inter raptorem & raptam quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptam in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes sint ipso iure excommunicati, & infames. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.*

16. *Quær.* Qua pœna puniatur raptus virginis Deo dicatæ?

Resp. Div. Th. Si violentia inferatur, ut abutatur quis virgine Deo sacrata, inquantum est sponsa Christi, est spiritualis raptus, qui etiam secundum leges civiles gravius punitur, quam alius raptus. Unde Iustinianus Imperator dicit in *Cod. lib.* 9. *tit.* 13. Si quis, non dicam rapere, sed attentare tantummodo sacratissimas virgines coniungendi causa, ausus fuerit, capitali pœna puniatur, 2. 2. *q.* 154. *art.* 10. *ad* 2.

17. *Quær.* An Adulterium nedum sit species luxuriæ, sed etiam iniustitiæ; & habeat in se plures, & diversas malitias?

Resp. Div. Th. Adulterium, sicut ipsum nomen sonat, est accessus ad alienum torum. Unde nihil prohibet, in eodem actu diversorum vitiorum deformitates concurrere, & hoc modo adulterium continetur sub luxuria, & sub iniustitia: nec deformitas iniustitiæ omnino per accidens se habet ad luxuriam, ostenditur enim luxuria gravior, quæ in tantum concupiscentiam sequitur, quod etiam iniustitiam ducat, inquantum violat matrimonii fidem, quam quis coniugi debet, accedendo ad mulierem non sibi matrimonio copulatam, & inquantum accedendo ad mulierem alteri per matrimonium copulatam impedit bonum prolis alienæ. Unde ille qui habet uxorem, si ad aliam accedat, peccatum eius ex parte sua semper est adulterium, & iniustitia, quia contra fidem matrimonii agit; ex parte mulieris ad quam accedit, sic quandoque est adulterium, puta cum coniugatus accedit ad uxorem alterius: quandoque autem

autem habet rationem stupri, vel alicuius alterius secundum diversas conditiones mulierum, ad quas accedit. Dictum est autem supra, quod diversæ species luxuriæ accipiuntur secundum diversas mulierum conditiones. De aliis autem ad adulterium pertinentibus dicetur alibi, cum de matrimonio tractabitur, 2. 2. *q.* 154. *art.* 1. *ad* 2. *&* *art.* 8. *per totum*.

Recolatur in hac materia prop. damn. ab Alex. VII. in ordine 19. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam*.

18. *Quær.* Quomodo dicatur incestus species luxuriæ?

Resp. Div. Th. Incestus, ut habetur *in Decret. dist.* 36. *q.* 1. *cap. Lex illa præteritorum*, est consanguineorum, vel affinium abusus. In usu autem consanguineorum, & affinium invenitur aliquid incongruum usui debito venereorum, & repugnans naturali rationi; sicut quod commixtio fiat inter parentes, & filios, quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, & per consequens aliis consanguineis, qui ex eisdem parentibus de propinquo originem trahunt. Et quia affinis coniungitur alicui per personam consanguinitate coniunctam, inconvenientiam, quam facit consanguinitas, facit & affinitas. In actibus enim venereis maxime consistit quædam turpitudo honorificentiæ contraria; unde de his homines verecundantur, & ideo incongruum est, quod commixtio venerea fiat talium personarum adinvicem. Alia ratio est, quia personas sanguine coniunctas, necesse est adinvicem simul conversari, & naturaliter homo consanguineam diligit: si adderetur amor, qui est in commixtione venerea, nimia opportunitas daretur venereæ commixtionis, & per consequens fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentivum, quod castitati repugnat. Tertia ratio est, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Dum enim homo uxorem extraneam accipit, iunguntur sibi quadam speciali amicitia omnes consanguinei uxoris, ac si essent consanguinei sui. Habita est ratio rectissima charitatis, ut ait *Aug. in lib.* 15. *de civitate Dei cap.* 16. ut homines, quibus est utilis, atque honesta concordia, diversarum vicissitudinum vinculis nectерentur, nec unus in uno multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos. Variatur circa hoc decentia, vel indecentia secundum consuetudinem, & legem humanam, vel Divinam. Usus enim venereorum, qui ordinatur ad bonum commune, subiacet legi: & commixtio, ut idem *Aug.* loquitur, sororum, & fratrum, quanto fuit antiquior, necessitate compellente, tanto facta est damnabilior, religione prohibente 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *per totum*.

19. *Quær.* An quod asseritur de cognatione carnali, dicatur etiam proportionaliter de cognatione spirituali?

Resp. Div. Th. Si quis enim abutatur persona coniuncta sibi secundum spiritualem cognationem, committit peccatum ad modum incestus, 2. 2. *q.* 154 *art.* 10. *ad* 2.

20. *Quær.* De sacrilegio, quomodo possit esse species luxuriæ, & peccatum?

Resp. Div. Th. Observatio castitatis secundum quod ordinatur ad cultum Dei est actus religionis; actus enim unius virtutis ordinatus ad finem alterius assumit speciem illius, ut patet in illis, qui vovent, & servant Deo virginitatem, ut patet etiam per *Aug. in lib. de virg. cap* 8. Unde manifestum est, quod etiam luxuria, secundum quod violat aliquid ad divinum cultum pertinens, pertinet ad speciem sacrilegii; & in *Decret.* 36. *q.* 1. *cap. Lex illa præteritorum*, si non ponitur sacrilegium inter alia, quæ ponuntur species luxuriæ, hoc ideo est, quia sacrilegium potest concurrere cum diversis luxuriæ speciebus; puta, si aliquis abutatur persona coniuncta sibi secundum spiritualem cognationem, committit sacrilegium ad modum incestus, ut supra dictum est; si abutatur virgine Deo sacrata, inquantum est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adulterii; inquantum vero est sub spiritualis patris cura constituta, erit quoddam spirituale stuprum; & si violentia inferatur, erit spiritualis raptus. Immo in quocumque genere peccati, si aliquis faciat contra reverentiam debitam sacris rebus, sacrilegium formaliter committit. Specialius tamen sacrilegium attribuitur luxuriæ, quæ opponitur castitati, ad cuius observantiam aliquando personæ specialiter consecrantur: quare si quis virginem sacratam violet, vel quamcumque mulierem in loco sacro, sacrilegium committit, 2. 2. *q.* 154.

 artic.

artic. 10. *per totum*, *&* *quæst.* 99. *artic.* 2. *ad* 2.

21. *Quær.* De vitiis contra naturam, primo de causa pollutionis?

Resp. Div. Th. Pollutio est immunditia corporalis ex divisione, & motu seminis proveniens; ipsa in se, si voluntaria est, peccatum est: potest provenire ex causa animali, puta ex concupiscentia delectationis apprehensæ, & hoc principaliter pertinet ad luxuriam, vel ex causa corporali, scilicet ex superfluo humore interius abundante, ex quo stimulatur homo ad corporis pollutionem. Ideo volentibus obviare necesse est hanc causam eradicare, scilicet mentis torporem excutere, & sensus refrænare, ne mens ad vana, & noxia discurrat, & illis assuefacta excessibus ad immundissima incitamenta luxuriæ pertrahatur. Alia causa potest esse quando illudentis inimici invidia pollutio procuretur; dum enim videt sanctum virum per sollicitam victus, & sensus moderationem perpetuam munditiæ puritatem acquirere, conatur eius conscientiam perturbare, fluxus illius emissione polluere: quibusdam vero aliquando contingere dicitur ex debilitate naturæ; sicut ego quosdam cognovi hac peste certis temporibus ter, vel quater in hebdomada sordidari, quamvis non minus prædictæ illusioni possit adscribi. Humoris effusio per membrum secretum sine delectatione, & carnis motione non est pollutio. Quibusdam hoc provenire solet propter solam præsentiam, & allocutionem alicuius personæ, in cuius conspectu habuit complacentiam sensualem, & vanam; in his enim casibus, & aliis similibus, multi inveniuntur habere commotiones carnis libidinosas, dictumque humorem emittere, velint nolint: sed eas causas, vel similes quæ sunt evitabiles, debet quisque fugere, & evitare pro posse; maxime qui sentit de hoc se passionatum, seu ad hoc naturaliter inclinatum, sive ex vitio mentis, sive ex debilitate naturæ; & qui occasiones huiusmodi non evitaverit pro posse, vel iuxta posse, relinquendo amicitiam, & familiaritatem personarum, ad quas inordinate afficitur, fugiendo etiam allocutiones, & aspectum personarum, licet non credam per dictam effusionem peccare mortaliter, nisi forte taliter concupisceret, aut impudice tangeret personam, quæ est causa istius effectus; credo tamen eum graviter peccare ex magno peccati mortalis periculo: & ideo consilium do, quod absque dilatione morosa, quisque sibi violentiam faciat in hac parte fugiendo personas huiusmodi, atque cum eis omnem opportunitatem loci, & temporis evitet, *q.* 14. *de malo art.* 4. *ad* 3. & præcipue *opusc.* 64 *de causis pollutionis*, *&* *cap. de fluxu libidinis*, *&* 4. *sent. dist.* 9. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 5.

22. *Quær.* An pollutio, quæ sequitur in somnis, & terminatur in vigilia, sit peccatum?

Resp. Div. Th. Nocturna pollutio magis iudicatur secundum principium quod est in dormiendo; causæ enim possunt esse cibus, potus, intemperantia, cogitationes inhonestæ habitæ ante dormitionem; quam secundum terminum, qui est in vigilando, quia ex quo in dormiendo excitatus est motus carnis, non subiacet voluntati vigilantis; ulterius non reputatur evigilasse quousque perfectum usum liberi arbitrii recuperaverit. Si vero somniasti, te habere aliquem actum impudicum cum persona ad quam habes sensualem affectum, aut quam ante aspexisti oculo impudico, hoc debes exprimere, ut causa illius somni; & quia homo plus in talibus delectatur, & multi etiam post somnum gaudent se talia somniasse, potest contingere, quod in ipsa evigilatione peccatum oriatur, si pollutio propter delectationem placeat, quod quidem erit veniale peccatum, si sit ex subreptione talis placentia, mortale autem si sit cum prævisione, & cum deliberato consensu, & præcipue cum appetitu futuri. Ista autem placentia non facit præteritam pollutionem peccatum, si præcedens ipsius non sit culpabilis, & vitiosa, sed ipsa pollutio in se peccatum est procedens ex deliberato consensu. Si autem placeat, ut naturæ exoneratio vel alleviatio, peccatum non creditur, 4. *sent. dist.* 9. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 5. *&* *opusc.* 64.

23. *Quær.* An qui se corrumpunt, amittant virginitatem?

Resp. Div. Th. Illi qui sine concubitu se corrumpunt, non est dubium, quod virginitatem amittunt, etiam quantum ad id, quod est materiale in ipsa, quia etsi concubitus non adsit, adest tamen delectatio, quæ in concubitu corruptionem vir-

virginitatis facit. In pueris, si non adsit seminis decisio, non amittitur virginitas quantum ad id, quod est materiale, 4. *sent. dist.* 33. *q.* 3. *art.* 1. *ad* 5.

24. *Quær.* Quid sit sentiendum de aliis motibus carnis?

Resp. Div. Th. Sensualis appetitus non præfertur rationi rectæ, nisi quando ratio ei consentit, & ideo peccatum mortale non committitur sine consensu. Si autem sensualitas moveatur inordinate, cum ista inordinatio ad malum declinet, quamvis ratio non consentiat; quia tamen rationi repugnat sensualitas, velimus nolimus, ideo necesse habemus committere veniale peccatum per primos motus; & licet quædam venialia particulariter, & singillatim possint devitari, omnia tamen nullatenus possunt caveri, quia sicut peccata sunt, ita & pœnæ peccati originalis, & actualis. Verum quia ratio his consentire non compellitur, si post consensum delectationis consentiatur in opus, tunc est plenus consensus, ac per hoc est peccati consummatio, quæ provenit usque ad supremam portionem rationis, ex qua pendet plenitudo consensus. Quia vero non solum in opus, verum etiam in delectationem consensus est, in quo inferior pars sequitur sensualitatem; ideo si in delectationem sensualem ratio sensualitati consentiat, & succumbat, fit subversio ordinis recti, & fit subversio iustitiæ, propter quod committitur peccatum mortale, quia non solum imputatur inferiori parti rationis, sed etiam superiori, quæ debuit compescere, & cohibere inferiorem, ne consentiat. Si igitur ex parte vitiosa procedunt motus carnis, confitendæ sunt causæ, locus, & tempus, mora contracta in eis, & vices motuum: non sufficit generaliter dicere culpam de motibus, sed debes dicere; cogitavi talem actum turpem, aut habui memoriam alicuius personæ, in cuius aspectu iam habui concupiscentiam, & inordinatum amorem, & aspexi cum complacentia impudica toties, & per tantam moram, dixi illi aliqua verba gratiosa prolixe, & feci aliquod servitium malitiose, ut scilicet haberem complacentiam libidinosam, & motus carnales per maiorem moram: totum confiteri debes, maxime quia si verba non dixisses, aut servitium non fecisses, sic prolixe de istius præsentia delectationem non habuisses. *Opusc.* 64. *cap. de motibus carnis.*

25. *Quær.* De Sodomia, quale peccatum? & quæ eius pœnæ?

Resp. Div. Th. Sodomiticum vitium fit per concubitum ad non debitum sexum puta masculi ad masculum, vel fæminæ ad fæminam. Hoc vitium sodomiticum ipse *Philos. in* 7. *Eth.* dicit accidere propter vitiosam naturam, & perversam consuetudinem, & horum non est convenientiam, vel inconvenientiam assignare, cum non sint per se delectabilia humanæ naturæ; & hoc concordat cum Apostolo *ad Rom.* 1. qui tales actus ignominiæ passiones appellat, dicens: Nam fæminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam. Similiter & masculi relicto naturali usu fæminarum, exarserunt in desideriis suis in invicem masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit erroris sui semetipsos accipientes; non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, & mercedes eorum igni comburentur, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, dum non sic Deus fecit homines, ut se illo uterentur modo, & ut eadem natura libidinis perversitate polluatur, 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. *& lect.* 8. *cap.* 1. *ad. Rom. & opusc.* 20. *lib.* 4. *cap.* 14.

Multæ extant contra sodomitas pœnæ in iure civili, & canonico maxime ex *cap. Clerici, de excessibus Prælat.* Nam Laici excommunicationi subduntur, & Clerici deiiciuntur a Clero.

Et S. Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Horrendum*, acrius sancivit, eos puniendos esse, privando eos omni officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico.

26. *Quær.* De bestialitate, quale peccatum, & quæ pœnæ?

Resp. Div. Th. Omnis commixtionis modus, ex quo generatio sequi non potest est contra naturam, nam secundum naturæ intentionem commixtio sexuum ordinatur ad generationem. Inter vitia, quæ sunt contra naturam gravissimum est peccatum bestialitatis, quia non servatur debita species, unde super illud *Gen.* 37. Accusavit fratres suos crimine pessimo, dicit Glosa, quod cum pecoribus miscebantur. Quare secundum etiam *Philosoph.*

in 7. Eth. bestialitas ponitur extra numerum aliarum humanarum malitiarum, quia humanum modum transcendit; ita quod progrediatur ultra limites humanæ vitæ in similitudinem affectionum alicuius bestiæ, & est simile sicut si ex parte corporis complexio alicuius mutaretur in complexionem leoninam, & porcinam; *Philos. 7. Eth.* Quos bestiales dicimus superexcellenter diffamamus. Unde pœna statuitur sic, *Levitic.* 20. Qui cum iumento, & pecore coierit morte moriatur, pecus quoque occidite, sanguis eorum sit super eos, 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. *&* 4. *sent. dist.* 13. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 1. *&* *lect.* 8. *cap.* 1. *ad Rom.*

27. *Quær.* An in tactibus, & osculis, & amplexibus sit peccatum?

Resp. Div. Th. Minus est aspectus libidinosus, quam sit tactus, amplexus, vel osculum; sed aspectus libidinosus est peccatum mortale secundum illud *Matth.* 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam iam mœchatus est in corde suo. Ergo multo magis ait etiam *Ciprianus ad Pomponium lib.* 1. *epist.* 11. Osculum libidinosum, ipse amplexus, ipsa confabulatio, & alia huiusmodi sunt peccata mortalia. Nam aliquid dicitur esse peccatum mortale dupliciter: uno modo secundum speciem suam. & hoc modo osculum, amplexus, & tactus secundum suam rationem non nominant peccatum mortale. Possunt enim hæc fieri absque libidine, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam. Alio modo dicitur aliquid esse peccatum mortale ex sua causa, sicut ille, puta qui dat eleemosynam, ut aliquem inducat in hæresim, mortaliter peccat propter intentionem corruptam, & ideo cum fornicatio sit peccatum mortale, & multo magis aliæ luxuriæ species, consequens est, quod consensus in delectationem talis peccati sit peccatum mortale, & non solum consensus in actum: & ideo cum oscula, blanda verba, & amplexus huiusmodi propter delectationem libidinosam fiant, consequens est, quod sint peccata mortalia, secundum quod ordinantur ad obiectum & ad opus peccaminosum, 2. 2. *q.* 154. *art.* 4. *per totum.*

Adest prop. 40. ab Alex. VII. proscripta scilicet. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

28. *Quær.* An ornatus mulierum sit sine peccato?

Resp. Div. Th. Si mulier coniugata ad hoc se ornet ad decentiam sui status, & ut viro suo placeat, ne per eius contemptum in adulterium labatur, potest hoc facere sine peccato. Illæ autem mulieres, quæ viros non habent, nec volunt habere, & sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum, quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et si quidem hac intentione se ornent ornatu superfluo, inverecundo, & impudico, auro, & margaritis, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio præparata ad decipiendum animas: *Prov.* 7. Si autem ex quadam levitate, & vanitate, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale; & eadem ratio quoad hoc est de viris. Possent aliquæ excusari, si non fieret hoc ex aliqua vanitate, sed propter consuetudinem, quamvis talis consuetudo non sit laudabilis. Ab arte enim calceorum, & textorum multa abscindere oportet: etenim ad luxuriam deduxerunt, necessitatem corrumpentes, artem arti commiscentes, ut ait *Chrys. Homil.* 50. *in Matth.* Et per officium Principis extirpanda est a civitate, 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *in corp. & ad* 4.

29. *Quær.* An liceat mulieribus uti pigmentis fucatis?

Resp. Div. Th. Mulierum fucatio est quædam species fictionis, quod non potest esse sine peccato. Unde *Aug.* dicit *epist.* 73. *ad Possidium*, Fucari figmentis quo rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam ipsos maritos se velle decipi, quibus solis, scilicet maritis, permittendæ sunt fœminæ ornari. Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum. Sciendum tamen, quod aliud est fingere pulchritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa provenientem, puta ægritudine, vel aliquo huiusmo-

iusmodi; hoc enim est licitum secundum veniam, non secundum imperium, 2. 2. *q. 169. art. 2. ad 2.*

30. *Quaer.* An liceat uti vestibus alterius sexus?

Resp. Div. Th. Cultus exterior debet competere conditioni personae secundum communem consuetudinem civitatis, & gentis, vel lege firmatam: & ideo de se vitiosum est, quod mulier utatur veste viri, aut e converso, & praecipue quia hoc potest esse causa lasciviae, & specialiter prohibentur in lege, *Deut.* 22. Non induatur mulier veste virili, nec vir veste muliebri. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid huiusmodi, 2. 2. *q. 169. art. 2. ad 3.*

31. *Quaer.* An sit illicitum uti venereis, & cibis ob solam delectationem?

Resp. Div. Th. Inordinatum vitiosum est si quis cibis, & venereis utatur propter solam delectationem, & non propter necessitatem sustentandi corpus, vel prolis educandae, & hoc rationabiliter. Nam delectationes, quae sunt in praemissis actionibus, non sunt fines actionum, sed magis e converso. Natura enim ad hoc ordinavit delectationes in istis actibus, ne animalia propter laborem ab istis actionibus necessariis naturae, desisterent, quod contingeret, nisi delectatione provocarentur: est ergo ordo praeposterus, & indecens, si operationes propter solas delectationes exercerentur, 4. *contra gentes cap.* 83.

Adest prop. damn. ab Inn. XI. scilicet 8. *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

Alia 9. *Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

32. *Quaer.* An cogitationes inhonestae sint malae?

Resp. Div. Th. Cogitationes inhonestae non sunt malae, nisi quando ex nimia mora facta in cogitatione homo sentiret se inclinari ad faciendum, & perficiendum cogitatum, si opportunitatem haberet, quam vellet, aut si pollueretur ex illa vehementi cogitatione morosa, aut si inordinate afficeretur ad aliquam personam, & de ipsa multo molestaretur in cogitatione habendo motus carnis, & imaginando habere aliquos actus impudicos cum ipsa persona, habere amplexus, oscula, vel alium actum impudicum, & in his faciat moram, nec curet refraenare oculos ab aspectu illius personae, quando habet eius praesentiam. Quicumque igitur tales, & tali modo haberet cogitationes, & affectus vitiosos, peccaret, *Opusc. 64. de Cogitationibus inhonestis.*

33. *Quaer.* Quid sit delectatio morosa, & an sit semper peccatum mortale?

Resp. Div. Th. Delectatio inferioris rationis nihil aliud est quam complacentia voluntatis in eo, quod apprehenditur conveniens per inferiorem rationem. Haec autem delectatio si statim ut mentem attigerit expellatur, veniale peccatum est; hoc enim contingit quando talis complacentia sequitur subitam rationis apprehensionem. Si vero diu teneatur, peccatum mortale est. Haec autem diuturnitas non est ex quantitate temporis iudicanda, sed magis ex deliberatione rationis; si enim post deliberationem rationis inferioris, adhuc delectatio illa placeat in ratione superiori, morosa delectatio dicetur, & tunc erit in delectatione consensus, & tunc peccatum mortale est; consensus enim in delectatione prohibetur praecepto illo; Non concupisces. Non enim sine causa de actu interiori, & exteriori concupiscentiae diversa praecepta dantur in lege, & nihilominus si nullo praecepto speciali prohiberetur, ex hoc ipso, quod fornicatio prohibetur, prohibentur omnia consequentia, quae ad idem genus pertinent, & procedunt ex electione rationis consiliantis, & deliberantis, 2. *sent. dist.* 24. *q.* 3. *art.* 4. *in corp. & ad* 2. *& q.* 15. *de verit. art.* 4. *ad* 9. *& p.* 2. *q.* 74. *art.* 6.

Haec videantur in fonte.

34. *Quaer.* An complacentia habita in memoria peccati, sit peccatum?

Resp. Div. Th. Si rememorando peccata praeterita non habes dolorem, sed delectationem in eis, & propter hanc delectationem facis moram ibidem cum multa complacentia, & habuisti motum car-

carnis, & pœnitudinem, quia ipsum peccatum non fecisti pluries, vel cum pluribus, peccatum est, *Opusc. 64. de complacentia habita in memoria peccati*.

35. *Quær.* De occasione proxima peccandi, an sit peccatum, & qualiter sit fugienda?

Resp. Div. Th. Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus. Multi ergo mentiuntur dicentes: Dæmon me seduxit ad talem peccatum, & ideo oportet dicere: cum sentirem me stimulari ad tale peccatum perpetrandum, fui negligens in evitando occasiones me incitantes ad hoc, scilicet locum, & tempus, & personam: & fui negligens in adiuvando me ieiunio, & oratione, & aliis necessariis, sicut scivi, & potui. In his enim casibus, & similibus eas causas, quæ sunt evitabiles, debet quilibet fugere, & evitare pro posse, maxime qui se sentit ad hoc malum naturaliter inclinatum, sive ex vitio mentis, sive ex debilitate naturæ; & qui occasiones huiusmodi non evitaverit pro posse, vel iuxta posse, relinquendo amicitiam, & familiaritatem personarum ad quas inordinate afficitur, fugiendo etiam allocutiones, & aspectus; dico eum graviter peccare ex magno peccati mortalis periculo. Ideo consilium do, absque dilatione quisque sibi violentiam faciat fugiendo personas huiusmodi, atque cum eis omnem opportunitatem loci, & temporis; quia, sicut ait *Beatus Hieronymus*, Initium libidinis in visitatione mulierum est, & mundus cum mulieribus non melius quam fugiendo vincitur, quia cum cæteris vitiis, & morbis quis posset resistere, huic tamen non potest, nisi per fugam. Et alibi dicit: Si mulier potuit vincere eum, qui iam erat in Paradiso, non est mirum si eos impediat, qui nondum ad Paradisum pervenerunt. Solus cum sola ne sedeas in secreto absque arbitro, & teste. Nec sub eodem tecto cum muliere manseris. Idem *Beatus Augustinus* dicit: Sermo brevis, & rigidus cum mulieribus est habendus; nam sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus impiissimæ libidinis: crede mihi, Episcopus sum, Episcopo loquor, non mentior, *Opusc. 64. de occasione, & causa peccatorum, de fluxu libidinis, & de periculo familiaritaris mulierum, promiscue*.

Adest proposit. damn. ab Inn. XI.

62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

63. *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

36. *Quær.* Quale sit peccatum recidivorum?

Resp. Div. Th. Qui recidivat in peccatum, de quo pœnituit quasi interpretativæ Deum irridet. Dicit enim *Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 16.* Irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet, 2. 2. *q.* 75. *art.* 2. *ad* 2. Multa enim expediunt ad spiritualem salutem recidivantis, & circa eum maior cautela adhibetur; puta, tenetur recidivans notificare peccata dimissa, ut sciatur quæ satisfactio est ei iniungenda, si ipse frequenter lapsum carnis passus est ex aliqua occasione, illa occasio præscindatur per satisfactionem, & sic de aliis peccatis, secundum quod quis viderit opportunum; non enim potest in his aliqua certa mensura præfigi, 4. *sent. dist.* 22. *q.* 1. *art.* 4.



TRA-

TRACTATUS XIII.

De Septimo, & Decimo Decalogi Præcepto.

Non furtum facies.
Non concupiſces domum proximi tui. *Exodi* 20.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid ſit furtum?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

AD rationem furti tria concurrunt, quorum primum convenit ſibi ſecundum quod contrariatur iuſtitiæ, quæ unicuique tribuit quod ſuum eſt, & ex hoc competit ei, quod uſurpat alienum; ſecundum vero pertinet ad rationem furti, prout diſtinguitur a peccatis, quæ ſunt contra perſonam, ſcilicet ab homicidio, & ab adulterio, competit furto, quod ſit contra rem poſſeſſam: ſi quis enim auferat filiam, vel uxorem non habet proprie rationem furti, ut ſcilicet occulte uſurpetur alienum, & ſecundum hoc propria ratio, & definitio furti eſt, ut ſit occulta acceptio rei alienæ: ſub iniuſta acceptione intelligitur etiam iniuſta detentio, 2. 2. *q.* 66. *art* 3. *in corp. & ad* 2.

2. *Quær.* An rapina ſit eadem cum furto?

Reſp. Div. Th. Quamvis finis remotus rapinæ & furti idem eſt, tamen hoc non ſufficit ad identitatem ſpeciei, quia eſt diverſitas in finibus proximis; furtum enim importat occultam acceptionem, quaſi, ex aſtutia, & ex inſidiis rem alienam uſurpando; rapina vero violentiam, & manifeſtam coactionem importat, per quam contra iuſtitiam alicui aufertur quod ſuum eſt: rapina, & furtum habent ambo rationem peccati propter nocumentum proximi: nam ſi paſſim homines ſibi invicem furarentur, periret humana ſocietas. Rapina eſt gravius peccatum, quam furtum, quia per rapinam non ſolum infertur alicui damnum in rebus, ſed etiam vergit in quamdam perſonæ ignominiam, ſive iniuriam, & hoc præponderat fraudi, vel dolo, quæ pertinet ad furtum. Unde ex hoc rapina eſt deteſtabilior; & etiam ſecundum leges gravius punitur rapina, quam furtum, 2. 2. *q.* 66. *art.* 3. *&* 4. *&* 5. *&* 6. *&* 8. *&* 9. *promiſcue.*

3. *Quær.* An aliis modis dicatur furripi res aliena?

Reſp. Div. Th. Committitur furtum multis modis; primo, ut dictum eſt, occulte accipiendo, & violenter auferendo, alio modo mercedem non ſolvendo, fraudem in mercationibus committendo, & ſacrilegium, rem ſacram, vel in loco ſacro furando, *opuſc.* 4. *cap.* 7. *&* 2. 2. *q.* 66 *art.* 6. *ad* 2. *& q.* 99. *art.* 2. *ad* 2.

4. *Quær.* An qui furantur minima, peccent mortaliter?

Reſp. Div. Th. Quod illud, quod modicum eſt, ratio apprehendit quaſi nihil, & ideo in his, quæ minima ſunt, homo non reputat rationabiliter ſibi nocumentum inferri, & ille, qui accipit, poteſt præſumere hoc non eſſe contra voluntatem eius, cuius res eſt; & pro tanto, ſi quis furtive huiuſmodi res minimas acceperit, poteſt excuſari a peccato mortali: ſi tamen habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo ex multis, vel talibus minimis, poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu per conſenſum, 2. 2. *q.* 66. *art.* 6. *ad* 3.

Recolatur prop. damn. ab Inn. XI. videlicet 38. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.*

5. *Quær.* An accipere rem alienam per ſententiam Iudicis ſit malum?

Reſp. Div. Th. Accipere rem alienam vel occulte, vel manifeſte auctoritate Iudicis hoc decernentis, non eſt furtum, quia iam fit ſibi debitum per hoc, quod ſententialiter ſibi eſt iudicatum. Ita fecerunt filii Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moyſi, & expoliaverunt Ægyptios pro afflictionibus, quibus Ægyptii eos ſine

fine causa afflixerant. Unde dicitur *Sap.* 10. Iniusti tulerunt spolia impiorum, Principes enim possunt in duobus gravare subditos, scilicet ratione delicti, & pro bono communi regiminis, & si exigant quod eis secundum iustitiam debetur propter bonum commune conservandum, etiamsi violentia adhibeatur, non est rapina, cum non sit contra iustitiam: si vero aliquid Principes indebite extorquent per violentiam, rapina est, & latrocinium, & ad restitutionem tenentur, 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. *ad* 1. *&* *art.* 8. *ad* 3.

6. *Quær.* An prædam accipere ab hostibus auctoritate Principis sit licitum?

Videatur superius in quæstione de milite.

7. *Quær.* An si quis clam surripiat rem suam apud depositarium committat peccatum?

Resp. Div. Th. Ille qui furtim accipit rem suam apud alium depositatam, gravat depositarium, quia tenetur ad restituendum eam, vel ad ostendendum se esse innoxium. Unde manifestum est, quod peccat, & tenetur ad revelandum gravamen depositarii; quia res deposita est simpliciter quidem deponentis, sed est eius, apud quem deponitur, quantum ad custodiam. Qui vero furtim accipit rem suam apud alium iniuste detentam, peccat quidem, non quia gravet eum, qui detinet, nec tenetur ad restituendum aliquid, vel ad recompensandum; sed peccat contra communem iustitiam, dum ipse sibi usurpat suæ rei iudicium, iuris ordine, & iudicis prætermisso, & tenetur Deo satisfacere, & dare operam, ut scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur, 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. *ad* 3.

8. *Quær.* An liceat alicui furari propter necessitatem extremam?

Resp. Div. Th. Si adeo sit evidens, & urgens necessitas; puta cum imminet personæ periculum, & aliter subveniri non potest, tunc licite potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subvenire, sive manifeste, sive occulte sublatis. Nam uti re aliena in casu necessitatis extremæ non habet rationem furti proprie loquendo; in necessitate enim sunt omnia communia, & per talem necessitatem efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam. Immo in casu similis necessitatis potest aliquis rem alienam accipere, ut subveniat proximo sic indigenti, & ita non videtur esse peccatum, si aliquis rem alterius accipiat propter necessitatem extremam, 2. 2. *q.* 66. *art.* 7. *per totum promiscue.*

Recolatur prop. damn. ab Inn. XI. 36. videlicet. *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

9. *Quær.* An sub nomine furti veniant alia nocumenta prohibita in lege?

Resp. Div. Th. Omnia alia nocumenta, que proximis inferuntur, & quæ pertinent ad damna in rebus illata, intelliguntur prohiberi simul cum furto. Sicut omnia nocumenta, quæ in personam proximi inferuntur, intelliguntur prohiberi in homicidio, & sic de aliis, 2. 2. *q.* 122. *art.* 7. *ad* 2.

Recolatur prop. damn. ab Inn. XI. videlicet 39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum alteri, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

10. *Quær.* An pro simplici furto debeatur pœna mortis?

Resp. Div. Th. Secundum iudicium præsentis vitæ, non pro quolibet peccato mortali infligitur pœna mortis, sed solum pro illis, quæ habent aliquam horribilem deformitatem, puta crimen læsæ maiestatis. Et ideo pro furto, quod irreparabile damnum non infert non infligitur secundum præsens iudicium pœna mortis, sed pœna damni, secundum illud, *Exod.* 22. Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, quinque boves pro uno bove restituet, quatuor oves pro una ove. Nisi forte furtum aggravetur per aliquam gravem circumstantiam, sicut patet de sacrilegio, quod est furtum rei sacræ, & de peculatu quod est furtum rei communis ærarii, ut patet per *Aug. tract.* 50. *tom.* 9. *super Io.* & de plagio, quod est furtum, pro quo quis morte punitur, ut patet, *Exod.* 21. 2. 2. *q.* 66. *art.* 6. *ad* 2.

AD

AD SEPTIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM
TRACTATUS XIV.
De Dominio, & Iure possidendi.

QUÆRITUR PRIMO.

Utrum si fuerint tradita præcepta iudicialia quantum ad popularem convictum, sint etiam tradita quoad privatam communicationem hominum, & personarum?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Populus est cœtus multitudinis, iuris consensu, & utilitatis communicatione sociatus. Unde ad rationem populi duplex communicatio est ad invicem. Una quidem, quæ fit auctoritate Principis; & ideo auctoritate Principum oportet, quod iudicia inter homines exerceantur, & pœnæ malefactoribus inferantur. De his dictum est prius. Potestati vero privatarum personarum subduntur res possessæ, quas propria auctoritate possunt sibi invicem communicare, puta vendendo, emendo, donando, & aliis huiusmodi. Unde per emptionem, locationem, & conductionem, & per mutuum, & iterum per depositum inveniuntur ordinationes certæ in lege, 1. 2. *q.* 105. *art.* 2. *in corp.*

2. *Quær.* Quomodo dominis liceat possidere quod possident, possessiones, & divitias, & de eorum obligatione?

Resp. Div. Th. Dominium introductum est iure gentium, quod est ius humanum, & verus dominus id, quod possidet, ut dominus, possidet ut suum. Et quantum ad hoc licitum est, quod homo propria possideat, & est etiam necessarium ad humanam vitam propter tria. Primo, quia magis sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid, quod sibi soli competit, quam id quod est commune omnium, vel multorum. Alio modo, quia esset confusio si quilibet indistincte procuraret. Tertio, quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur. Unde videmus, quod inter eos, qui communiter, & indiviso aliquid possident, frequentius iurgia oriuntur. Aliud vero, quod competit homini circa res exteriores, est usus ipsarum, & quantum ad hoc non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes, ut scilicet de facili eas communicet in necessitates aliorum. Unde *Apost.* dicit *prima ad Tim. ultimo*. Divitibus huius sæculi præcipe non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum,) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam, 2. 2. *q.* 66. *art.* 2. *in corp. & superius q.* 12. *art.* 2. *& opusc.* 73. *cap.* 5.

3. *Quær.* Quomodo transferatur dominium de uno in alterum?

Resp. Div. Th. Dominus verus alicuius rei potest eam transferre in alterum gratis, vel etiam pro pretio, & pro commutatione alterius rei. Dominus potest transferre usum, & fructum propriæ rei. Insuper verus dominus rei sicut potest dare, vel vendere proprietatem rei, vel usum, vel fructus alicuius possessionis simpliciter quantum ad omne tempus, sic potest dare, vel vendere quantum ad tempus determinatum, vel particulare. Omnia ista probantur per veram rationem dominii, *opusc.* 73. *cap* 9. *circa medium*.

4. *Quær.* An acquirat dominium alicuius, quod violentiam habuit?

Resp. Div. Th. Qui per violentiam dominium surripit non efficitur vere dominus: & ideo cum facultas adest, potest aliquis tale dominium repellere, nisi forte postmodum dominus verus effectus sit per communem consensum, vel per auctoritatem superioris. Nonne, ait *Aug. ad Macedonium* 14. *quæst.* 5. Quid dicam? omnes, qui sibi gaudere videntur de male conquisitis, alienum possidere convincimus: omnia quæcumque possidentur ab alio, si con-

contra voluntatem Dei possidentur, iniuste possidentur, & invito domino, quasi res alienæ possidentur. Omne quod male possidetur alienum est. Illud solum alienum non est, quod iure possidetur; hoc autem iure, quod iuste, & hoc iuste quod bene, 2. *sent. dist.* 44. *q.* 2. *art.* 2. *in corp. & opusc.* 73. *cap.* 5. *circa medium*.

5. *Quær.* Rerum inventarum dominium quomodo acquiratur?

Resp. Div. Th. Circa res inventas est distinguendum: quædam enim sunt, quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius, sicut lapilli, & gemmæ, quæ inveniuntur in littore maris: & talia occupanti conceduntur: & eadem est ratio de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum non extat aliquis possessor; nisi quod secundum leges civiles tenetur inventor dare medietatem domino agri, si in alieno agro invenerit. Quædam vero sunt res inventæ de propinquo in alicuius bonis; & tunc si quis eas accipiat non animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Si pro derelictis habeantur, & hoc credat inventor, licet sibi eas retinere. Alias autem committitur peccatum furti. Unde *Augustin.* dicit in quadam homilia *cap. Si quid* 54. *quæst.* 5. Si quid invenisti, & non reddisti, rapuisti, 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. *ad* 2.

6. *Quær.* An iure præscriptionis transferatur dominium in illo, qui est in mala fide?

Resp. Div. Th. Circa hoc est contrarietas iuris civilis, & canonici; quia secundum ius civile talis præscriptio tenet. Secundum ius canonicum talis in mala fide præscribere non potest. Et ratio huius contrarietatis est, quia alius est finis, quem intendit civilis legislator, scilicet pacem servare inter cives, quæ impediretur, si præscriptio non curreret omni tempore. Finis autem iuris canonici tendit ad quietem Ecclesiæ, & ad salutem animarum; nullus autem in peccato salvari potest, nec pœnitere de damno, nisi recompenset; & ideo dicendum est, quod si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post præscriptionem, quia lex potest aliquem pro peccato, & negligentia in re sua punire, & illam alteri dare, & concedere post tempus a lege definitum; sed qui mala fide præscribit, tenetur emendare, & satisfacere damnum, quod intulit, *quodl.* 12. *art.* 24.

AD SEPTIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM

TRACTATUS XV.

De Restitutione.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit Restitutio?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Restitutio nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ: & ita in restitutione attenditur æqualitas iustitiæ secundum recompensationem rei ad rem, quod pertinet ad iustitiam commutativam; & ideo restitutio est actus commutativæ iustitiæ, quando scilicet res unius ab alio habetur, vel per voluntatem eius, sicut in mutuo, vel deposito, vel contra voluntatem eius, sicut in rapina, & furto, & ideo secundum primam impositionem nominis restitutio videtur locum habere præcipue in exterioribus, quatenus secundum substantiam, & secundum ius dominii ab uno possunt ad alium venire. Sed sicut ab huiusmodi rebus nomen commutationis translatum est ad actiones, vel passiones quæ pertinent ad reverentiam, vel iniuriam alicuius personæ, seu nocumentum, vel profectum, ita etiam nomen restitutionis ad hæc derivatur, quæ licet realiter non maneant secundum substantiam, & rei identitatem, sicut manent possessiones, & res,

res, tamen manent in effectu, puta cum ex percussione læditur corpus, vel qui est in opinione hominum, sicut cum aliquis verbo opprobrioso remanet infamatus, vel etiam minoratus in suo honore, 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. *per totum promiscue*.

2. *Quær.* An restitutio rei ablatæ sit de necessitate salutis?

Resp. Div. Th. Restitutio sicut dictum est, est actus iustitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit. Cum ergo conservare iustitiam sit de necessitate salutis, consequens est, quod restituere id, quod iniuste ablatum est alicui, sit de necessitate salutis. Unde *Aug.* dicit in *Epist. ad Maced.* 14. *q.* 6. Si res aliena propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si enim veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si, ut dixi, restitui potest, 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *in corp.*

3. *Quær.* An quis teneatur restituere tantum, quantum accepit, an amplius?

Resp. Div. Th. Restitutio reducit ad æqualitatem, quod inæqualiter ablatum est, sed aliquis reddendo quod accepit reducit ad æqualitatem; ergo tenetur restituere tantum quantum accepit. Pro quo tamen duo sunt consideranda cum aliquis accipit rem alienam; quorum unum est inæqualitas ex parte rei; aliud est culpa iniustitiæ. Quantum ergo ad primum adhibetur remedium per restitutionem, inquantum per eum æqualitas reparatur, ad quod sufficit, quod quis restituat tantum, quantum habuerit de alieno: sed quantum ad culpam, adhibetur remedium per pœnam, cuius inflictio pertinet ad iudicem; & ideo antequam sit condemnatus, non tenetur restituere plus quam accepit, sed postquam est condemnatus, tenetur pœnam solvere; & Iudex condemnando, iuste potest accipere aliquid amplius loco emendæ, quod tamen antequam condemnaretur, non debebat, 2 2. *q.* 62. *art.* 3. *in corp.* & *ad* 3.

4. *Quær.* An ille, qui rem alienam consumpsit, teneatur ad restitutionem?

Resp. Div. Th. Utique tenetur; cuius ratio est, quia quilibet tenetur ad faciendum iustitiam alteri, quæ, ut toties dictum est, consistit in quadam æqualitate; unde nisi reintegretur æqualitas, non potest aliquis esse iustus; inæqualitas autem fuit, quod consumpsit rem non suam, & ideo oportet, quod reddat. Et si non potest restituere, ipsa impotentia absolvit eum ab instanti restitutione facienda, sicut etiam totaliter a restitutione absolvitur, si omnino sit impotens. Debet tamen remissionem, vel dilationem petere ab eo, cui debet, aut per se, aut per alium, *Quodlib.* 12 *art.* 25. *in corp.* & 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. *ad* 2.

5. *Quær.* An si possit quis statim restituere, teneatur ad restituendum, vel possit differre restitutionem?

Resp. Div. Th. Sicut accipere rem alienam est peccatum contra iustitiam, ita etiam detinere eam, quia per hoc, quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum ab usu rei suæ, & sic ei facit iniuriam; propterea per dilationem restitutionis, committitur peccatum iniustæ detentionis, quod iustitiæ opponitur. Manifestum est autem, quod nec modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur statim peccatum delere; non tamen remittitur, nisi restituatur ablatum (ut superius dictum est,) ideo tenetur quilibet statim restituere, si potest, vel petere dilationem ab eo, qui habet usum rei concedere, scilicet a domino, 2. 2. *q.* 62. *artic.* 8. *in corp.* & *ad* 3.

6. *Quær.* An quis teneatur ad restitutionem si rem alienam quam subripuit ad manus alterius pervenit?

Resp. Div. Th. Acceptio rei alienæ quando est iniuriosa, scilicet contra voluntatem eius, qui est rei dominus, tenetur quis ad restitutionem, non solum ratione rei, sed etiam ratione iniuriosæ actionis, etiam si res apud ipsum non remaneat: sicut enim, qui percutit aliquem tenetur recompensare iniuriam passo, quamvis apud ipsum nihil maneat; ita etiam qui furatur, vel rapit, tenetur ad recompensationem damni illati, etsi nihil inde habeat. Et ideo quamvis ille qui abstulit, non habeat id quod accepit, sed in alium sit translatum, quia tamen alter privatur re sua, tenetur ei ad restitutionem; ille nempe, qui rem abstulit ratione iniuriosæ actionis, & ille, qui rem habet ratione ipsius rei detentæ; quia tamen restitutio ordinatur principaliter ad removendum damnum eius, a quo est aliquid iniuste ablatum; ideo post-

postquam ei restitutio sufficiens facta est per unum, alius non tenetur ei ulterius restituere, 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *in corp.* & *ad* 1. & *ad* 3.

7. *Quær.* An ille, qui est morosus in solvendo debitum ultra terminum præfixum, teneatur ad restitutionem lucri totius, quod creditori evenire posset?

Resp. Div. Th. Debitum est statim solvendum, alioquin non esset conservata iustitiæ æqualitas, si unus retineret rem alterius absque eius voluntate, 2. 2. *q.* 106. *art.* 4. *ad* 1. Si tamen debitum non restituatur suo tempore, non tenetur quis restituere tantum quantum lucrari potuisset creditor, sed secundum æstimationem lucri, quod accidere consuevit, pensato labore, & infortuniis, quæ in lucro alias accidere possent, quia lucrum non causatur tantum ex pecunia, sed ex industria, & labore; nam qui est in via ad adipiscendum aliquid, habet illum solum secundum virtutem, vel potentiam, & ideo si redderetur ei, ut haberet in actu, restitueretur ei non simplum, sed multiplicatum. Tenetur solum igitur aliquam recompensationem facere, secundum conditionem personarum, & negotiorum ad arbitrium boni viri; nam, sicur dictum est, qui habet pecuniam, nondum habet lucrum in actu, sed solum in virtute; sicut ille, qui semen spargit in agro, nondum habet messem in actu, sed solum in virtute, & utrumque potest multipliciter impediri: e contra si auferatur ei aliquid, quod actu habet, tale damnum semper est restituendum secundum recompensationem æqualis, puta si aliquis damnificat aliquem dituens domum, tenetur ad tantum quantum valet domus, 4. *sent. dist.* 15. *art.* 5. *q.* 2. *ad* 4. & 2. 2. *q.* 62. *art.* 4. *in corp.*

8. *Quær.* Quomodo cooperantes ad damnum alterius teneantur ad restitutionem?

Resp. Div. Th. Dictum est supra, ad restitutionem tenetur aliquis non solum ratione rei alienæ, quam accepit, sed etiam iniuriosæ actionis, & ideo quicumque est causa iniustæ acceptionis, vel iniusti damni tenetur ad restitutionem; quod quidem contingit dupliciter, directe scilicet, & indirecte. Directe quidem, quando inducit aliquis alium, puta ad accipiendum, vel ad occidendum, scilicet movendo ad ipsam acceptionem, vel damnum, quod quidem fit præcipiendo, consulendo, consentiendo expresse, & laudando, vel qualitercumque ei auxilium ferendo, vel ex parte rei acceptæ, quia scilicet particeps est furti, vel rapinæ, vel quasi socius maleficii. Indirecte vero, quando aliquis non impedit, cum possit, & debeat impedire, vel quia occultat post factum: quæ his versibus comprehenduntur.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Sciendum tamen, quod quinque præmissorum semper obligant ad restitutionem; primo, iussio, quia ille, qui iubet, est principalior movens, unde ipse principaliter tenetur ad restituendum. Secundo, exequens, sine quo, puta, rapina, vel homicidium fieri non potest. Tertio, recursus, quando scilicet aliquis est receptator latronum, & percussorum, & eis patrocinium præstat: quarto, participatio in crimine latrocinii, & prædæ: quinto, tenetur ille, qui non obstat, cum ostare, tenetur, sicut Principes, qui tenentur custodire iustitiam in terra, si per eorum defectum latrocinia, & homicidia increscunt, ad restitutionem tenentur damnorum; quia redditus, quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut iustitiam conservent in terra. In aliis autem casibus enumeratis consequenter per ordinem tenentur ad restituendum, sed non semper; non enim semper consilium, vel adulatio, vel aliquid huiusmodi est efficax causa rapinæ; unde solum tenentur, quando probabiliter æstimari potest, quod ex huiusmodi causa fuerit iniusta acceptio, vel damnum subsequutum: omnes tamen peccant, nedum ille, qui peccatum exequitur, sed etiam qui quocumque modo est causa, sive consiliando, sive præcipiendo, sive quovis alio modo; uno tamen restituente illi, qui passus est damnum, alius eidem restituere non tenetur, sed illi, qui sunt principales in facto, & ad quos res pervenit, tenentur aliis restituere, scilicet refusionem facere eis, qui restituerunt, singulis pro rata. Si autem aliquis præcipit iniustam acceptionem, vel iniustum damnum, si non sequitur, non est restitutio facienda, cum restitutio principaliter ordinetur ad reinte-

tegrandam rem eius, qui iniuste est damnificatus, 2. 2. *q. 62. art. 7. per totum*.

Recolatur prop. 39. damn. ab Inn. XI. videlicet. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati*.

9. *Quær*. De obligatione restituendi ob iniustum impedimentum boni alieni, puta præbendæ, vel officii.

Resp. Div. Th. Aliquis potest impedire aliquem, puta ne habeat præbendam, vel officium multipliciter; uno modo iuste, intendens honorem Dei, quod detur alicui digniori, & tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, vel ad aliquam recompensationem; alio modo iniuste propter odium, vel vindictam, & tunc si impedit, ne præbenda detur digno, vel officium, antequam sit firmatum, quod ei detur, tenetur ad aliquam recompensationem, pensatis conditionibus personarum, & negotiis, secundum arbitrium sapientis; non tamen tenetur ad æquale, quia illum nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si vero firmatum sit quod alicui detur præbenda, vel officium, & aliquis propter indebitam causam procuret, quod revocetur, idem est ac si habitam auferret, & ideo tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundum suam facultatem, 2. 2. *q. 62. art. 2. ad 4*.

10. *Quær*. An quando res ablata, si restituatur ei, cui ablata est, esset in damnum illius, vel aliorum, sit restituenda?

Resp. Div. Th. Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, vel alteri, puta si quis redderet gladium furioso, non ei debet restitui, quia restitutio ordinatur ad utilitatem eius, cui restituitur, omnia enim, quæ possidentur sub ratione utilis cadunt, nec tamen debet ille, qui detinet rem alienam, sibi appropriare, sed vel reservare, ut congruo tempore restituat, vel etiam alibi tradere tutius conservandam, 2. 2. *q. 62. art. 5. ad 1*.

11. *Quær*. An quis magis teneatur restituere ablatum, quam subvenire Patri indigenti?

Resp. Div. Th. De hoc, quod est sibi proprium tenetur quis magis satisfacere parentibus, non autem debet de alieno; quod contingeret, si quod debet uni, alteri traderet; nisi forte in casu extremæ necessitatis, in quo posset, ut alibi dictum est, & deberet alicui etiam auferre aliena, ut patri subveniret, vel alteri extreme indigenti. 2. 2. *q. 62. art. 5. ad 4*.

12. *Quær*. An ille, qui recipit aliquid illicite teneatur restituere ei, qui illicite dedit?

Resp. Div. Th. Dupliciter aliquis dat aliquid illicite: uno modo, quia ipsa datio est illicita, & contra legem, sicut patet in eo, qui simoniace aliquid dedit, & talis meretur amittere quod dedit, unde non debet ei restitutio fieri de his, & quia ille, qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere, sed debet in pios usus convertere. Alio modo aliquis illicite dat, quia propter rem illicitam dat, licet ipsa datio non sit illicita; sicut cum quis dat meretrici propter fornicationem; unde & mulier potest sibi retinere quod ei datum est, sed si superflue ad fraudem, & dolum extorsisset, tenetur idem restituere, 2. 2. *q. 62. art. 5. ad 2*.

13. *Quær*. Cui facienda est restitutio a Mercatore, qui paulatim defraudavit vendendo merces in aliquo loco?

Resp. Div. Th. Ille qui hoc modo accepit debet pauperibus illius loci restituere, vel in alios usus communitatis illius Civitatis expendere, secundum arbitrium Episcopi, vel illorum, ad quos pertinet cura illius Civitatis, sicut dictum est de usuris, 4. *sent. dist. 15. q. 1. art. 5. quæstiunc. 4. ad 3*.

Prop. 38. damn. ab Innoc XI. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quæcumque sit summa totalis*.

14. *Quær*. Quid faciendum quando multum distat, vel ignoratur, vel est mortuus ille, cui facienda est restitutio?

Resp. Div. Th. Si ille, cui debet fieri restitutio sit omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando eleemosynas pro salute ipsius, & pro anima illius; nam sive sit mortuus, sive sit vivus, pauperes sunt hæredes; præmissa tamen diligenti inquisitione de persona eius, cui est restitutio facienda. Si vero certe sit mortuus, cui est restitutio facienda, debet restitui hæredi eius, qui computatur quasi una persona cum ipso; si vero sit multum distans, debet sibi trans-

transmitti, quod ei debetur, & præcipue si sit res magni valoris, & possit commode transmitti, alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conservetur, & domino significari, 2. 2. *q. 62. art. 5. ad 3. & 4. sent. dist. 15. art. 5. ad 1.*

15. *Quær.* Quo ordine sit restituendum, & qualiter de necesse?

Resp. Div. Th. Ad necessitatem satisfactionis duo sufficiunt; unum quantum ad Deum, scilicet humilitas veræ pœnitentiæ, & aliud quoad proximum, scilicet restitutio plena ablati iniuste contra iniuriam proximi. Circa vero de ordine sciendum est, quod consuetudo fere in omnibus habet, quod prius persolvantur debita, quæ clara sunt, & postea fiant restitutiones, & ultimo loco legata solvantur. Nam legata, inquantum huiusmodi, sunt non secundum necessitatem iustitiæ, sed secundum devotionem, & utilitatem legantis post mortem: quare cum necessaria ad salutem præcedant ea quæ sunt devotionis, & supererogationis, iuste prius solvuntur, debita quam legata. Sed maiori iustitia restituenda sunt ablata, quam debita solvenda, cum in hoc impleatur iustitia tollens iniuriam factam Deo, & proximo; sed in solutione debitorum nulla tollitur iniuria, sed tantum solvitur iustitia; quare secundum hoc videtur prius restituenda ablata, quam solvenda debita. Sed contrarium fit, quando debita sunt clara, & manifesta, & restitutiones non sic: clarum semper præcedit obscurum in iure humano. Sicut etiam quando res, quæ debetur, est determinata, scilicet centum, vel decem, & restituenda non sic; determinatum iure præcedit indeterminatum inquantum huiusmodi, & ex hoc concluditur, quod quando restituenda sunt clara, & aperta, & determinata per apertam confessionem restituentis, debent restituenda inquam iure præcedere debita: raro tamen observatur, quia quod iuris est a paucis advertitur. Et secundum dicta patet, quando prius restitutio facienda sit uni personæ, quam alteri, scilicet quando restitutio unius est clara, & determinata, & alterius non sic, cæteris paribus. Sed iterum si unus sit dives, & alter pauper, & plus indigens his, de quibus restitutio facienda est, & æqualiter sit clarum in utroque, adhuc prius pauperi potest restitutio iuste fieri, quam diviti, eoquod pauper plus læsus est in ablatione suorum, & quia plus indiget. Tamen si uterque sit æqualis conditionis, scilicet in paupertate, vel in divitiis, & æqualiter clarum sit de utroque, si uni prius facta sit iniuria, quam alteri, adhuc prius illi est restituendum ordine iuris naturalis, cui prius facta fuit iniuria. Itemque si per partes facienda est restitutio, unicuique proportionaliter restituendum est, secundum quantitatem ablati, ita quod si tantum sit tertia pars ablatum, vel media, vel alia qualibet pars, cæteris paribus facienda est omnibus restitutio tertiæ partis omnium restituendorum; cuius ratio est, ut omnibus ostendatur bona voluntas restituendi omnia, si adesset facultas, & sic sit pronior quilibet ad condonandum iniuriam sibi factam, quando videt voluntatem ad emendam paratam. *Opusc. 73. cap. 18.*

16. *Quær.* Per quem possit fieri restitutio rei ablatæ, ne infametur furans detegendo crimen suum?

Resp. Div. Th. Homo & si non teneatur crimen suum detegere hominibus, tenetur tamen crimen suum detegere Deo in confessione; & ita per Sacerdotem, cui confitetur, potest restitutionem facere rei alienæ, 2. 2. *q. 62. art. 6. ad 2.*

17. *Quær.* An qui privata auctoritate utitur compensatione peccet, & teneatur ad restituendum?

Resp. Div. Th. Qui furtim accipit rem suam apud alium iniuste detentam, peccat quidem, non quia gravat eum, qui detinet, & sic non tenetur ad restitutionem, sed quia sibi usurpat rei suæ iudicium, iuris ordine prætermisso, 2. 2. *q. 66. art. 5. ad 3.*

Adest propos. damn. ab Inn. XI. 37. scilicet: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario quod recipiunt.*

18. *Quær.* An restitutio sit etiam semper satisfactio, vel pars satisfactionis?

Resp. Div. Th. Reparatio enim inæqualitatis existentis in rebus, restitutio dicitur. Reparatio autem inæqualitatis existentis in actionibus, & passionibus satisfactio nominatur. Et ideo quandoque est satisfactio sine restitutione aliqua, ut cum quis proximo suo se humiliat de aliquibus

bus contumeliis dictis: aliquando restitutio sine satisfactione, ut cum quis mutuum reddit: aliquando autem utrumque exigitur, ut cum quis alicui per violentiam rem suam subtraxit; & sic loquimur hic de restitutione rei male ablatæ, in quo homo proximum, & Deum offendit. Quidam ergo dicunt, quod talis restitutio non est pars satisfactionis, quia non debetur Deo tantum, nec est ad arbitrium Sacerdotis, sed est ad satisfactionem præambulum. Sed hoc nihil est, quia omne peccatum, quod in proximum committitur, est etiam in Deum commissum, unde & satisfactio proximi habet coniunctam satisfactionem Dei. Nec obstat, quod non est ad arbitrium Sacerdotis, quia Sacerdos non est ibi Vicarius proximi, sicut est Vicarius Dei: & ideo satisfactio, quæ est Deo facienda dependet ex arbitrio Sacerdotis; sed satisfactio, quæ est proximo, & Deo simul facienda, non dependet ex arbitrio Sacerdotis, vel Confessarii, & ideo alii dicunt, quod est satisfactionis pars. Sed hoc verum non est, quia satisfactio offensam removet, & a pœna liberat. Nullus autem ex hoc ipso quod offendere desistit, consequitur hoc, quod de offensa præcedenti reconciliationem inveniat, vel pœnam pro illa debitam evadat: sed hoc solum consequitur, quod maiorem offensam, & pœnam non cumulat. Et sic cessare ab offensa nulla pars satisfactionis est, sed est præambulum ad satisfactionem. Et ideo cum restitutio nihil aliud sit, quam ab offensa cessare, quia ex hoc ipso, quod rem alienam detinet, domino invito, eum offendit; constat ergo, quod restitutio non est pars satisfactionis proprie acceptæ, sed est præambulum ad satisfactionem. Non tamen propter rationem prius assignatam, quia bene concedimus, quod satisfactio proximo facta, sit pars satisfactionis Deo factæ. Sed restitutio non est pars satisfactionis neque Deo, neque proximo factæ, quia homo proximo non reconciliatur per hoc, quod sua ei restituat, sed per hoc, quod supra hoc aliquid humilitatis, vel huiusmodi ei exhibeat, & per solam pœnitentiam Deo tribuitur debita satisfactio, non vero per meram, & nudam restitutionem. 4. *sent. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 1.

AD SEPTIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM

TRACTATUS XVI.

De Contractibus, & primo de Promissionibus, & Pactis.

QUÆRITUR PRIMO.

An ex qualibet promissione insurgat obligatio?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur, & hæc est obligatio iuris naturalis; sed ad hoc, quod aliqui obligentur ex aliqua promissione civili quædam alia requiruntur. Nam promissio exterius facta quandoque dicitur nuda, quando non habet aliquod additum, quod obligationem confirmet, & tunc non habet plenam vim obligandi ad culpam, sed aliquando ad certam pœnam tertio, per hoc quod testimonium hominum adhibetur, 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ad* 1. *&* 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *&* 1. *sent. dist.* 48. *art.* 3. *in corp.*

2. *Quer.* Quomodo pactum distinguatur a promissione?

Resp. Div. Th. Obligare se ex certo pacto non competit amicitiæ honesti, sed est proprium in amicitia utilis, & ideo quis debet obligari ad reddendum quod accipit, *q.* 13. *de malo art.* 4.

3. *Quer.* In qua ætate homo possit promittere, & se obligare?

Resp.

Resp. Div. Th. In fine primi septennii incipit homo esse aptus ad aliqua promittendum in futurum, præcipue de his, ad quæ ratio naturalis inclinat magis, non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non habet firmam voluntatem; sed in fine secundi septennii iam potest obligare se de his, quæ ad personam ipsius pertinent, puta ad religionem, vel ad coniugium; sed post tertium septennium etiam potest se de aliis obligare, & secundum leges constituitur ei potestas disponendi de rebus suis post vigintiquinque annos, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 2. *in corp.*

4. *Quær.* Quænam sint conditiones ad hoc, ut quis obligetur ad standum promissis?

Resp. Div. Th. Ille qui promittit, si non faciat, quod promisit, tunc videtur infideliter agere, per hoc quod animum mutat; potest tamen excusari ex duobus: uno modo, si promisit id, quod manifeste est illicitum; quia promittendo peccavit, mutando autem propositum bene facit; alio modo, si sunt mutatæ conditiones personarum, & negotiorum; ut enim *Seneca* dicit, in *lib. de Beneficiis*, ad hoc quod homo teneatur facere, quod promisit, requiritur, quod omnia immutata permaneant, alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promittit, quod habet in mente, subintellectis debitis conditionibus, nec etiam est infidelis non implendo quod promisit, quia eædem conditiones non extant; unde & Apostolus non est mentitus, qui non ivit Corinthum, quo se iturum promiserat, ut dicitur 2. *ad Corinth.* 1. & hoc propter impedimenta, quæ supervenerunt, 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 5.

Quomodo iuramentum contractui adiectum habeat corroborare promissionem, videatur supra in quæstione de Iuramento.

DE NEGOTIATIONE, SCILICET DE EMPTIONE, ET VENDITIONE, ET MUTUO.

5. *Quær.* Quid sit negotiatio, & an sit licita?

Resp. Div. Th. Ad negotiatores pertinet commutationibus rerum insistere. Duplex est rerum commutatio; una quidem quasi naturalis, & necessaria, per quam scilicet fit commutatio rei ad rem, vel rerum, & denariorum propter necessitatem vitæ; & talis commutatio non proprie pertinet ad negotiatores, sed magis ad Economos, & Politicos, qui habent providere vel domui, vel Civitati de rebus necessariis ad vitam: alia vero commutationis species est quarumcumque rerum ad denarios, non propter res necessarias vitæ, sed propter lucrum quærendum, & hæc quidem negotiatio proprie videtur ad negotiatores pertinere; prima autem commutatio laudabilis est, quia deservit naturali necessitati; secunda autem iuste vituperatur, quia quantum est de se deservit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit, & ideo negotiatio secundum se considerata, quamdam turpitudinem habet, inquantum non importat de sui ratione finem honestum, vel necessarium: lucrum tamen, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium, nihil tamen importat de sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium. Unde nihil prohibet, lucrum ordinari posse ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum, & sic negotiatio licita reddetur, sicuti cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad domus suæ sustentationem, vel etiam ad subveniendum indigentibus, vel etiam cum aliquis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessariæ ad vitam patriæ desint, quas per lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris, 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *in corp.*

6. *Quær.* An negotiatio sit ars periculosa inquantum ad conscientiam?

Resp. Div. Th. Officium negotiationis ex propinquo habet peccatum annexum, ut *Aug.* dicit super *Psal.* 70. Si negotiator avidus acquirendi pro damno blasphemet, si pro pretiis rerum mentiatur, & periuret; sed hæc vitia proprie hominis, non sunt arti, quæ sine his vitiis agi potest, quamvis difficulter exuatur negociator a peccatis labiorum: (Et ideo Clericis, & Monachis non licet negotiari.) Tamen non habet conditionem in se, quæ ipsum ab officio prohibeat, si debito tempore mercationes faciat, non diebus festivis, & tempore, quo carescentiam inducere possit, tali officium exerceatur, & mo-

& modus debitus servetur, & sine fraude fiat, & secundum licitum contractum, 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *&* 4. *sent. dist.* 16. *q.* 4. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *in corp.*

7. *Quær.* An omnis, qui carius vendit, quam emit, sit negotiator?

Resp. Div. Th. Non quicumque carius vendit aliquid, quam emit, negotiatur, sed solum, qui ad hoc emit, ut carius vendat; si autem emit rem non ut vendat, sed ut teneat, & postmodum propter aliquam causam eam vendere velit, non est negotiatio, quamvis carius vendat, & potest hoc licite facere, vel quia in aliquo rem melioravit, vel quia pretium est mutatum secundum diversitatem loci, vel temporis, vel propter periculum, cui se exponit transferendo de loco ad locum, vel etiam ferri faciendo, 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *ad* 2.

8. *Quær.* In quo proprie consistat mera emptio, & venditio, & quomodo sit licita?

Resp. D. Th. Emptio, & venditio consistit non solum in datione, & acceptione pecuniæ, sed omnium rerum, quarum potest pretium numismate mensurari. Et sunt voluntariæ communicationes, cum ex consensu utriusque partis fiant. Ad emptionem duo requiruntur, scilicet quantitas pretii, & deputatio eius ad aliquid emendum. Si enim aliquis det pretium non æquivalens ad rem aliquam acquirendam, non dicitur esse simpliciter emptio, sed partim emptio, partim donatio, puta si aliquis emat librum, qui valet viginti libras, pro decem libris, partim emeret librum, & partim sibi daretur, rursus si daret etiam maius pretium, & non deputaret ad emendum, non diceretur emere librum, 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *ad* 3. *& ad* 6. *& quodlib.* 2. *art.* 2. *in corp.*

9. *Quær.* An licite possit quis vendere rem plus, quam in se valet?

Resp. Div. Th. Adhibere fraudem ad hoc, ut aliquid plus iusto pretio vendatur, omnino peccatum est, inquantum decipit proximum in damnum ipsius: si autem fraus deficit, tunc de emptione, & venditione dupliciter loqui possumus; uno modo, secundum se, & secundum hoc emptio, & venditio videtur esse introducta pro communi utilitate utriusque, cum scilicet unus indiget re alterius, & e converso; quod autem pro communi utilitate introductum est, non debet esse in gravamen unius quam alterius, & ideo debet secundum æqualitatem rei inter eos contractus institui; quantitas autem rei, quæ in usus hominis venit, mensuratur secundum pretium datum, supremum, medium, & infimum, ad quod est inventum numisma. Et ideo si pretium excedat quantitatem valoris rei, vel e converso res excedat pretium, tolletur iustitiæ æqualitas, & ideo carius vendere, vel vilius emere, quam valeat, est secundum se iniustum, & illicitum. Alio modo possumus loqui de emptione, & venditione, secundum quod per accidens cedit in utilitatem unius, & in detrimentum alterius; puta cum aliquis multum indiget habere rem aliquam, & alius læditur, si ea careat, & in tali casu iustum pretium erit, ut non solum respiciatur ad rem, quæ venditur, sed ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit, & sic licite poterit aliquid vendi plus quam valeat secundum se, quamvis non vendatur plusquam valeat habenti: si vero aliquis multum iuvetur ex re alterius, quam accepit, ille vero, qui vendit non damnificatur carendo re illa, non debet eam supervendere, quia utilitas, quæ alteri accrescit, non est ex venditione, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non est suum; licet possit ei vendere damnum quod patitur, ille tamen qui ex re alterius accepta multum iuvatur, potest propria sponte aliquid vendenti supererogare, quod pertinet ad eius honestatem. Rem vero absolute in melius mutatam carius potest quis vendere, videtur enim præmium sui laboris accipere, 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *in corp. &* 4. *ad* 1.

10. *Quær.* An pretia rerum sint punctualiter de se determinata?

Resp. Div. Th. Iustum pretium naturale rerum non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam æstimatione consistit, ita quod modica additio, vel minutio non videtur tollere æqualitatem iustitiæ, 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *ad* 1. *circa finem*. Ideo pretium dividitur in rigorosum, sive summum, & medium, & infimum: aliquando pretia taxantur a Principe, & tunc non licet præterire a pretio definito.

11. *Quær.* An qui vendit carius, & qui emit vilius teneatur restituere, & resarcire damnum?

Resp. Div. Th. Quamvis lex humana quasi licitum habeat, pœnam non inducens, quando absque fraude venditor rem suam supervendit, aut emptor vilius emit, nisi sit nimis excessus, puta si aliquis sit deceptus ultra dimidiam iusti pretii quantitatem, obligatur ad restituendum etiam secundum legem humanam; secundum legem divinam tamen semper illicitum reputatur, si in emptione, & venditione non sit æqualitas iustitiæ observata, & tenetur ille, qui plus habuit, recompensare ei, qui damnificatus est, si sit notabile damnum, 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *ad.* 1.

12. *Quær.* An venditio reddatur illicita propter defectum rei venditæ?

Resp. Div. Th. Circa rem, quæ venditur, triplex defectus considerari potest; unus quidem secundum speciem rei, & hunc quidem defectum si venditor cognoscat in re, quam vendit, fraudem committit in venditione; unde venditio illicita redditur, & hoc est quod dicitur contra quosdam, *Isaiæ* 1. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua; quod enim permixtum est patitur defectum quantum ad speciem. Alius autem defectus est secundum quantitatem, quæ per mensuram cognoscitur, & ideo si quis scienter utatur deficiente mensura in vendendo, fraudem committit, & est illicita venditio: unde dicitur *Deut.* 25. Non habebis in sacculo diversa pondera maius, & minus, nec erit in domo tua modius maior, & minor; & postea subditur: Abominatur enim Dominus eum, qui facit hæc, & adversatur omnem iniustitiam. Tertius defectus est ex parte qualitatis, puta si aliquod animal infirmum vendat quasi sanum, quod si quis scienter fecerit, fraudem committit in venditione; unde est illicita venditio, & in omnibus talibus non solum aliquis peccat iniustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur. Si vero eo ignorante aliquis prædictorum defectuum in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat, quia facit iniustum materialiter, nec eius operatio est iniusta; tenetur tamen, cum ad eius notitiam pervenerit, damnum recompensare emptori, & quod dictum est de venditore, etiam intelligendum est ex parte emptoris; contingit autem quandoque, venditorem credere rem suam esse minus pretiosam quantum ad species, sicut si aliquis vendat aurum loco auricalchi, emptor si id cognoscat, iniuste emit, & ad restitutionem tenetur; & eadem ratio est de defectu qualitatis, & quantitatis, 2. 2. *q.* 77. *art.* 2. *in corp.*

13. *Quær.* An venditor teneatur manifestare omne vitium rei venditæ?

Resp. D. Th. *Ambrosius* dicit in *lib.* 5. *de Offic.* In contractibus vitia eorum, quæ veneunt prodi iubentur, ac nisi intimaverit venditor, quamvis in ius emptoris transierint, doli actione non vacuantur. Venditor enim, qui rem vitiosam vendendam proponit, dat emptori damni, vel periculi occasionem. Damni quidem, si propter huiusmodi vitium res, quæ vendenda proponitur minoris sit pretii, & propter huiusmodi vitium nihil de pretio subtrahit. Periculum autem, si propter huiusmodi vitium usus rei reddatur impeditus, vel noxius; puta, si aliquis alicui vendat equum claudicantem pro veloci, vel ruinosam domum pro firma, vel cibum corruptum pro bono: unde si huiusmodi vitia sint occulta, & ipse non detegat, erit illicita, & dolosa venditio, & tenetur venditor ad damni recompensationem. Si vero vitium sit manifestum, puta si equus sit monoculus, vel cum usus rei, etsi non competat venditori, potest tamen esse conveniens aliis, & venditor propter huiusmodi vitium subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei, quia forte propter huiusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum. Unde potest licite venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo, 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. *in corp.*

14. *Quær.* An manifestatio vitii occulti debeat esse clamorosa?

Resp. Div. Th. Non oportet, quod aliquis per præconem vitium rei vendendæ prænunciet, quia exterrerentur emptores ab emendo, dum ignorarent alias conditiones rei, secundum quas est bona, & utilis. Sed singulariter est dicendum vitium rei ei, qui ad emendum accedit, qui potest simul omnes conditiones adinvicem comparare bonas, & malas; nihil prohi-

prohibet rem in aliquo vitiosam in multis aliis utilem esse, 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. *ad* 2.

15. *Quer.* An mensura rerum sit eadem in omnibus locis, & ad quem pertineat eam determinare?

Resp. Div. Th. Mensuras rerum venalium necesse est in diversis locis esse diversas, propter diversitatem copiæ, & inopiæ rerum, quia ubi res magis abundant, consueverunt esse maiores mensuræ; in unoquoque tamen loco ad Rectores Civitatis pertinet determinare, quæ sint iustæ mensuræ rerum venalium, pensatis conditionibus locorum, & rerum; & ideo has mensuras publica auctoritate, vel consuetudine institutas præterire non licet, 2. 2. *q.* 77. *art.* 2. *ad* 2.

16. *Quer.* An venditor deferens merces, sive annonam ad locum ubi est pecunia, possit occultare aliorum adventum cum eisdem mercibus, ut suas vendat cum iusto, sed maiori pretio currenti?

Resp. Div. Th. In casu præmisso, si in futurum res expectatur esse minoris valoris per superventum negotiatorum, quod ab ementibus ignoratur; venditor si vendit rem secundum pretium, quod invenit, non videtur contra iustitiam facere, si quod futurum est non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex iustitiæ debito, 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. *ad* 4.

17. *Quer.* An impediatur contractus, si detur una pecunia pro alia, vel una merces vendatur pro alia?

Resp. Div. Th. Pecunia in contractibus accipitur quasi mensura aliarum rerum, ut patet 5. *Eth.* & non quasi propter se quæsita: & ideo si non detur illa pecunia, quæ creditur, sed alia æquivalens, nihil obstat contractui. Sed in re quæsita propter se esset error, & impediretur contractus; sicut si venderetur asinus pro equo, 4. *sent. dist.* 30. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 7.

18. *Quer.* An officium exactorum, qui vectigalia publica exigunt possit fieri licite?

Resp. Div. Th. Sicut dictum est de negotiatoribus, & militibus, officium exactoris ex propinquo habet peccatum annexum, quamvis sine peccato possit exerceri. Homo non potest quascumque peccati occasiones vitare, dum in mundo isto vivit, sufficit si peccatum in hoc similibus officiis vitet, puta si exactor officium faciat de auctoritate Principis, & causa communis utilitatis, & non immoderata recipiantur thelonea, 4. *sent. dist.* 16. *q.* 4. *art.* 2. *quæstiunc.* 3.

AD SEPTIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM

TRACTATUS XVII.

De Mutuo, & Usura, & aliis ad Iustitiam spectantibus.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit Mutuum?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

MUtuum datur quando meum, vel tuum mihi, vel tibi datur: mutuum dare est actus proprius liberalitatis, & gratiæ, ex cuius corruptione generatur usuræ vitium: illa superabundantia, quæ ex mutuo ratione mutui procedit liberalitatem, & iustitiam corrumpit; liberalitatem quidem, quia mutuum gratuitum fieri debet de natura mutui, hoc enim significatur *Lucæ 6.* Mutuum date, nihil inde sperantes; iustitiam corrumpit, quia in mutuo dati redditio designatur, & idcirco ubi plus redditur de dato, inæqualitas paritur. Dupliciter contingit mutuum dare; uno modo per modum liberalitatis solum, ut in datione gratuita; & iste modus de se nullam parit excrescentiam, eo quod liberaliter transfertur ad alterum possessio rei quod est idem usus eius, scilicet pecunia; alio modo per modum æquitatis, & iustitiæ, ut

ut quando aliqua res, & usus eius commutatur, & transfertur per adæquationem iustam alterius rei, vel usus, sive sit pro numismate, sive pro alia re, sive pro labore corporali. Et notandum, quod res quandoque simul cum usu eius transfertur iuste, ut in venditione, & emptione, & permutatione; aliquando vero solus usus rei, & non possessio rei, sicut in accommodatis, & rebus locatis. In his ergo, quæ liberaliter transferuntur iuste, si ad finem convenientem sibi transferantur, nihil reprehensibile naturaliter invenitur: finem autem convenientem dicimus, utile, & necessarium vitæ humanæ. Ex his concluditur, quod omnis superabundantia ex usu rerum per modos prædictos innata in relatione ad finem convenientem caret ratione usuræ; superabundantia, quæ ex collatione mere gratuita accidit, non habet vitium, quia non corrumpit liberalitatem, alias non esset gratuita. Superabundantia, quæ ex iusta permutatione, seu venditione accidit, non habet vitium inæqualitatis, alias non fuisset venditio iusta, vel permutatio. Illa vero sola superabundantia, quæ ex mutuo ratione mutui procedit, liberalitatem, & iustitiam corrumpit, *Opusc.* 73. *cap.* 3. *&* 4.

2. *Quær.* An mutuans possit accipere aliquid, ex hoc quod damnum aliquod incurrit ex mutuatione, scilicet ratione lucri cessantis, & damni emergentis?

Resp. Div. Th. Ex pecunia mutuata potest ille, qui mutuat incurrere damnum rei iam habitæ dupliciter; uno modo ex quo non redditur sibi pecunia statuto termino, & in tali casu ille, qui mutuum accipit tenetur ad interesse secundum æstimationem pensatis periculis, laboribus, & expensis: alio modo infra tempus deputatum, & hoc non tenetur ad interesse ille, qui mutuum accipit; debet enim ille, qui pecuniam mutuavit, sibi cavisse, ne detrimentum incurrat, nec ille qui mutuo accepit, debet damnum incurrere de stultitia mutuantis: & etiam simile in emptione, qui enim emit rem aliquam, tantum pro ea iuste dat, quantum valet, non autem quantum ille, qui vendit, si ex eius carentia forte damnificatur, *q.* 13. *de malo art.* 4. *ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 15. *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *ad* 4.

3. *Quær.* An liceat lucrum recipere de pecunia commissa mercatori?

Resp. Div. Th. Si ille, qui committit pecuniam suam mercatori det illam per modum societatis, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet eius, inquantum cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur; & sic licite potest partem lucri inde provenientis expetere tamquam de re sua. Si vero simpliciter pecuniam mutuat, iam transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuatur. Unde ille, cui mutuatur pecunia, sub suo periculo tenet eam: & tenetur eam restituere integre, unde non debet amplius quid exigere ille, qui mutuavit: potest vero absque peccato in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod debet habere; hoc enim non est vendere usum pecuniæ, sed damnum emergens, vel lucrum cessans vitare. Recompensationem vero damni incerti, & negativi, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere, quod non debet vendere id, quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo, satis recompensatur, si tantum ei reddatur, quod mutuavit, & potest esse, quod accipiens mutuum maius damnum evitet, quam dans incurrat. Unde accipiens lucrum cum sua utilitate, damnum alterius recompensat, 2. 2. *q.* 78 *art.* 2. *ad* 1. *&* *ad* 5.

4. *Quær.* Quid sit usura?

Resp. Div. Th. Usura dicitur ab usu, eo scilicet, quod pro usu pecuniæ pretium quoddam accipitur, quasi ipse usus pecuniæ mutuatæ vendatur. Quare definitur sic, usura est quidquid præter, & supra sortem accidit sine iusto titulo, & causa; sive sit in mutuis, sive in contractibus aliis. Nam ut dictum est, superabundantia, & lucrum, quæ ex mutuo ratione mutui procedit, iustitiam corrumpit; quia plus speratur ex mutuo, vel causa mutui, quam detur, *quæst.* 13. *de malo art.* 4. *&* *opusc.* 73. *cap.* 3. *&* 8.

5. *Quær.* An peccet qui accipit pecuniam ad usuram, & teneatur ad restitutionem?

Resp. Div. Th. Usuram, & superabundantiam accepisti, meique oblita es, dicit Dominus *Ezech.* 22. Quidquid acqui-ri-

ritur ut possideatur, & iuste possideri non valet, male acquiritur, & male possidetur, & peccatum in acquirente, & possidente generat; sed sic est in usura; quare usura peccatum est. Quidquid enim fit suum de non suo sine iusto titulo, & per fraudem rei non suæ, iniuste acquiritur, & iniuste possidetur: ad cuius evidentiam sciendum est, quod quædam res sunt, quarum usus est ipsarum rerum consumptio, sicut vinum consumimus eo utendo ad potum, & triticum consumimus eo utendo in cibum; unde in talibus non debet seorsim computari usus rei a re ipsa, sed cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res, & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo seorsum vellet vendere vinum, & seorsum vellet vendere usum vini, venderet eamdem rem bis, vel venderet id, quod non est. Unde manifeste per iniustitiam peccaret, & sic iniustitiam committeret qui mutuaret vinum, aut triticum petens sibi duas recompensationes, unam quidem restitutionem æqualis rei, aliam vero pretium usus, quod usura dicitur. Pecunia autem secundum *Phil. 5. Eth. cap. 5.* principaliter est inventa ad commutationes faciendas, & ita proprius, & principalis pecuniæ usus est ipsius consumptio, sive distractio secundum quod in commutationes expenditur, & propter hoc secundum se est illicitum pro usu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur usura, quia venditur id quod non est, sive quia dominium in mutuo iam translatum est, sive quia usus non distinguitur ab ipsa pecunia. Unde sicut alia iniuste acquisita tenetur homo restituere, ita pecuniam, quam per usuram accepit, si plus receperit, quam dederit. Quædam vero sunt, quorum usus non est ipsa rei consumptio, sicut usus domus est habitatio, non dissipatio; & ideo in talibus seorsum potest utrumque concedi, puta cum aliquis tradit alteri dominium domus, reservato sibi usu ad aliquod tempus, vel e converso, cum quis concedit alicui usum domus reservato sibi dominio: & propter hoc licite homo potest separare unum ab alio, & accipere pretium pro usu domus, sicut patet in conductione, & locatione domus, *opusc. 73. cap. 4. circa medium, & 2. 2. q. 78. art. 1. in corp.*

Adest prop. damn. ab Inn. XI. in ordine 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda; & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

Et 42. *Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum: sed solum si exigatur tanquam de iustitia debitum.*

Iam fuit error Græcorum, scilicet: *Non est peccatum dare aliquid ad usuram.*

6. Quær. An in emptione, & venditione rerum aliquando incidat vitium usuræ?

Resp. Div. Th. Advertendum est primo quid proprie in contractibus dicatur sors, & quid sit accidens sorti. Sors hic accipitur pro re iuste possessa, vel debita alicui personæ, aliquid vero dicitur sorti accidere, quod non pertinet ad proprietatem sortis. Ex quo patet, quod usus proprius rei alicuius, & fructus eiusdem non accidunt sorti, quia qui habet proprietatem in aliqua re, vel possessione, habet & usumfructum illius de iure; & ideo qui emit agrum, vel equum ut plus percipiat in fructibus ratione fructuum, & ratione usus equi, quem emit nihil accipit, quam accidat sorti, quia totum est de sorte, scilicet fructus, & usus. Est etiam advertendum, quod usus, & fructus rerum possunt augeri, & minui in pretio secundum diversitatem temporum, sine eo quod tempus sit causa per se, puta res, quæ per usum minuuntur, secundum tempus naturaliter consumuntur, & sunt pauciores, & ideo cariores; aliæ res secundum tempus recipiunt incrementum valoris, ut apparet in satis, sylvis, & animalibus, tandem ex natura rei relata ad loci conditionem, vel translationem. Est ergo generaliter tenendum, quod in omnibus contractibus, in quibus accipitur plus a vendente, vel emente, quam dederit, & non fuerit ratio huiusmodi augmenti in usu rei, sive in natura ipsius rei, nec producta fuerit ex temporis aliqua conditione existente in ipsis rebus, sicut apparet in tribus modis prædictis: sed accidit incrementum ex mera dilatione tem-

temporis concessa a vendente, vel emente, ut per hoc plus accipiat: tunc talis superabundantia accepta super datum, usura dicitur, & usuræ tenet vitium. Et hoc vocatur apud Iurisperitos, & etiam vulgariter, vendere, vel emere ad credentiam. Si autem accipiatur plus propter aliquam trium causarum prædictarum rationem, vel propter æstimationem ampliorem in uno tempore, quam in alio, tunc potest fieri sine vitio usuræ. Maxime si hoc fit propter necessitatem, seu utilitatem vitæ humanæ non propter divitiarum augmentationem. Non tantum ex dilatione temporis, sed aliquando ex natura rei relata ad temporis conditionem potest accidere usura, & similiter ex natura rei relata ad conditionem loci, scilicet quando aliquæ res dantur mutuo sine pecunia, æquales reddendæ in specie, & numero, pondere, & mensura. Si mutuans sperat eamdem rem numero plus valituram in tempore determinato, vel in loco, & propter hoc ipse mutuavit reddendam ad tale tempus, vel talem locum, ut in tempore determinato, vel indeterminato loco sibi reddatur; ibi manifestum est vitium usuræ, quia plus speratur ex mutuo, vel causa mutui quam detur: eadem ratione potest accidere in aliis contractibus propter intentionem usurariam. Hinc liquet, quod in eodem contractu secundum speciem potest accidere vitium usuræ ex intentione corrupta, & potest fieri sine omni vitio, quando fit propter necessitatem, eo modo quo superius dictum est, *opusc.* 73. *cap.* 8.

7. *Quær.* An Debitor qui debet centum solidos, & per anticipationem temporis solvit tantum octuaginta possit incidere in vitium usuræ?

Resp. Div. Th. Ratione regulæ datæ de causa vitii in usura, quæ est quando plus accipitur, quam datur causa temporis, videtur quod huiusmodi casus sit usurarius. Sed hic potest cadere excusatio usuræ dupliciter. Uno modo quando gratis, & liberaliter creditor huiusmodi superabundantiam tribuit debitori, & debitor non causa temporis accipit. Alio modo quando debitor per damnum propriæ rei recompensat huiusmodi superabundantiam, ut quando non potest habere pecuniam sine rei propriæ alienatione, & damno, ex qua solvat Creditori ante terminum solutionis, alias est casus usurarius, *Opusc.* 13. *cap.* 8.

8. *Quær.* An emere aliqua bona, ut redditus, vel possessiones ad vitam, quod est tempus indeterminatum, liceat?

Resp. Div. Th. Quando enim de natura contractus incidit periculum, vel dubium æqualiter tam ex parte vendentis, vel ementis, de natura sui iustus est contractus, cum ex utraque parte similiter dubium sit, utrum minus, magisque recipiat, vel recepturi sint. Si enim equum homo emat, & centum libras pro eo persolvat constat, quod si eadem hora post solutionem equus moriatur, nihilominus vendens centum libras iuste detinet, quamvis nihil utilitatis emptor consequutus fuerit, eo quod rem suam iuste transtulerit in ipsum ementem; similiter ille, qui possessiones vendit ad tempus indeterminatum, cuius determinatio pendet a natura, non ab homine, & tempus determinatur vel prius, vel posterius præter hominis intentionem, quantum est de iure rem transtulit, & translatio iam ad ipsum redit ex natura contractus. Ex prædictis infertur quod tum præter iustam æstimationem rerum tempore contractus, tum etiam propter periculum æqualiter annexum: tum etiam propter liberam voluntatem dominorum, ut supponitur res transferantur cum suis proventibus, fuit huiusmodi contractus de natura sui a vitio usuræ liber: diximus, de natura sui, quia per accidens potest in ipso contractu vitium turpis lucri incidere, & etiam aliquando vitium usuræ. Vitium turpis lucri, quando dives tales redditus emit, ut ditior fiat, & ut plures divitias sine iusta, & pia necessitate acquirat, sed propter avaritiam. Vitium vero usuræ, quando homo attenuatus paupertate tales redditus invite vendit, vel possessiones suas pro necessitate cogente propter defectum mutui, quod non invenit, in tali casu venditio propter defectum mutui, & emptio fit quasi loco mutuationis; & ideo id quod plus accipit emens, quam dederit, non habet iustum titulum possessionis. Unde in hac consideratione non tantum in emptionibus ad vitam, quam in omnibus aliis ad omne tempus incidere potest vitium usuræ, *Opusc.* 73. *cap.* 9.

„ Tam

„ Tam in isto, quam in aliis contractibus „ standum est etiam secundum leges locorum, & determinationes prudentum, „ si quæ sunt per consuetudinem regionis, & patriæ legitime introductæ.

9. *Quær.* An sit vitium usuræ in vendentibus carius propter dilatam solutionem. Sicut in ementibus vilius propter anticipatam solutionem?

Resp. Div. Th. In hoc casu conscientia aut excusat, aut accusat. Si aliquis carius velit vendere res suas, quam sit iustum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifeste usura committitur, quia huiusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui, quod pertinet ad rationem usuræ. Similiter etiam si quis emptor velit rem emere vilius, quam sit iustum pretium, eo quod pecuniam ante solvit, quam possit ei res tradi, est peccatum usuræ; quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cuius quoddam pretium est, quod diminuitur de iusto pretio rei emptæ. Et hoc patet quia secundum prolungationem temporis, vel abbreviationem, augmentatur superabundantia usuræ, vel minuitur: ergo fœnerator de tempore recompensare intendit illud, quod plus accipit, quam dederat. Tempus autem commune est, nec est propria possessio alicuius, sed a Deo datur æqualiter. Quare huiusmodi fœnerator de re non sua, quæ est æqualiter accipientis, & dantis, & gratis a Deo omnibus datur sub pretio ponit: nec de labore aliquo fit recompensatio in contractu, quia tantum lucratur fœnerator dormiens, sicut vigilans, & in diebus solemnibus, sicut in feriis communibus. Quare nullo iure, vel iusto titulo superabundantia acquiritur, vel possidetur. Si enim venditor rem suam intendat vendere carius non propter tempus tantum, sed propter damnum, quod sibi videt imminere, puta ex dilatione persolutionis recuperandæ, seu propter vexationem suam redimendam, quam probabiliter timet futuram propter malitiam, vel impotentiam debitoris, tunc excusatur a vitio: & tunc apparet quando venditor optaret potius non vendere talibus, quam vendere ad credentiam, & quando libentius daret aliis minori pretio incontinenti persolvendo, quam vendere ad credentiam talibus pro pretio maiori. Quando vero pro minori pretio incontinenti persolvendo aliquæ res emuntur puta bladam tempore hyemis, & sylvæ adhuc per tres annos, & amplius crescituræ, non est contractus usurarius, quia res emuntur in tempore suæ imperfectionis; quare debent æstimari minoris pretii, quam sunt valituræ in tempore suæ perfectionis. Unde si attendatur natura istius contractus secundum se, non pro dilatione temporis, plus accipitur ab emente, sed pro natura, & utilitate rei facta, vel ducta ex natura temporis. Hoc autem dicimus quantum ad naturam contractus; per accidens autem per intentionem ementis posset esse turpe lucrum, si intendatur ab emente augmentatio lucri, & divitiarum proveniens ex natura temporis sine exercitio laboris, & potest esse contractus usurarius, si aliquis cogitur vendere talia ante tempus congruum ex necessitate, propter quam teneretur emptor ex fraterna charitate mutuum dare, 2. 2. *q. 78. art. 2. ad 7. & Opusc. 73. cap. 4. & 10.*

10. *Quær.* An sit vitium usuræ dare armenta alumnis nutrienda propter lucrum, cum pacto quod armentum integrum promittat alumnus servare?

Resp. Div. Th. Si aliquis dat, puta centum oves ad nutriendum propter lucrum, ita tamen, quod centum oves sibi semper salvæ maneant quidquid contingat: in hoc casu potest incidere fraus usuræ, & hoc quando ultra iustam æstimationem taxat ipse committens sibi portionem lucri, propter quam non recompensatur labor, & sollicitudo nutrientis secundum iustam æstimationem. Solet etiam & alia fraus in talibus fieri, quando dives dat pauperi mutuum centum libras, ut ex eis oves, & boves nutriendos emat ad lucrum illius, qui mutuum dedit, & ad lucrum ipsius alumni. Dico, ibi fraudem usuræ permixtum esse, eo quod radix lucri ex mutuo oritur. Tunc huiusmodi commissiones licite fieri possunt, quando mutuum, vel similitudo mutui non permiscetur, sed dominium retinetur cum periculo, quod communiter accidere potest, vel quando dominium, & periculum communicatur utrique: & quando secundum iustam æstimationem taxatur lucrum, per quod iuste recompensatur

tur

tur labor, & sollicitudo alumni, *opusc.* 73. *cap.* 11. *in fine*.

11. *Quær.* Quid faciendum quando pro pecunia mutuata accipitur pignus, cuius usus potest pretio æstimari, sicut domus, quæ inhabitatur?

Resp. Div. Th. Si quis pro pecunia sibi mutuata obliget rem aliquam, cuius usu æstimari potest, debet usum illius rei, qui mutuavit computare in restitutionem eius, quod mutuavit. Alioquin si usum illius rei, puta domi, quasi gratis superaddi velit, idem est ac si pecuniam acciperet pro mutuo, quod est usurarium, 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 6.

12. *Quær.* An liceat saltem pro pecunia mutuata aliquid recipere sicut gratuitum donum, vel exigere benevolentiam, vel saltem ut remuneret in casu necessitatis?

Resp. Div. Th. Omne illud pro pecunia habetur, cuius pretium potest pecunia mensurari; & ideo sicut si aliquis pro pecunia mutuata, vel quacumque alia re, quæ ex ipso usu consumitur pecuniam accipit ex pacto tacito, vel expresso, peccat contra iustitiam, ut dictum est. Ita etiam quicumque ex pacto tacito, vel expresso quodcumque aliud accipit, cuius pretium pecunia mensurari potest, simile peccatum incurrit. Si vero aliquid huiusmodi non quasi exigens, nec ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat, quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere, nec peioris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit. Recompensationem pariter beneficii si expectet, vel exigat quasi per obligationem pacti taciti, vel expressi, puta recompensationem muneris ab obsequio, vel lingua, vel similiter, perinde est ac si expectaret munus a manu, quia utrumque pecunia æstimari potest, ut patet in his, qui locant operas suas, quas manu, vel lingua exercent. Si vero munus ab obsequio, vel lingua non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex amore, & benevolentia, quæ sub æstimatione pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expectare propter dictam rationem. Repugnat obligatio ad mutuum faciendum imposterum, quia etiam talis obligatio pecunia æstimari posset. Ideo licet mutuanti unum aliquod aliud mutuum recipere; non autem licet eum obligare ad mutuum imposterum faciendum, 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *ad* 5. *&* *art.* 2. *in corp.* *&* *ad* 3. *&* *ad* 4. *&* *q.* 13. *de malo art.* 4. *ad* 5.

13. *Quær.* An si officiales, & ministri dent mutuum Principi hoc pacto, ut accipiant officia publica, sit usura?

Resp. Div. Th. Si hoc pacto mutuum dant, ut officium accipiant, absque dubio (ut alibi dictum est) pactum est usurarium, quia pro mutuo accipiunt officii potestatem. Unde in hoc datur eis occasio peccandi, & ipsi etiam tenentur resignare officio taliter acquisito. Si tamen gratis officia dederit, potest Princeps ab eis mutuum accipere, quod de suo officio possint recipere, & hoc absque omni peccato fieri potest, *opusc.* 21.

14. *Quær.* An liceat committere pecuniam eunti ad nundinas, vel res alias absque vitio usuræ?

Resp. Div. Th. Distinguendum est circa hoc, quia aut simpliciter est commissio, quæ fit propriæ rei, bonæ fidei alterius, & sic cum retineat dominium rei, non incidit in vitium usuræ: quia commissa est pecunia, sicut ministro qui negotiatur ad utilitatem domini; aut est commissio secundum quid, & simpliciter translatio, in quantum committens non retinet periculum super se rei commissæ, & hoc modo incidit vitium usuræ. Sicut etiam si aliquis habens pecuniam, quam timet tempore futuro minorandam in suo pretio, & propter hoc pecuniam dat mutuo sibi reddendam æquali pretio, quod erat tempore mutui, cum videatur hoc factum spe lucri, & hoc est vitium usuræ. Si vero dat mutuo vinum, oleum, triticum ad certas mensuras hoc in tempore, quo minus valent, ut sibi reddantur in æqualibus mensuris, & ponderibus alio tempore, quo verosimiliter prævidetur res prædictas esse plus valituras, in hoc casu conscientia aut accusat, aut excusat; si sit paratus accipere omni tempore rem mutuatam, vel si etiam tempus illud determinavit, in quo verosimiliter plus valituræ erant, tamen intendebat vere conservare res suas sibi magis necessarias ad usum vitæ, quas si non haberet, oporteret eas alibi emere, & sic reportaret damnum de mutuo: sic intendens in mutuando, excusatur ab omni vitio usuræ, aliter non, *Opusc.* 73. *cap.* 14.

Prop.

Prop. damn. ab Alex. VII. ordine 42. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Et 40. ab Innoc. XI. *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu eiusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.*

15. *Quær.* Quomodo ratio dubii, & periculi valeat excusare vitium usuræ in mutuo, & in aliis contractibus?

Resp. Div. Th. In mutuis vitium usuræ annexum est ex eo, quod fiant spe lucri, quod est contra naturam mutui, & ideo quia dubium, nec periculum de sua natura non tollunt hanc vitiositatem a mutuo, quando fit spe lucri, nec dubium, nec periculum excusare possunt vitium usuræ. Et hec probatur per illam Decretalem *Naviganti*. Si enim quis pecuniam alicui naviganti commiserit mutuo, propter spem alicuius lucri, licet periculum fortis in se receperit, nihilominus iudicatur usurarius, etiam si totum amiserit. Et ad sciendum specialiter quomodo, & in quibus excusatur vitium usuræ propter damnum, vel periculum, considenrandum est circa contractus, vel permutationes rerum, in quibus aliquid plus accipitur, quam datur, quod si causa temporis permutatio hæc fiat, iam species usuræ vitiosæ committitur. Eo quod huiusmodi superabundantia, nec ex labore licito, nec ex usu rei propriæ, nec per recompensationem alterius substantiæ valet reduci ad æqualitatem iustitiæ. Si vero non causa temporis hæc superabundantia accipiatur, vel intendatur, saltem ratio dubii, vel periculi potest supplere æquitatem iustitiæ, v. gr. si quis rem emat pro pretio minori, quam valet tempore emptionis, vel etiam si quis vendat rem pro pretio maiori, quam valet tempore venditionis; sperans tamen, quod tantum valitura erit tempore solutionis si verosimiliter dubitatur, utrum plus, vel minus possit valere pro tempore illo, pro quo venditur, vel emitur res; in talibus ratio dubii excusari potest, & facere æquitatem iustitiæ, licet plus accipiatur quam detur, eo quod ratio dubii ponit æstimationem valoris in rebus, & in ipsa natura rerum, quæ in tali tempore plus, vel minus possunt valere. Unde non causa temporis tantum ibidem plus expectatur. Et hoc modo ratio dubii, & periculi possunt excusare contractus aliquos qui alias iudicarentur usurarii. Res enim plus valent aliquando uno tempore, quam in alio, & aliquando minus si iam iste servaturus erat pro tempore quo plus valent. Sic etiam res quæ extra periculum possidentur eiusdem speciei plus æstimantur, quam eædem existentes in periculo, & ideo ad naturam rei convertitur recompensatio, quæ propter dubium, vel propter periculum æstimantur plus, vel minus valere; non vero ad rationem meram temporis expetiti, vel expectati, *opusc.* 73. *cap.* 6.

16. *Quær.* An aliquis teneatur semper vitare scandalum, & non petere mutuum ab usurario?

Resp. Div. Th. Inducere hominem ad peccandum nullo modo licet, uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est. In proposito dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris; licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius. Sicut licet qui incidit in latrones, manifestare bona, quæ habet (quæ latrones peccant diripiendo) ad hoc, quod non occidatur. Et per hoc non dat occasionem usurario usuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse enim usurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui petentis mutuum. Nec propter huiusmodi scandalum passivum debet alius a mutuo petendo desistere si indigeat; quia huiusmodi passivum scandalum non provenit ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex malitia, & non placet ei usurarum acceptio, sed mutuatio, quæ est bona, 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. *ad.* 2.

17. *Quær.* An liceat alicui deponere pecuniam suam apud usurarium cum libertate illa utendi?

Resp. Div. Th. Si quis committeret pecuniam suam usurario non habenti alias, unde usuras exerceat, & hac intentione committeret, ut inde copiosius per usuram lucraretur, daret materiam peccandi; unde & ipse esset particeps culpæ. Si quis usurario alias habenti unde usuras exerceat, pecuniam suam committat, ut tutius servetur, non peccat, sed utitur homine peccatore ad bonum, 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. *ad* 3.

A a 18. *Quær.*

18. *Quær.* An usurarius teneatur restituere quidquid accepit ab usuris?

Resp. D. Th. *Augustinus* dicit, 74. *q.* 4. Quod iniuste possidetur & alienum est alicui, alteri proprium esse debet. Cum igitur omnis superabundantia usurarum sit tamquam res aliena ipsi usurario, & cum nullo iusto titulo ab eo possideatur, sequitur quod sit propria alterius. Quare secundum omnem iustitiam naturalem usuræ sunt restituendæ. Immo usurarius tenetur restituere quidquid accepit de usuris, de fructibus, & interesse, non autem ea, quæ ex industria forte lucratus est ex pecunia usuraria, vel alia re consumptibili, etiam emendo possessiones; quia illud, quod acquiritur de pecunia usuraria, & similibus, debetur acquirenti, non propter pecuniam usurariam, sicut propter causam instrumentalem, sed propter suam industriam, sicut per causam principalem, & plus iuris habet in re acquisita de pecunia usuraria, quam in ipsa pecunia usuraria; sunt tamen obligatæ illæ possessiones, ut earum pretio restituantur secundum quantitatem usuræ. Si vero agrum, vel domum alterius per usuram quis extorsisset, non solum tenetur restituere domum, vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos, quia non sunt fructus industriæ, sed rerum, quarum alius est dominus, & ideo ei debentur, 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. *& opusc.* 73. *cap.* 15.

19. *Quær.* Quibus restitutiones sint faciendæ?

Resp. Div. Th. Regula generalis est, sicut enim restitutio facienda non est, nisi eius rei, quæ iniuste possessa est, sic nec alicui, vel aliquibus restituenda est, nisi illi, vel illis, qui & iniuste destituti sunt, & qui iuste illarum rerum domini erant: & defunctis illis, qui expoliati fuerunt, iam restitutio facienda est eorum filiis, & successoribus, qui iuste succedunt bonis defuncti expoliati. Quod si forte ignorentur successores, & verosimiliter quibus facienda sit restitutio nescitur, vel forte noscantur esse in locis, vel regionibus longinquis, & sine spe reversionis, & sine facultate mittendi, tunc in casu Ecclesiæ consilium, & auctoritas requiri debet, quia iam ratione iuris divini pertinet restitutio, quæ debebatur homini, qui erat membrum, & filius Ecclesiæ, ad ipsam Ecclesiam: unicuique sua Ecclesia dicitur Episcopus: hoc tamen superaddito, quod debet Ecclesia promittere restitutionem faciendam, si sit necesse aliquando in futuro tempore per inopinatam reversionem ipsorum, quibus de iure restitutio erat facienda. *Opusc.* 73. *cap.* 16.

20. *Quær.* A quibus restitutio sit facienda?

Resp. Div. Th. Alia regula generalis, non dimittitur peccatum iure Divino, & naturali, nisi restituatur ablatum, si restitui possit: sed non imputatur peccatum, nisi ei, qui abstulit, vel detinet rem alienam, quæ non est sua aliquo iusto titulo; ergo ab illo facienda est restitutio. Item ex præcepto iuris naturalis habemus: Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos illis eadem faciatis: sed iusta voluntate vult spoliatus re propria, ut spoliator ei restituat, quare spoliator debet iuste restituere spoliato. Sed quis ultra usurarium possit dici spoliator rei alienæ, sive detentor, in materia usuræ, ita quod teneatur ad restitutionem in quibusdam casibus, non est ita clarum. Quæritur primo de uxore usurarii defuncti, de filiis, & filiabus, de pauperibus, qui munera, & eleemosynas acceperunt, de operariis, & mercatoribus, de fautoribus, qui fovent usurarios, & defendunt, sicut aliquæ Civitates, & aliqui Principes fovent, & defendunt. Ad hoc dico primo, sicut quis non satisfacit Deo de iniuria sibi illata, nisi per pœnitentiam, ita nec proximo de re iniuste expoliato, nisi per iustam restitutionem. Unicuique vero secundum gradum sui delicti competit restitutio ablati, v. gr. motores, auctores, aut fautores, & participantes. Circa participantes vero, aut scienter, aut ignoranter fuerunt participes: si nesciunt, si pro necessitate corporali compelluntur, sicut accidit pauperibus mendicantibus, non peccant, nec tenentur ad restitutionem: si sciunt, aut sunt usurarii notorii, aut non notorii: si notorii, tunc omnis accipiens ab eis peccat, propter scandalum, & quia ipso iure sunt excommunicati. Si vero non sunt notorii, aut aliquid creduntur habere de bono proprio præter usuras, aut nihil; si nihil, tunc restitutio facienda est, cui debetur. Si aliquid, tunc accipi possunt sine peccato eleemosynæ, &

mu-

munera, & ad restitutionem non obligantur. Et sic aliquando excusantur filii, & filiæ in domo parentum usurariorum, qui alias nequeunt victum sibi necessarium invenire, & similiter uxor, & operarii, & artifices; isti tamen possunt peccare communicando opera sua, si aliter possunt ab aliis lucrari eadem facilitate sine periculo conscientiæ. Uxor tamen usurarii tenetur ad restitutionem pro marito defuncto, secundum quod bona male acquisita devoluta sunt, & quocumque modo de istis facta est ditior; sicut & filii, & hæredes, sed si nihil de talibus bonis ad eos devolvitur, tunc nullus tenetur ad restitutionem; nihil enim est restituendum, nisi alienum, *Opusc.* 73. *cap.* 17.

21. *Quær.* Qualiter restitutiones usurarum faciendæ sint?

Resp. Div. Th. Usurario notorio necessitatis est ad salutem publice, & in manu Ecclesiæ restitutiones faciendas promittere, & firmare; quod alias privaretur de iure Sacramento salutis, & Christiana sepultura. Circa modum aliter iudicandum est de furto, & rapina, & aliter de usura, quia in usura aliqualiter transfertur dominium iure fori civilis, licet non iure poli sed nullo modo in aliis. Unde equus furto ablatus in cuiuscumque manus transierit, semper est restituendus etiam iure fori, non sic si equus per usuram est acceptus: quare aliter iudicandum est de usura, & dicendum, quod sufficit si fiat restitutio pretii; cuius ratio est duplex, quia, quod accipitur ultra sortem, non aufertur per violentiam aliquam illata domino, saltem præsumptive, in foro laicali, sicut est in furto, & rapina; & ideo proprie non dicitur ablatum, sed potius acceptum contra iustitiam naturalem, & divinam: quod ablatum est per furtum, idem numero restituendum est, etiamsi melioretur. Alia causa est ex natura permutationis, & mutui; sicut enim in mutuis non est necesse, quod idem numero reddatur, sed tantum æquale in pretio, ita nec in superabundantia accepta ratione mutui, est necesse idem restituere, sed sufficit æquivalens in pretio. Totum id, quod dici potest de furto, & rapina, non habet locum in usuris, eo quod huiusmodi usuræ non destruunt bonum Reipublicæ de sua ratione, sicut faciunt furta, & rapinæ, sed tantum corrumpunt bonum personale, sive fraternum bonum, & hoc non inferendo malum, sed tantum in non faciendo bene fieri debitum. Quo vero ordine restituendum sit, videatur infra in dist. de restitutione in generali. *Opusc.* 73. *cap.* 18. & 19.

22. *Quær.* Quænam sint pœnæ statutæ in iure, & etiam extraordinariæ contra usurarios?

Resp. Div. Th. Pœnæ publicæ vitiis publicis sunt infligendæ: ideo usurarii publici pœna iuris coercendi sunt, & aliquando propter contumaciam comitantem est etiam pœna iudicis adiungenda. Pœna vero iuris triplici coercentur, scilicet quod prohibentur ad sanctam Communionem recipi, & ne similiter recipiantur eorum oblationes in altari, & ne recipiantur in Christianorum sepultura; & hæc tria habentur *extra cap. Quare in omnibus fere*. Et insuper additur pœna his, qui contra fecerunt, scilicet suspensionis, nisi per arbitrium Episcopi sui prius satisfecerint, & insuper etiam consequitur tales nota infamiæ. Specialiter autem super his pœnis possunt Clerici iure ab officiis suspendi, si fuerint usurarii. *Extra eodem cap. Pluries Clericorum*. Contumaces qui non corriguntur, debet Iudex per depositionis sententiam coercere: Laicos vero per excommunicationis sententiam cohibere, ut habetur *extra eodem cap. Prædicta*. Item si non sufficit iustitia Ecclesiastica, debet iustitia laicalis in auxilium advocari. *Extra deinde. Cum vero ab homine dist.* 17. *nec licuit*. In foro autem pœnitentiali, ubi de correctione peccati agitur, sic compellendi sunt usurarii ad restitutionem, ut beneficium absolutionis eis denegetur, nisi restitutionem faciant plenam, quantum potuerint, aut dilationem petierint ab his, quibus tenentur restituere. Aut si sint impotentes ad restitutionem faciendam, promittant Deo, & Confessori suo, quod si aliquando ad frugem proprietatis venirent, se restituros pro sua facultate. Aut certe remissionem postulabunt ab his, quibus restituere tenentur, alias non debent absolvi in foro pœnitentiæ. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, concludit Augustinus. *Opusc.* 73. *cap.* 21. & *ultimo*.

DE ARTE CAMPSORIA, PIGNORE, DEPOSITO, LUDO, &c.

23. *Quær.* Quid sit ars Campsoria, & an liceat?

Resp. Div. Th. Dicimus campsoriam esse permutationem numismatum, quæ causa lucri exercetur. Ars campsoria de se est iusta; & ratio est, quia illud, quod plus accipitur a Campsoribus in permutatione monetæ, non accipitur ratione pecuniæ, quæ de se est invendibilis, sed ratione periculi, vel interesse, & ut subveniant salariis ministrorum, & laboribus, & expensis necessariis, ne frustra campsores ponant operam, & sudorem suum in re licita ad utililatem aliorum. Et illud quod accipi videtur, transit in dominium accipientis per simplicem voluntatem dantis; cum actus campsorius non debeat fieri gratis, sicut actus mutui. *Opusc.* 73. *cap.* 13.

24. *Quær.* Quando non excusatur permutatio pecuniæ, etsi habeat annexum periculum, vel dubium?

Resp. Div. Th. Si quis pecuniam alicui commiserit, puta centum libras ad decem annos, ita quod si infra hoc tempus mortuus fuerit, alter ipsorum liberatus sit a debito: si vero supervixerint ambo, dabit post decem annos ducentas quinquaginta libras ei, qui dedit pecuniam; iste contractus non excusatur propter dubium, & periculum ab usura, quia ex causa temporis permutatio hæc fit, & videtur etiam superabundare acceptum super datum. *Opusc.* 73. *cap.* 6. *& alibi*.

25. *Quær.* An in locatione lucrum accipere licitum sit?

Resp. Div. Th. Si locans accipit aliquid ultra rem locatam, hoc habet rationem æquitatis, quia illud recompensatur per usum rei locatæ, qui est proprietas locantis, & pertinet ad eius sortem, idest ad rem locatam, cuius proprietas simpliciter manet apud locantem, & ideo periculum etiam ipsius remanet apud locantem. *Opusc.* 73. *cap.* 8.

26. *Quær.* Quid sit pignus?

Resp. Div. Th. Pignus est aliud ab ipsa re, pro qua datur; debet tamen tantum valere, quantum valet res, pro qua ponitur, & differt a re pro qua ponitur; quia pleniori iure possidetur res quando iam habetur, quam pignus, quia res possidetur ut quid suum, pignus vero servatur, & tenetur quasi pro certitudine rei habendæ, *ad* 2. *Cor. cap.* 5. *Lect.* 2. Circa hoc notandum, quod mandatur *Deuter.* 24. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quod debet tibi, non ingredieris in domum eius, ut pignus auferas, sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit; tum quia domus est tutissimum unicuique receptaculum, unde molestum homini est, ut in domo sua invadatur: tum quia non conceditur creditori, ut accipiat pignus, quod voluerit, sed magis debitori, ut det quod minus indiguerit, 1. 2. *q.* 103. *art.* 2. *ad* 3.

27. *Quær.* De Deposito quid sit de eo iudicandum?

Resp. Div. Th. Depositum traditur in utilitatem deponentis. Lex instituit, ut deposita reddantur, quia hoc iustum est; sed quia quandoque contingit, quod voluntas depravatur, est aliquis casus, in quo depositum non est reddendum, ne homo perversam voluntatem habens, male eo utatur, utputa si furiosus, vel hostis Reipublicæ arma deposita reposcat. Et absolute impugnatori Patriæ non est depositum reddendum, vel aliquid huiusmodi, *p.* 2. *q.* 105. *art.* 2. *ad* 5. *&* 2. 2. *q.* 51. *art.* 4. *& q.* 120. *art.* 1. *in corp.*

28. *Quær.* Quomodo Depositarius teneatur restituere depositum?

Resp. Div. Th. Ille qui accipit Depositum, in nullo tenetur ratione acceptionis, quin immo accipiendo impendit obsequium; tenetur autem ratione rei, & propter hoc si ei subtrahatur res absque sua culpa, puta si depositum esset captum ab hostibus, vel animal ex causa inevitabili, & necessaria esset mortuum; nihil reddere tenetur, sed solum ad expurgandam suspicionem fraudis tenetur iuramentum præstare. Secus autem esset si cum magna sua culpa rem depositam amitteret, ex causa evitabili, puta per furtum, & tunc propter negligentiam custodis reddere tenetur, *p.* 2. *q.* 105. *art.* 2. *ad* 5. *&* 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *in corp.*

29. *Quær.* An in excessu ludi etiam liciti possit esse peccatum?

Resp. Div. Th. Superfluum in ludo acci-

cipitur, quod excedit regulam rationis, quod quidem potest esse dupliciter; uno modo ex ipsa specie actionum, quando scilicet utitur aliquis causa ludi mendacio, & turpibus verbis, vel factis, quæ vergunt in proximi nocumentum. Alio modo potest esse excessus in ludo debitarum circumstantiarum, puta cum aliqui utuntur ludo, vel temporibus, vel locis indebitis, aut etiam propter convenientiam personæ, & hoc quidem est peccatum mortale propter vehementiam affectus in ludum, cuius delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra præceptum Dei, vel Ecclesiæ talibus ludis uti non refugiat. Quandoque autem est peccatum veniale, puta si aliquis non tantum afficiatur ad ludum, quod propter hoc velit aliquid contra Deum committere, 2. 2. *q. 168. art. 3. in corp.*

30. *Quær.* An ludus aleatorum, vulgo *la Bassetta*, sit prohibitus, & obnoxius restitutioni?

Resp. Div. Th. Ipsum lucrum Aleatorum est lege prohibitum: sed in hoc est distinguendum, quia aliquid circa ludum est prohibitum lege naturali, & divina, ut quod aliquis lucretur ab his, qui rem suam alienare non possunt, sicut sunt minores, furiosi, & similes, & iterum, quod aliquis alterum trahat ex cupidine lucrandi. Sic secundum ius positivum omne tale lucrum est interdictum. Quia autem ius positivum per dissuetudinem abrogatur, non autem ius divinum; ideo dicendum videtur, quod si lucratus est ab eo, qui non habuit potestatem alienandi, tenetur ad restitutionem ei; si autem lusit cum eo, qui habet potestatem alienandi, quæ sua sunt: si tractus lusit, & amisit, potest repetere; si lucratus est, non tenetur restituere. Si autem alium traxerit, si amisit non competit ei repetitio, si autem lucratus est, tenetur ad restitutionem illi, a quo lucratus est, 4. *sent. dist. 15. q. 2. quæstiunc. 3. ad 3.*

31. *Quær.* De ultimis voluntatibus, & & præcipue de Testamento quid sit?

Resp. Div. Th. Testamentum proprie est hæreditatis percipiendæ institutio filii a Patre. Testamentum necesse est secundum leges certo numero Testium confirmare, & non confirmatur nisi per mortem; quia ut *Apost.* dicit *Heb. 9.* Testamentum in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet dum vivit qui testatus est, 4. *sent. dist. 8. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3. & lect. 6. cap. 11. prim. ad Cor. & lect. 8. cap. 4. ad Galat.*

32. *Quær.* Qui nam filii possunt succedere in hæreditate?

Resp. Div. Th. Quatruplex est status filiorum. Quidam sunt naturales, & legitimi, sicut qui nascuntur ex legitimo matrimonio. Quidam sunt naturales, & non legitimi, ut filii, qui nascuntur ex simplici fornicatione; quidam sunt legitimi, & non naturales, sicut filii adoptivi. Quidam nec legitimi, nec naturales, sicut spurii nati de adulterio; tales enim nascuntur & contra legem positivam, & expresse contra legem naturæ. Filius illegitimus duplex damnum incurrit. Unum quia non admittitur ad ea, quæ sunt legitimorum filiorum, sicut ad officia, & dignitates: aliud damnum incurrunt, quia non succedunt in hæreditate paterna. Sed tamen naturales filii succedere possunt in sexta parte tantum; spurii autem in nulla parte, quamvis ex iure naturali parentes eis in necessariis providere teneantur. Unde pertinet ad sollicitudinem Episcopi, ut utrumque parentum cogat ad hoc, quod eis provideant, 4. *sent. dist. 41. q. 1. art. 3. per totum.*

33. *Quær.* An mulieres succedant in hæreditate paterna?

Resp. Div. Th. Mulieres non succedunt in bonis paternis, nisi ex defectu filiorum. Tunc ad filiam transibit hæreditas. Hoc autem est necessarium, ut successio mulieribus concedatur in consolationem Patris, cui grave esset, si eius hæreditas omnino ad extraneos transiret. Optima cautela esset, ut mulieres succedentes in hæreditate paterna nuberent in loco, vel civitate sua, ne civitates destruantur, si possessiones ad mulieres pervenirent extra civitatem suam, ut *Philosop.* dicit *in 2. Polit. p. 2. q. 105. art. 2. ad 2.*

34. *Quær.* An filius illegitimus possit legitimari?

Resp. Div. Th. Filius illegitimus potest legitimari, non ut fiat de legitimo coitu natus, quia ille transivit, & nunquam potest fieri legitimus hoc pacto, ex quo semel fuit illegitimus: sed dicitur legitimari in quantum damna, quæ filius

filius illegitimus incurrit subtrahuntur per legis authoritatem. Et sunt sex modi legitimandi, duo secundum Canones, scilicet cum quis ducit uxorem illam, ex qua filium illegitimum generavit, si non fuit adulterium, & per specialem indulgentiam, & dispensationem Domini Papæ. Quatuor autem alii modi sunt secundum leges. Primus est si Pater filium naturalem Curiæ Imperatoris offert: ex hoc enim ipso legitimatur propter Curiæ honestatem. Secundus si Pater testamento nominet eum legitimum hæredem, & postmodum Testamentum Imperatori offert. Tertius est si nullus sit filius legitimus, & ipsemet filius se ipsum Principi offert. Quartus est, si Pater in publico instrumento, vel cum trium testium subscriptione eum legitimum nominat, nec adiicit naturalem. Si enim aliquando legitimus privetur hæreditate pro culpa, non tamen dicitur illegitimus filius, quia generationem legitimam habuit, 4. *sent. dist.* 41. *art.* 3. *q.* 3. *ad* 3.

35. *Quær.* De adoptione quid sit, & quomodo fiat?

Resp. Div. Th. Adoptio est extraneæ personæ in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima assumptio. Et homo dicitur aliquem in filium adoptare secundum quod ex gratia dat ius percipiendæ hæreditatis suæ, cui per naturam non competit. Cum filiatio adoptionis sit quædam imitatio filiationis naturalis; ideo duplex est adoptionis species, una, quæ perfecte imitatur naturalem filiationem, & hæc vocatur abrogatio, per quam reducitur adoptatus in potestatem adoptantis, & sic adoptatus succedit patri adoptanti ex intestato, nec potest cum Pater sine culpa privare quarta parte hæreditatis: sic autem adoptari non potest, nisi ille, qui sui iuris est, qui scilicet postquam adoptatur, non habet aliam potestatem, aut si habet est mancipatus, & hæc adoptatio non fit nisi authoritate Principis. Alia est adoptatio, quæ imitatur naturalem filiationem imperfecte, quæ vocatur simplex adoptio, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis, unde magis est dispositio quædam ad perfectam adoptionem, quam adoptio perfecta; & secundum hanc potest adoptari etiam ille, qui non est sui iuris, & sine auctoritate Principis ex auctoritate Magistratus, & sic adoptatus non succedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis suis in testamento dimittere, nisi velit, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 2. *art.* 1. *per totum*.

36. *Quær.* Quænam ætas requiratur in adoptante, & adoptato?

Resp. Div. Th. In hoc differt spiritualis cognatio a legali, quod spiritualis cognatio contrahitur per Sacramentum, quo fideles renascuntur in Christo, in quo non differt masculus a fœmina, servus, & liber, iuvenis, & senex: & ideo indifferenter quilibet potest effici pater spiritualis alterius; sed adoptio fit per hæreditatis successionem, & quamdam subiectionem adoptati ad adoptantem; non autem est conveniens, quod antiquior inveni in cura rei familiaris subdatur, & ideo minor non potest adoptare seniorem, sed oportet secundum leges, quod adoptatus sit in tantum adoptante iunior, quod possit eius naturalis esse filius, & ideo qui habent impedimentum perpetuum ad generandum, eis non competit adoptare, quia non indigent solatio contra carentiam filiorum; sicut illi, qui habuerunt, & amiserunt, vel etiam qui habere potuerunt, sed aliquo impedimento accidentali carent, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 4. *&* *ad* 9.

37. *Quær.* An propinqui possint adoptari?

Resp. Div. Th. Propinquus iure propinquitatis debet succedere in hæreditate, & ideo non competit ei, quod per adoptionem ad successionem deducatur; & si aliquis propinquus, cui non competat successio hæreditatis adoptetur, non adoptatur inquantum est propinquus, sed inquantum est extraneus a iure successionis in bonis adoptantis. Oportet etiam quod quidquid est in potestate filii transeat in potestatem Patris adoptantis; unde eo adoptato, adoptantur filii, & nepotes, qui sunt in potestate adoptati, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 7. *&* *art.* 3. *ad* 4.

38. *Quær.* Quinam sint, qui possunt adoptare, & per consequens testamentum condere?

Resp. Div. Th. Adoptio ordinatur ad hæreditatis successionem, & ideo illis solis competit, qui habent potestatem disponendi de hæreditate sua. Unde ille, qui

qui non est sui iuris, ut sunt Religiosi, vel qui non sunt compotes sui, vel impediti, ut usurarii, hæretici, & similes, vel qui est minor viginti quinque annis non possunt testare, nec adoptare. Et mulieres quamvis possint testare, non possunt adoptare, nisi ex speciali concessione principis, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 3.

39. *Quær.* Quid importet Legatum in testamento?

Resp. Div. Th. Ratio enim Legati duo importat, scilicet quod non est res data simpliciter, nisi per mortem Legatoris; unde semper vivente Legatore potest revocari; & quod sint legata propter aliquam utilitatem legantis post mortem. Et ex his potest patere, quod legata inquantum huiusmodi sunt, non obligant secundum necessitatem iustitiæ, sed secundum devotionem, & utilitatem legantis. Quare cum necessaria ad salutem præcedant ea, quæ sunt devotionis, & supererogationis, iuste prius solvuntur debita ante legata, sicut etiam maiori iustitia restituenda sunt ablata, quam debita sint solvenda, cum in hoc impleatur iustitia tollens iniuriam factam Deo, & Proximo: in solutione vero debitorum nulla tollitur iniuria, sed tantum solvitur iniustitia. Sed contrarium fit si debita sunt clara, & manifesta, & restitutiones non sic, sed inquirendæ sunt; cum clarum semper præcedat obscurum in iure humano; sicut quando res, quæ debetur, esset determinata, scilicet centum, vel decem, sed restituenda non sic; determinatum iure præcedit indeterminatum inquantum huiusmodi, & ex hoc concluditur, quod quando restituenda sunt clara, & aperta, & determinata debent iure præcedere omnia debita, & multo magis legata, quia sunt secundum quid donatum simpliciter, quod tamen raro observatur, quia quod iuris est a paucis advertitur. Si forte igitur defunctus legavit omnia bona sua pauperibus, vel Ecclesiis, vel personis aliis, tunc sicut per virtutem testamenti acquiritur ius in bonis præsentibus, & paratis ipsius defuncti pauperibus, vel aliis, quibus legata sunt, & sic eis ius est acquisitum, in his tamen, quæ debentur alicui quocumque iure; in hoc casu ab exequutoribus prædicti Defuncti debet fieri prius restitutio, quæ sibi viventi forte facienda erat, *Opusc.* 73. *cap.* 16. *&* 18.

„ Circa hoc, & similia videantur in „ fonte Auctores, qui ex professo de his „ rebus tractant in particulari, cum hic „ solum generales doctrinas tradere ani„ mus sit. „

TRACTATUS XVIII.

De Octavo Decalogi Præcepto.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. *Exodi* 20.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid contineatur in hoc præcepto?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Prohibuit iam Dominus superius, quod nullus iniurietur proximo suo opere, nunc autem præcipit, quod non iniurietur verbo. Hoc autem potest esse dupliciter, vel in iudicio, scilicet, vel in communi locutione. In iudicio autem tribus modis, secundum quod tres personæ possunt facere contra hoc præceptum in iudicio. Primo scilicet persona accusando falsa; secundo persona mentiendo in testimonio ferendo; tertio persona iudicis male sententiando. De quibus omnibus infra agemus, *in quæst. de Accusatore, Teste, Iudice.* In communi vero locutione peccant detractores, susurratores, adulatores, murmuratores, & mendaces. *Opusc.* 4. *de octavo Præcepto.*

2. *Quær.* Quid sit detractio, quot modis fiat, & an sit peccatum gravius omnibus peccatis, quæ in proximum committuntur?

Resp. Div. Th. Detractio est denigratio

tio alienæ famæ per occulta verba; ficut enim facto aliquis nocet alteri dupliciter, manifeste quidem in rapina, occulte autem ficut in furto, ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquem lædit; uno modo in manifesto, & hoc fit per contumeliam; alio modo occulte, & hoc fit per detractionem: ex hoc autem, quod aliquis manifeste verba contra alium profert, videtur eum parvipendere, unde ex hoc ipso dehonoratur, & ideo contumelia detrimentum affert honori eius, in quem profertur: sed si verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis, quam parvipendere, unde non directe infert detrimentum honoris, sed famæ, inquantum huiusmodi verba occulte proferens, quantum in ipso est, eos, qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo, contra quem loquitur. Unde patet, quod detractio differt a contumelia dupliciter: uno modo, quia scilicet contumeliosus manifeste contra aliquem loquitur, detractor autem in occulto, contumeliosus derogat honori, detractor famæ: quod quidem fit quandoque directe, quandoque indirecte. Directe quidem quadrupliciter; uno modo quando detractor falsum imponit; secundo quando peccatum adauget suis verbis; tertio quando occultum revelat; quarto quando id, quod bonum est dicit mala intentione factum: indirecte autem vel negando bonum alterius, vel malitiose reticendo, vel minuendo. Detractio per se loquendo est peccatum mortale. Et quia peccata, quæ committuntur in proximum sunt pensanda per se secundum nocumenta, quæ proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpæ; tanto autem est maius nocumentum, quantum maius bonum demitur. Cum triplex sit bonum hominis, scilicet bonum animæ, quod est maximum, non potest alicui ab alio tolli, nisi occasionaliter, puta per malam persuasionem, quæ necessitatem non infert. Sed alia duo bona, scilicet corporis, & exteriorum rerum possunt ab alio violenter auferri; sed quia bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum, homicidium gravius est, per quod tollitur vita proximi iam actu existens, consequenter autem adulterium, quod est contra debitum ordinem generationis humanæ, per quam est introitus ad vitam. Consequenter autem sunt exteriora bona, inter quæ fama præeminet divitiis, eo quod propinquior est spiritualibus bonis: unde dicitur *Prov.* 22. Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ. Quare detractio est maius peccatum, quam furtum, minus tamen, quam homicidium, & adulterium. Potest tamen esse alius ordo propter circumstantias aggravantes, vel diminuentes; gravitas etiam peccati attenditur ex parte peccantis, quia gravius peccat si quis ex deliberatione peccet, quam si peccet ex infirmitate. Et secundum hoc peccata locutionis habent aliquam levitatem, inquantum de facili ex lapsu linguæ proveniunt absque magna præmeditatione. Unde si ex animi levitate, vel ex lapsu linguæ, vel propter causam aliquam non necessariam, dicat quis verba aliqua, per quæ diminuitur fama alicuius, non est peccatum mortale; nisi forte verbum, quod dicitur sit adeo grave, quod notabiliter famam alicuius lædat, & præcipue in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verbum habet rationem peccati mortalis, & tenetur quis ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem cuiuslibet rei subtractæ, 2. 2. *q.* 73. *art.* 1. *& ad* 3. *& art.* 2. *& art.* 3. *promiscue*.

Adest Proposit. damnat. ab Innocentio XI. quæ est 43. *Exinde nonnisi veniale peccatum sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere*.

3. *Quær.* In quibus casibus revelare malum occultum non sit peccatum?

Resp. Div. Th. Contingit quandoque, quod aliquis dicit verba aliqua per quæ diminuitur fama alicuius non hoc intendens, sed aliquod aliud, hoc autem non est detrahere per se, & formaliter loquendo, sed solum materialiter, & quasi per accidens, puta si verba, per quæ fama alterius diminuitur proferat aliquis propter aliquod bonum, vel necessarium debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio; puta si revelaret peccatum occultum alicuius, propter eius emendationem denuntiando, vel propter bonum iustitiæ publice accusando, 2. 2. *q.* 73. *art.* 2. *in corp. & ad* 1.

Recolatur Prop. 5. 6. & 7. damn. ab Alex. VII.

4. *Quær.*

4. *Quær.* An susurratio sit gravius peccatum quam detractio?

Resp. Div. Th. Supra dictum est, peccatum in proximum tanto est gravius, quanto per ipsum maius nocumentum proximo infertur, & nocumentum tanto maius est, quanto maius est bonum quod tollitur. Inter cætera exteriora bona præeminet amicus, quia sine amicis nullus vivere potest, ut patet per *Phil. in* 8. *Ethic.* & ideo susurratio est maius peccatum, quam detractio, inquantum susurro intendit amicitiam separare, secundum illud *Eccles.* 28. Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitiam, 2. 2. *q.* 73. *art.* 1. *&* 2. *promiscue.*

5. *Quær.* An qui audit, vel tollerat detrahentem, & susurrones, peccet graviter?

Resp. Div. Th. Digni sunt morte non solum qui peccata faciunt, sed etiam qui facientibus peccata consentiunt; secundum *Apost. ad Rom.* 1. Quod quidem contingit dupliciter; uno modo directe, si inducat eum ad detrahendum, vel placet ei detractio propter odium eius, cui detrahitur non minus peccat quam detrahens, & quandoque magis. Alio modo indirecte, scilicet quando non resistit, cum resistere possit, & hoc contingit quandoque, non quia peccatum placet, sed propter aliquem humanum timorem: si non placet ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus & plerumque venialiter. Quandoque etiam hoc potest esse peccatum mortale, si ex officio incumbit detrahentem corrigere, nam debet eum verbis redarguere, vel saltem ostendere, quod ei detractio displicet per tristitiam faciei, 2. 2. *q.* 73. *art.* 4. *in corp. &* *ad* 2.

6. *Quær.* Quid sit contumelia, convicium, & improperium, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Contumelia, ut supra dictum est, importat dehonorationem alicuius, & contumeliosi dicuntur, qui scilicet in faciem mala inferunt. Proprie loquendo convitium, & improperium consistunt in verbis, sicut & contumelia, ex eo quia per omnia hæc repræsentatur aliquis defectus alicuius in detrimentum honoris ipsius. Huiusmodi autem defectus est multiplex, scilicet defectus culpæ, qui repræsentatur per verba contumeliosa, & defectus pœnæ, qui repræsentatur per convitium: quando igitur aliquis iniuriose reducit ad memoriam auxilium quod contulit alicui necessitatem patienti, est improperium. Si quis alicui iniuriose dicat, eum esse cæcum, vel stultum, convitium dicit; si quis autem dicat alteri, quod sit fur, vel avarus, non solum convitium, sed etiam contumeliam infert. Sed quia verba inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, & ideo peccatum convitii, vel contumeliæ ex animo dicentis dependet. Cum ergo convitium, seu contumelia de sui ratione importet quandam dehonorationem, si intentio proferentis ad hoc feratur, ut aliquis per verba, quæ profert, honorem alterius auferat, hoc proprie, & per se est dicere convitium, vel contumeliam, & hoc est peccatum mortale, non minus quam furtum, vel rapina. Non enim homo minus amat suum honorem, quam rem possessam. Si vero aliquis verbum convitii, vel contumeliæ alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, sed forte propter correctionem, vel ex animi levitate, vel ex levi ira, absque firmo proposito aliquem dehonorandi, sed solum intendat leviter contristare, hoc potest esse quandoque peccatum veniale, quandoque autem absque omni peccato, si causa disciplinæ, vel delectationis causa, vel ioci fiat. In quo tamen necessaria est discretio, ut moderate homo talibus verbis utatur, quia posset esse grave convitium, etiamsi non intenderet dehonorationem alterius, sicut si aliquis incaute ex ludo percutiens graviter lædat, culpa non caret, 2. 2. *q.* 72. *art.* 1. *in corp. & ad* 3. *& art.* 2. *in corp. & ad* 3. *promiscue.*

7. *Quær.* An aliquis semper debeat contumelias tollerare?

Resp. D. Th. Sicut patientia necessaria est in his, quæ contra nos fiunt, ita etiam in his, quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his, quæ contra nos fiunt, sunt in præparatione animi habenda, sicut *Aug.* dicit *in lib.* 1. *de serm. Domini cap.* 34. Non tamen semper tenemur facere actu. Sic tenemur enim habere animum paratum ad contumelias

tollerandas, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet, ut contumeliam illatam repellamus propter duo. Primo, propter bonum eius, qui contumeliam infert, ut videlicet eius audacia reprimatur, ut de cætero talia non attentet. Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Unde *Greg. in Hom. 9. in Ezech.* dicit: Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentia verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes, bene vivere comtemnant, & hoc propter officium charitatis, non propter cupiditatem privati honoris, 2. 2. *q.* 72. *art.* 3. *in corp. & ad* 1.

Recolatur tamen propos. 17. damn. ab Alex. VII. & 18. & 30. damn. ab Inn. XI.

8. *Quær.* An aliquando quis possit peccare infamiam non repellendo?

Resp. Div. Th. Contemptus famæ, & appetitus potest esse laudabilis, & vituperabilis, & vitiosus; fama enim non est necessaria homini propter se ipsum, sed propter proximum ædificandum: appetere ergo famam propter proximum charitatis est, appetere autem propter se ipsum, ad inanem gloriam pertinet. E converso contemptus famæ, ratione sui ipsius humilitatis est, ratione vero proximi ignavia est, & crudelitas; illi ergo, quibus incumbit ex officio, vel statu perfectionis aliorum saluti providere, peccant, nisi infamiam propriam iuxta posse repellant. Alii vero, quibus magis custodia suæ propriæ salutis imminet, possunt suæ humilitati providentes famam, vel infamiam contemnere; sed cum infamia dupliciter repellatur, scilicet occasionem qualemcumque subtrahendo, & linguas detrahentium compescendo, primo modo omnes tenentur infamiam vitare, scilicet occasionem; secundo modo non tenentur, nisi quatenus debet aliquis saluti proximorum providere. *Quodlib.* 10. *art.* 13. *in corp.*

9. *Quær.* Quomodo, & quando sit laudabile silentium in contumeliis?

Resp. Div. Th. Si aliquis hoc animo taceret, ut tacendo contumeliantem ad iracundiam provocaret, hoc pertinet ad vindictam: sed si aliquis tacet volens dare locum iræ, hoc est laudabile, 2. 2. *q.* 72. *art.* 3. *ad* 3.

10. *Quær.* Quot modis aggravetur linguæ peccatum?

Resp. Div. Th. Linguæ peccatum aggravatur dupliciter: primo ex circumstantiis, secundo ex conditione personæ; aggravatur primo frequentia, quia si aliquando quis committat aliquod peccatum, quodammodo tollerabile est, vel si ex lapsu linguæ aliquod inordinatum dicat, facilius portatur; si quis autem os suum impleat maledictionibus, tunc ex malitia propria procedit; aggravatur etiam peccatum linguæ ex dolositate, & fallacia; aggravatur etiam peccatum linguæ ex conditione personarum, & primo ex conditione loquentis, secundo ex conditione eius contra quem loquitur, tertio ex conditione audientium: ex conditione inquam loquentis, puta si dicat amarum verbum commotus, & provocatus, hoc utcumque est tolerabile; sed quod quando aliquis quieto corde non provocatus dicit mala, hoc inquam, est detestabile; ex persona eius contra quem loquitur aggravatur peccatum, quia si loqueretur contra iniquum, malum esset, sed loqui adversus fratrem, hoc peius; aggravatur etiam ex parte eorum, qui ex hoc scandalizantur. *Super Psal.* 49.

11. *Quær.* Quomodo qui abstulit famam alterius teneatur ad refectionem?

Resp. Div. Th. Aliquis potest alicui famam tripliciter auferre; uno modo verum dicendo, & iuste, puta cum quis crimen alicuius prodit ordine debito servato, & tunc non tenetur ad restitutionem famæ. Alio modo falsum dicendo, & iniuste, & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse; tertio autem modo verum dicendo, sed iniuste, puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, & tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen, utpota ut dicat se malum dixisse, vel quod iniuste illum diffamaverit; vel si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare, puta vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione personæ; nam actio contumeliam inferentis non potest fieri quod non fuerit, potest tamen fieri ut eius effectus, scilicet diminutio dignitatis personæ, in opinione hominum reparetur per exhibitionem reverentiæ, 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 2. & *ad* 3.

12. *Quær.*

12. *Quær.* Quid sit adulatio, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Sicut detractio est malum, ita & adulatio; nam si aliquis in omnibus velit ad delectationem alteri loqui, excedit modum in delectando, & ideo peccat per excessum; & si quidem hoc faciat sola intentione delectandi, vocatur placidus, secundum *Philosoph. lib.* 4. *Ethic. cap.* 6. Si autem hoc faciat intentione alicuius lucri consequendi, vocatur blanditor, sive adulator: communiter tamen nomen adulationis attribui solet omnibus, qui supra debitum modum virtutis volunt alios verbis, vel factis delectare in communi conversatione. Peccatum mortale est adulatio si charitati contrariatur, puta cum aliquis laudat alicuius peccatum, vel cum aliquis adulatur ad hoc, quod fraudolenter ei noceat, vel corporaliter, vel spiritualiter, vel si laus adulatoris sit alteri occasio peccandi, etiam præter adulatoris intentionem: & in hoc considerare oportet, utrum sit occasio data, vel accepta, & qualis ruina sequatur, sicut dictum est de scandalo. Si autem aliquis ex sola aviditate delectandi alios, vel etiam ad evitandum aliquod malum, vel consequendum aliquid in necessitate, alicui adulatus fuerit, non est contra charitatem: unde non est peccatum mortale, sed veniale, 2. 2. *q.* 115. *art.* 1. *&* 2. *in corp.*

DE MENDACIO.

13. *Quær.* De mendacio, quid sit?

Resp. Div. Th. Mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi, ut ait *Aug. in lib. de Mendacio cap.* 4. Tria concurrunt ad mendacium, quod scilicet falsum sit quod enunciatur, & quod adsit voluntas falsum enunciandi, & iterum intentio fallendi. Tunc est falsitas materialiter, quando falsum dicitur; est formaliter, si falsum dicitur propter voluntatem falsum dicendi; est effective, si falsum dicatur propter voluntatem falsitatem imprimendi: ratio tamen mendacii sumitur a formali falsitate, secundum hoc scilicet, quod aliquis habet voluntatem falsum enunciandi: unde & mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur; & ideo si quis falsum enuntiet credens id esse verum, est quidem falsum materialiter, sed non formaliter, quia falsitas est præter intentionem dicentis, unde non habet perfectam rationem mendacii; id enim, quod præter intentionem dicentis est, per accidens est, unde non potest esse specifica differentia: si vero aliquis formaliter falsum dicat, habens voluntatem falsum dicendi, licet sit verum id, quod dicitur, in quantum tamen huiusmodi actus est voluntarius, & moralis, habet per se falsitatem, & per accidens veritatem, unde ad speciem mendacii pertingit; quod autem aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quamdam perfectionem, & complementum ipsius. Unde nemo dubitet mentiri eum, qui falsum enunciat causa fallendi, 3. *sent. dist.* 38. *art.* 1. *&* 2. 2. *q.* 110. *art.* 1. *in corp.*

14. *Quær.* An mendacium fiat solum vocibus, an etiam nutibus?

Resp. Div. Th. Voces præcipuum locum tenent inter alia signa, sicut *Aug.* dicit *in lib.* 2. *de Doctrina Christiana*, & ideo cum dicitur, mendacium est falsa vocis significatio, nomine vocis intelligitur omne signum; unde qui aliquod falsum nutibus significare intenderet, non esset a mendacio immunis, 2. 2. *q.* 110. *art.* 1. *ad* 2. *&* 3. *sent. dist.* 38. *art.* 1. *ad* 2.

15. *Quær.* An illi mentiantur, qui narrant res a se visas, vel lectas, vel auditas, non eodem modo, nec iisdem verbis?

Resp. Div. Th. Non debemus nos arbitrari mentiri aliquos, si pluribus reminiscentibus rem, quam audierunt, vel viderunt, non eodem modo, neque eisdem verbis eadem res fuerit indicata. Etiam in Evangelio, & in aliis Scripturis sacris verba aliquorum diversimode recitantur, & in hoc non est mendacium, 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 1. Sicut etiam qui disputando falsum loquitur, quamvis scienter, non mentitur, nisi asserendo dicat, quia non ex sua persona falsum illud enuntiat, sed gerens personam veritatem negantis, 3. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 1.

Error Priscilliani sæcul. 4. *Mendacium non est peccatum, etiam iuncto iuramento.*

16. *Quær.* An sit mendacium, quando non servatur promissum?

Resp. Div. Th. Qui promittit, si habet animum faciendi quod promittit, non mentitur, quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Requiritur tamen, quod omnia immutata permaneant, alioquin si non facit, non est mendax in promittendo, quia promittit, quod habet in mente, subintellectis debitis conditionibus, scilicet si non sint eædem mutatæ conditiones personarum, & negotiorum (ut alibi dictum est) 2. 2. *q.* 110. *art* 3. *ad* 5.

17. *Quær.* Quotuplex est mendacium, & quale peccatum?

Resp. Div. Th. Mendacium sufficienter dividitur per mendacium officiosum, iocosum, & perniciosum; mendacium iocosum est, quando fit causa ludi; mendacium perniciosum est, quod fit causa nocumenti; mendacium officiosum est, quod fit causa utilitatis. Omne mendacium ex genere suo est malum; est enim actus cadens super indebitam materiam. Cum enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est, & indebitum, quod aliquis voce significet id, quod non habet in mente: unde omne mendacium est peccatum, & est per se pravum, & fugiendum. Si vero finis mendacii intellectus non sit contrarius charitati, mendacium secundum hanc rationem non erit peccatum mortale, sicut apparet in mendacio iocoso, in quo intenditur aliqua levis delectatio; & in mendacio officioso, in quo intenditur etiam utilitas proximi. Potest tamen mendacium contrariari charitati tripliciter: uno modo, secundum se, alio modo, secundum finem intentum, tertio modo, per accidens. Secundum se quidem contrariatur charitati ex ipsa falsa significatione si sit circa res divinas, cuius veritatem aliquis mendacio occultat, vel corrumpit, & huiusmodi mendacium non solum opponitur virtuti charitatis, sed etiam virtuti fidei, & religionis, & hoc mendacium est gravissimum, & mortale. Si vero falsa significatio sit circa aliquid, cuius cognitio pertineat ad hominis bonum, puta ad perfectionem scientiæ fidei, & informationem morum, tale mendacium infert damnum proximo, & contrariatur quantum ad dilectionem proximi, & sic est peccatum mortale. Ratione vero finis intenti aliquod mendacium contrariatur charitati, puta si in iniuriam Dei, aut in nocumentum proximi, scilicet quantum ad personas, divitias, vel famam, & hoc est peccatum mortale; cum graviter nocere proximo sit peccatum mortale. Mendacium iocosum, & officiosum, quod de se non est peccatum mortale, per accidens potest contrariari charitati, ratione scandali, vel cuiuscumque damni consequentis, & sic erit peccatum mortale, dum scilicet aliquis non veretur propter scandalum publice mentiri, maxime si veritatem teneatur conservare ex suo officio in iudicio, vel doctrina, 2. 2. *q.* 110. *art.* 2. *&* 3. *&* 4. *per totum*.

Recolatur prop. 24. damn. ab Inn. XI. videlicet. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem*.

18. *Quær.* An sit maius peccatum mentiri factis, vel verbis?

Resp. Div. Th. *Ambrosius* dicit, quod non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est; peccatum autem mendacii principaliter quidem consistit in intentione fallendi: unde ille, qui dicit falsum, quod putat esse verum, non mentitur; magis autem est reus mendacii ille, qui dicit verum, quod putat esse falsum, ut patet per *Aug. in lib. de Mendacio*, ut supra dictum est. Unde cum eadem intentio fallendi sit in eo, qui mentitur verbo, & in eo, qui mentitur facto, uterque æqualiter peccat, verbum enim, & factum æqualiter assumuntur, ut instrumentum fallendi: unde non refert, quantum ad peccatum mendacii, utrum aliquis verbo, vel scripto, vel nutu, vel quocumque facto mentiatur, sicut non refert quantum ad peccatum homicidii, utrum quis gladio, vel securi interficiat hominem. *Quodlib.* 6. *art.* 17. *in corp.*

19. *Quær.* An liceat dicere mendacium, ut alius ab aliquo periculo liberetur?

Resp. Div. Th. Mendacium, ut dictum est, non solum habet rationem peccati ex damno, quod infertur proximo, sed sua intrinseca inordinatione. Unde non licet uti aliqua illicita inordinatione nostra ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum; sicut non licet furari ad hoc, quod homo eleemosynam faciat, & ideo non est licitum mendacium dicere

ad


ad hoc, quod aliquis alium a quocumque periculo liberet, licet tamen veritatem occultare prudenter, sub aliqua dissimulatione, ut *Aug.* dicit *in lib. contra Mendacium*. 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 4. & 3. *sent. dist.* 38. *art.* 3. *in corp.*

20. *Quær.* An plures gradus assignentur in mendacio?

Resp. Div. Th. Ex D. *Aug. in lib.* 4. *de Mendacio*, assignantur plures gradus mendaciorum. Potest considerari primo, quando quantitas mendacii ex aliquo adiuncto augetur, & quia profanatio divinorum, ut supra dictum est, est conditio maxime aggravans, ideo mendacium, quod fit in doctrina Religionis ponitur primum: vel est nocumentum proximorum, quod quidem mitigatur, si nocumento aliqua utilitas adiungatur: & ideo in secundo ordine ponitur mendacium, quod obest, & nulli prodest; in tertio vero mendacium, quod alicui prodest, & nulli obest. Sed quia in quolibet genere peccati gravius est peccatum, quod ex habitu procedit, ideo quarto loco ponitur mendacium, quod fit ex libidine mentiendi: quinto loco ponitur mendacium, quod fit ex intentione placendi, vel delectandi: in sexto loco ponitur mendacium ad vitandum damnum, puta subtractionem pecuniæ, ad vitandam occisionem, ad vitandam deturpationem libidinis. Distinctio istorum graduum, & ordo accipitur cæteris paribus: unde in aliquo casu illud, quod est secundum, potest esse primum, & sic de aliis, 3. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 5. *in corp.*

21. *Quær.* Quomodo agendum est in quocumque periculo nostro, vel alieno, ne quis mentiatur, & quantum fieri potest periculum evitetur?

Resp. Div. Th. Si enim aliquis ad mortem quæratur simpliciter nobis interrogatis de eo sine loci determinatione, respondendum est, quod eum non prodemus, etiamsi oporteat nos tormenta sustinere. Si autem interrogemur, utrum sit in illo determinato loco, respondendum est, scio ubi est, sed non dicam. Sed quid faciendum est ipsi mulieri, puta si propter libidinem quæratur; quidam dicunt, quod si sentiat se perfectam, non debet mentiri, quia in ipsa violatione non consentiet, & sic immunis a peccato erit. Si autem sentiat se imperfectam, debet veniale peccatum committere potius, quam incurrat mortalis peccati periculum. Sed melius dicendum, quod si propositum non consentiendi habet, ut debet habere, spem suam in Deo ponere debet, qui non patitur tentari supra posse, & non debet venialiter peccare, quia ex hoc, quod ponitur aliquid debitum in aliqua actione, aufertur omnis ratio peccati; & ita omne mendacium non esset peccatum, quod est contra *Aug. in lib. de Mendac. cap.* 13. & ista æstimatio in subversionem fidei vergeret; ait enim, Non ita caveatur arrogantia, ut veritas relinquatur: cum humilitatis, & virtutis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris. Unde cum mendacium de se inordinationem habeat, non est mentiendum pro quocumque commodo nostro, vel alterius. 3. *sent. dist.* 29. *in expositione textus*, & 2. 2. *q.* 110. *art.* 3.



AD

AD OCTAVUM DECALOGI PRÆCEPTUM
TRACTATUS XIX.
DE IUDICIIS.
De Officio Iudicis, & eius obligationibus.

QUÆRITUR PRIMO.

Quæ partes requirantur in Iudice?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

PRimo requiruntur duo ad idoneitatem Iudicis, scilicet, ut sit sapiens, & ut sit iustus; insuper quod assumat animum recte iudicandi, quod consideret merita causæ, quod proferat cum certitudine sententiam iustam in iudicio, *super Psal.* 3. *& Psal.* 34.

2. *Quær.* Quid sit iudicium, & ad quam iustitiam pertineat?

Resp. Div. Th. Iudicium proprie nominat actum iudicii, inquantum Iudex est. Iudex autem dicitur, quasi ius dicens; ius autem dicitur obiectum iustitiæ, & ideo iudicium importat, secundum nominis impositionem, definitionem, vel determinationem iusti, vel iuris. Propter quod *Philosoph. in* 5. *Eth.* dicit, quod homines ad iudicem confugiunt, sicut ad quamdam iustitiam animatam. Iudicium vero dupliciter potest considerari; uno modo quantum ad ipsam rem iudicatam, & sic iudicium se habet communiter ad commutativam, & ad distributivam iustitiam; potest enim iudicio definiri, qualiter aliquid commune sit distribuendum in multos; & alio modo potest considerari quantum ad ipsam formam iudicii, prout scilicet iudex etiam in ipsa commutativa iustitia ab uno accipit, & alteri dat, & hoc pertinet ad distributivam iustitiam. Iudicium erit rectum, si iudex procedat ex inclinatione iustitiæ, si procedat ex auctoritate præsidentis, si proferatur iudicium secundum rectam rationem prudentiæ: quodcumque horum defuerit, iudicium erit vitiosum, & illicitum. Unde quando est contra rectitudinem iustitiæ, dicitur iudicium perversum, vel iniustum; quando homo iudicat in his, in quibus non habet auctoritatem vel Principis, vel Præsidentis, dicitur iudicium usurpatum; quando deest certitudo rationis, cum quis iudicat de his, quæ sunt dubia, vel occulta propter aliquas leves coniecturas, dicitur iudicium suspiciosum, & temerarium, & hoc directe ad iniustitiam pertinet, & est peccatum mortale, 2. 2. *q.* 60. *art.* 1. *q.* 63. *art.* 4. *ad* 1. *q.* 60. *art.* 2. *&* 3. *in corp.*

3. *Quær.* An sit semper iudicandum secundum leges scriptas?

Resp. Div. Th. Dictum est, iudicium nihil aliud est, quam quædam definitio, vel determinatio eius, quod iustum est: fit autem aliquid iustum dupliciter; uno modo ex natura rei, quod dicitur ius naturale; alio modo ex quodam condicto inter homines, quod dicitur ius positivum: leges autem scribuntur ad utriusque iuris declarationem; aliter tamen, & aliter; nam legis scriptura ius quidem naturale continet, sed non instituit, non enim habet robur ex lege, sed ex natura; ius autem positivum scripturam legis & continet, & instituit dans ei auctoritatis robur; & ideo necesse est, quod iudicium fiat secundum legis scripturam, alioquin iudicium deficeret vel a iusto naturali, vel a iusto positivo; ita tamen, quod si scriptura legis positivæ contineat aliquid contra ius naturale, non habet vim obligandi, ibi enim ius positivum locum habet, ubi quantum ad ius naturale nihil differt, aut determinat utrum potius sic, vel aliter fiat. Immo leges positivæ in aliquibus casibus deficiunt, in quibus si servarentur, essent contra ius naturale; & ideo in talibus non est secundum literam legis iudicandum, sed recurrendum ad æquitatem. Unde Iurisperitus in *Digest. veter. lib.* 1. *tit.* 3. *leg.* 24. di-

dicit: Nulla ratio iuris, aut æquitatis patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad feveritatem; & in talibus etiam legislator aliter indicaret, & si considerasset, lege determinasset, 2. 2. *q.* 60. *art.* 5. *in corp & ad* 1. *& ad* 2.

Hic recolatur prop. damn. ab Inn. XI. scilicet: *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem minus probabilem.*

Conc. Trid. *Sess.* 13. *cap.* 8. *Causæ Episcoporum, & pro criminis obiecti qualitate, etiam hæresis, comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur.*

Et *Sess.* 24. *de reform. cap.* 5. *Quod si huiusmodi sit causa, quæ necessario extra curiam sit committenda, nemini prorsus committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis a Beatissimo Papa eligendis. Hæc vero commissio specialis sit, & manu ipsius SS. Pontificis signata. Nec unquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reservata eidem Sanctissimo sententia definitiva.* Cætera sub Iulio III. & Inn. III. in Bulla quæ incipit, *Qualiter, & quando I. Synodus in præsenti innovat.*

4. *Quær.* An iudex possit condemnare aliquem, si non habeat accusatorem?

Resp. Div. Th. Iudex est interpres iustitiæ, & quædam iustitia animata. Iustitia autem non est ad se ipsum, sed ad alterum; & ideo oportet, quod iudex inter aliquos duos diiudicet, quod quidem fit, cum unus est actor, & alius est reus, & ideo in criminibus non potest aliquem iudicio condemnare iudex, nisi habeat accusatorem, secundum illud *Actor.* 25. Non est consuetum Romanis damnare aliquem hominem priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obiiciuntur, 2. 2. *q.* 67. *art.* 3.

5. *Quær.* An peccet iudex, qui condemnat reum, quem privata scientia cognoscit inocentem, qui tamen convictus est per falsos testes?

Resp. Div. Th. Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundum leges, & iura pronuntiat. Nam iudicare pertinet ad iudicem secundum quod fungitur publica potestate, & ideo informari debet in iudicando, non secundum quod ipse novit, tamquam privata persona, sed secundum id, quod sibi innotescit tamquam personæ publicæ: hoc autem innotescit sibi, & in communi, & in particulari; in communi per leges publicas, vel divinas, vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet: in particulari autem negotio per instrumenta, testes, & alia huiusmodi legitima documenta, quæ debet sequi in iudicando magis, quam id quod ipse novit tamquam privata persona. Sic igitur iudex si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, districtius discutere probationes, ut possit earum defectum investigare, ut inveniat occasionem liberandi innoxium; si autem hoc non potest, debet eum iudici superiori relinquere iudicandum; si autem hoc non potest, non peccat secundum allegata, & probata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui illum asserunt nocentem, 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. *in corp. & q.* 64. *art.* 6. *ad* 3.

6. *Quær.* An iudex peccet iuste infligendo pœnas?

Resp. Div. Th. Per Divinam providentiam ordinatum est, ut in terris sint homines, qui per pœnas sensibiles, & præsentes alios ad observantiam iustitiæ cogant, quos manifestum est non peccare dum malos puniunt; nullus enim peccat ex hoc quod iustitiam facit, 3. *contra Gentes cap.* 146.

7. *Quær.* Quænam qualitates debeant attendi in delicto pro qualitate, & quantitate pœnæ?

Resp. Div. Th. Non solum propter gravitatem culpæ, sed etiam propter alias causas gravis pœna infligitur. Primo propter quantitatem peccati, quia maiori peccato cæteris paribus pœna gravior debetur; secundo propter peccati consuetudinem, quia a peccatis consuetis non faciliter homo retrahitur, nisi per graves pœnas; tertio propter malam concupiscentiam, vel delectationem in peccato, ab his enim non de facili homines abstrahuntur, nisi per graves pœnas; quarto pro-

propter facilitatem committendi peccatum, & iacendi in ipso, huiusmodi peccata quando manifestantur, sunt magis punienda ad aliorum terrorem; circa unum, & idem factum quadruplex gradus est attendendus. Si quis involuntarius peccatum committit, si omnino est involuntarium totaliter excusatur a pœna; si sit voluntarium, sed tamen ex infirmitate, & ex passione, minuitur peccatum, & pœna secundum veritatem iudicii diminui debet, nisi forte propter communem utilitatem pœna aggravetur ad abstrahendum homines ab huiusmodi peccatis. Secundus gradus est quando quis per ignorantiam peccavit, & tunc aliquo modo reus reputatur propter negligentiam addiscendi: hoc intelligendum est de ignorantia facti, non autem de ignorantia iuris, maxime præcepti Divini, quod omnes scire tenentur. Tertius gradus, quando aliquis ex superbia peccat, idest ex certa electione, vel ex certa malitia, & tunc punitur secundum quantitatem delicti. Quartus autem gradus est, quando quis peccat per proterviam, & pertinaciam, & tunc quasi rebellis, & destructor ordinis legis, omnino occidendus est. Pœna mortis igitur infligenda est in gravioribus criminibus, scilicet in his quæ contra Deum peccantur, & in homicidio, & in furto hominum, quod dicitur plagium, & in irreverentia ad parentes, & in adulterio, & in incestibus. In furto aliarum rerum adhibenda est pœna damni; in percussoribus, & mutilationibus pœna talionis. In aliis autem minoribus culpis inducenda est pœna flagellationis, vel ignominiæ, vel exilii, *p.* 2. *q.* 105. *art.* 2. *ad* 9. *&* *ad* 10.

8. *Quer.* An iudex possit remittere pœnam reo?

Resp. Div. Th. Iudex habet iudicare inter accusatorem & reum, & ipse non infert sententiam quasi ex propria, sed quasi ex publica potestate. Duplici ergo ratione impeditur iudex, ne reum a pœna absolvere possit; primo quidem ex parte accusatoris, ad cuius ius quandoque pertinet, ut reus puniatur, puta propter aliquam iniuriam in ipsum commissam, cuius relaxatio non est in arbitrio alicuius iudicis, quia quilibet iudex tenetur ius suum reddere unicuique; alio modo impeditur ex parte Reipublicæ, cuius potestate fungitur, ad cuius bonum pertinet, quod malefactores puniantur. Sed tamen quantum ad hoc inter inferiores iudices delegatos, & supremum iudicem, scilicet Principem, cui est potestas publica commissa, est differentia. Iudex enim inferior non habet potestatem absolvendi reum a pœna contra leges a superiore sibi impositas. Sed Princeps, qui habet plenariam potestatem in Republica, si ille, qui passus est iniuriam, velit eam remittere, poterit reum licite absolvere, si hoc nulli, & maxime publicæ utilitati viderit non esse nocumenti, 2. 2. *q.* 67. *art.* 4. *&* 4. *sent. dist.* 46. *q.* 1. *artic.* 2. *quæstiunc.* 2.

9. *Quer.* An iudex possit pecuniam, & munera accipere pro ferenda sententia in iudicio?

Resp. Div. Th. Iudex ex officio tenetur iudicium reddere, similiter etiam quilibet tenetur ex hoc, quod est iudicio subditus ad verum testimonium reddendum: quia iustitia, & veritas non declinat in unam partem, magis quam in aliam. Ideo, sicut dicit *Aug. ad Mecedonium Epist.* 54. Iudex non debet vendere verum iudicium, sicut nec testis verum testimonium. Iniquus enim esset qui pallium meum mihi vendere vellet, ita iniustus esset, qui iustitiam, quam gratis debet facere. Quare iudex vendendo verum iudicium, graviter peccat, & similiter dicendum est de teste: dona enim excæcant oculos iudicum, ut dicitur *Ecclesi.* 20. Iudicibus de publico sunt stipendia laboris statuta, nec iudices munera accipientes deferant iustitiam, ut iustitiam faciant, quam gratis debent facere ex officio. *Opusc. de erud. Principum lib.* 4. *cap.* 4. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 9. *&* 2. 2. *q.* 71. *art.* 4. *ad* 3.

10. *Quer.* An Iudices teneantur resarcire damna, quæ sequuntur ex iniqua, vel ex mora sententiæ?

Resp. Div. Th. Ad restitutionem tenetur aliquis non solum ratione rei alienæ; sed etiam ratione iniuriosæ acceptionis, vel actionis, quod quidem contingit dupliciter, directe, scilicet, & indirecte; directe qui scilicet particeps est, & quasi socius maleficii: indirecte, quando aliquis non impedit, cum possit, & debeat impedire, quando hoc incumbit alicui ex offi-

efficio, vel quia subtrahit suum auxilium, sicut Principibus, & Iudicibus terræ, qui publica potiuntur auctoritate, ut sint iustitiæ custodes, si per eorum defectum damna sequantur; nam dare alicui occasionem periculi, vel damni, semper est illicitum. Et restitutio est principaliter ordinata ad reintegrandam rem eius, qui iniuste est damnificatus, pensatis conditionibus personarum, & negotiis, secundum arbitrium sapientis, 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *&* 7. *per totum*, *&* *art.* 2. *ad* 4.

In Causis Ecclesiasticis, Conc. Triden. *Sess.* 25. *cap.* 10. *Admonet Sancta Synodus tam Ordinarios, quam alios quoscumque Iudices, ut terminandis Causis, quanta fieri poterit brevitate studeant, ac litigantium artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte iudicii deferenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.*

Et *Sess.* 24. *cap.* 20. *de refor.* decernit, *ut Causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum, dumtaxat cognoscantur, atque omnino saltem infra biennium a die motæ litis terminentur: alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum iudices superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumat, & quam primum terminari curet; nec antea aliis committantur, nec avocentur; neque appellationes ab eisdem interposita, per superiores quoscumque recipiantur, eorumve commissio, aut inhibitio fiat, nisi a definitiva, vel a definitiva vim habente, & cuius gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. Ab his excipiantur Causæ, quæ iuxta Canonicas sanctiones apud Sanctam Sedem Apostolicam sunt tractandæ, vel quas ex urgenti, rationabilique causa iudicaverit Summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum signaturæ Sanctitatis Suæ, manu propria subscribendum, committere, aut avocare.*

11. *Quær.* An in iudiciis locum habeat peccatum acceptionis personarum?

Resp. Div. Th. Accipere personam in iudicio non est bonum, *Prov.* 18. Iudicium est actus iustitiæ, prout iudex ad æqualitatem iustitiæ reducit ea, quæ inæqualitatem oppositam facere possunt. Personarum autem acceptio inæqualitatem quamdam habet, inquantum attribuitur alicui personæ, propter causam, & proportionem suam, in qua consistit æqualitas iustitiæ. Et ideo manifestum est, quod per personarum acceptionem iudicium corrumpitur. Unde iudex in iudicio debet, puta pauperem subvenire quantum fieri potest, & inter potentes quoque diiudicare, tamen sine læsione iustitiæ, ut dicitur *Prov.* 18. & *Exod.* 23. Si vero, puta puniatur aliquis gravius propter iniuriam in maiorem personam commissam, in hoc casu non erit personarum acceptio, quia ipsa diversitas personæ facit diversitatem rei, 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *per totum*.

12. *Quær.* An Iudices Ecclesiastici possint aliquando se intromittere in causis sæcularibus, & an sæculares in causis Ecclesiasticorum?

Resp. Div. Th. Potestas sæcularis subditur spirituali, sicut corpus animæ; & ideo non est iudicium usurpatum, si spiritualis Iudex se intromittit in temporalibus quantum ad ea, (quæ sunt mixti fori,) in quibus subditur sæcularis potestas, vel quæ ei a sæculari potestate relinquitur, 2. 2. *q.* 70. *art.* 6. *ad* 3. Sicut in causis matrimonialibus, sive de immunitate, vel in aliis huius generis.

Concil. Trid. *Sess.* 24. *Can.* 12. *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, anathema sit.*

Et *Sess.* 25. *de reform. cap.* 3. inquit: *Nefas autem est sæculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, puta ne sub prætextu, quod contenta in præsenti decreto non sint observata, ut latam excommunicationem revocet, & similia, cum non ad sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.*

13. *Quær.* An possint eligi arbitri in iudiciis, & an sit standum eorum iudicio?

Resp. Div. Th. In rebus humanis aliqui propria sponte possunt se subiicere aliorum iudicio, quamvis non sint superiores: sicut patet in his, qui compromittunt in aliquos arbitros, & necesse est arbitrium pœna vallari, quia arbitri, cum non sint superiores, non habent de se plenam potestatem coercendi; & rationabili-

biliter denegatur etiam subsidium appellationis a iudicibus arbitrariis, quia non habent potestatem, nisi ex consensu litigantium: sed si sit simul ordinarius, & arbitrarius iudex potest ab eo appellari, quia videtur ordinaria potestas occasio fuisse, quod arbiter eligeretur, 2. 2. *q.* 67. *art.* 1. *ad* 2. *& q.* 69. *art.* 3. *ad* 2.

Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 10. *In causis spiritualibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus decernit, ut habeat quaeque Diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac qualificatas, iuxta Const. Bonifacii VIII. quæ incipit,* Statutum, *quibus causæ a quolibet Legato, vel Nuncio, atque etiam a Sede Apostolica committantur, alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quæcumque aliorum iudicum, quam his factæ subreptitiæ censeantur.*

DE OFFICIO ADVOCATI, ET EIUS OBLIGATIONIBUS.

14. *Quær.* Quæ requirantur, ut recte Advocatus exerceat munus suum, & quæ sint principaliora impedimenta?

Resp. Div. Th. Est necessaria Advocato, & interior peritia, qua possit convenienter iustitiam assumptæ causæ ostendere, & loquela cum auditu, ut possit pronunciare, & audire, quod ei dicitur. Unde qui in his defectum patiuntur, omnino prohibentur ne sint Advocati nec pro se, nec pro aliis. Monachos, & Præsbyteros non decet in quacumque causa Advocatos esse, neque Clericos in iudicio sæculari, quia huiusmodi personæ sunt rebus divinis adstricti; Clerici tamen pro Ecclesiis suis, pro se ipsis, & personis sibi coniunctis possunt uti officio Advocati; & Monachi pro causis sui Monasterii, si Abbas præceperit, 2. 2. *q.* 71. *art.* 2.

15. *Quær.* An Advocatus suscipiens causam iniustam peccet, & an teneatur ad restitutionem?

Resp. Div. Th. Advocatus suscipiens causam iniustam, iniuste lædit eum, contra quem iniuste patrocinium præstat, quamvis enim laudabile videatur quantum ad peritiam artis, tamen peccat, quantum ad iniustitiam voluntatis, quia abutitur arte ad malum. Et cum sit illicitum alicui cooperari ad malum faciendum, sive consulendo, sive adiuvando, sive qualitercumque consentiendo; ideo Advocatus, sicut dictum est de Iudice, si scienter iniustam causam defendit, putans esse iustam, excusatur secundum modum, quo ignorantia excusari potest, 2. 2. *q.* 71. *art.* 3.

16. *Quær.* Quid facere debeat Advocatus videns processu temporis causam esse iniustam, quam prius putabat esse iustam?

Resp. Div. Th. Advocato defendenti causam iustam licet prudenter occultare ea, quibus impedire posset processus eius, non autem licet aliqua falsitate uti. Si vero in principio credit causam esse iustam, & postea in processu apparet eam esse iniustam, non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem iuvet, vel secreta suæ causæ alteri parti revelare; debet tamen causam deserere, vel eum, cuius causam agit, ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno, 2. 2. *q.* 71. *art.* 3. *ad* 2. *& ad* 3.

17. *Quær.* An liceat Advocato pecuniam accipere pro suo Patrocinio?

Resp. Div. Th. Ea, quæ quis non tenetur alteri exhibere, iuste potest pro eorum exhibitione recompensationem accipere. Advocatus non tenetur semper patrocinium præstare, aut consilium dare causis aliorum; & ideo si vendat suum patrocinium, sive consilium, non agit contra iustitiam, sicut est de medico opem ferente ad sanandum, & de omnibus aliis huiusmodi personis causidicis, & curialibus; dum tamen moderate accipiant considerata conditione personarum, & negotiorum, & laboris, & consuetudine Patriæ. Si autem per improbitatem aliquid immoderate accipiant, vel extorqueant, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem. Unde *Aug. ad Macedonium epist.* 54. dicit, quod ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent, 2. 2. *q.* 71. *art.* 4.

18. *Quær.* An Advocatus teneatur absque spe lucri patrocinium præstare Causæ pauperum?

Resp. Div. Th. Cum præstare patrocinium causæ pauperum ad opus misericordiæ pertineat, non tenetur advocatus sem-

semper causæ pauperum patrocinium præstare, sed solum concurrentibus conditionibus, & circumstantiis locorum, & temporum, ut ex *Aug. in pr. de Doctrina Christiana* dicitur, pro locorum opportunitatibus, quia non tenetur homo per mundum quærere indigentes, quibus subveniat, sed sufficit si eis, qui sibi occurrunt, sicut dicitur de medico quantum ad curationem pauperum, & si aliquis tantam necessitatem patiatur, quod non appareat quomodo aliter ei possit subveniri, in tali casu tenetur ei in conscientia opus misericordiæ impendere, ita quod non faciendo peccat. Absque tali necessitate laudabiliter facit, 2. 2. *q. 71. art. 1.*

DE ACCUSATORIBUS TESTIBUS, ET REIS.

19. *Quær.* Quot modis procedatur in criminibus?

Resp. Div. Th. In criminibus tripliciter proceditur secundum iura: per inquisitionem, & hoc est in peccatis publicis, & non debet fieri nisi præcedat clamor diffamationis; & per accusationem, & tunc debet fieri præscriptio, qua obligatur accusans ad talionem, & in hoc intenditur, ut finis, bonum Reipublicæ; & per denuntiationem, & hoc est in privatis: est hæc differentia inter denuntiationem, & accusationem, quia in denuntiatione attenditur emendatio fratris, & ideo debet servari ordo fraternæ correctionis, quæ debet præcedere. In accusatione autem attenditur punitio criminis, in quantum pœnæ sunt medicinales conferentes vel ad emendationem personæ peccantis, vel ad bonum Reipublicæ, cuius quies procuratur per punitionem peccantium. Si crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum spirituale, vel temporale totius Reipublicæ, tenetur homo ad accusationem, dummodo sufficienter possit probare, quod pertinet ad officium accusatoris, aliter non tenetur; si non possit debito modo perficere, *quodlib. 11. art. 13. in corp. &* 2. 2. *q. 67. art. 1.*

20. *Quær.* An accusatio debeat fieri in scriptis?

Resp. Div. Th. Quando in criminibus per modum accusationis agitur, accusator constituitur pars, ita quod Iudex inter accusatorem & eum, qui accusatur, medius constituitur ad examen iustitiæ; in quo oportet, quantum possibile est, secundum certitudinem procedere; & quia ea, quæ verbo tenus dicuntur facile labuntur a memoria, non posset Iudici esse certum quid, & qualiter dictum sit, cum debet proferre sententiam, nisi esset in scriptis redactam, & ideo rationabiliter institutum est, ut accusatio, sicut & alia, quæ in iudicio aguntur, redigantur in scriptis, 2. 2. *q. 68. art. 2.*

21. *Quær.* Quomodo accusatio reddatur iniusta?

Resp. Div. Th. In accusatione duplici ratione contingit esse peccatum: uno modo ex eo, quod aliquis iniuste agit contra eum, qui accusatur, crimina falsa, & similia ei imponendo, quod est calumniari; alio modo, ex parte Reipublicæ, cuius bonum principaliter intenditur in accusatione, dum aliquis impedit malitiose punitionem peccati, quod iterum dupliciter contingit; uno modo fraudem in accusatione adhibendo, & hoc pertinet ad prævaricationem. Prævaricator dicitur, quasi varicator, qui adversam partem adiuvat prodita causa sua, colludens cum reo proprias probationes dissimulando, & falsas excusationes admittendo. Alio modo totaliter ab accusatione desistendo, quod est tergiversari. In hoc enim, quod desistit ab hoc, quod cœperat, quasi tergum vertere dicitur. Contingit autem aliquem ab accusatione desistere ordinate absque vitio, dupliciter: uno modo in ipso accusationis processu, si cognoverit esse falsum id, de quo accusabit, & sic pari consensu se absolvunt Accusator, & Reus; alio modo si Princeps ad quem pertinet cura boni communis, quod per accusationem intenditur, accusationem aboleverit, 2. 2. *q. 68. art. 3.*

22. *Quær.* Quam pœnam mereatur falsus accusator?

Resp. Div. Th. Pœnam talionis meretur accusator in recompensationem nocumenti, quod proximo inferre intentat. Iustitiæ autem æqualitas hoc requirit, ut nocumentum, quod quis alteri intentat ipse patiatur *Exod. 21.* Oculum pro oculo, dentem pro dente. Sed etiam pœna infamiæ ei etiam debetur propter ma-

litiam, ex qua calumniose alium accusat. Si autem ex levitate, vel ex errore hoc contingat, omnia secundum prudentiam iudicis debent discerni, ut non pronunciet eum calumniatum fuisse, 2. 2. *q. 68. art. 4.*

23. *Quær.* An factum possit accusari?

Resp. Div. Th. Accusatio ad hoc est instituta, ne aliquis sustineatur quasi innocens, qui culpam habet; sicut autem ex ignorantia facti contingit, quod aliquis homo reputetur innocens, qui in culpa est, ita ex ignorantia alicuius circumstantiæ contingit, quod aliquod factum reputetur licitum, quod illicitum est, & ideo sicut homo accusatur quandoque, ita & factum accusari potest. Homo non debet ad accusationem procedere, nisi de re omnino certa, in qua ignorantia facti locum non habet, 4. *sent. dist.* 41. *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *in corpor.* & 2. 2. *q. 68. art.* 1.

24. *Quær.* Qui repellantur ab accusatione in iudicio?

Resp. Div. Th. Excommunicatos, infames, & de maioribus criminibus accusatos, non posse accusare. Cum propter peccatum reddantur inhabiles, 2. 2. *q. 68. art.* 1. *ad* 1.

25. *Quær.* An Subditi possint superiores accusare?

Resp. Div. Th. subditi Prælatos suos, & minores maiores suos accusare prohibentur, ut habetur 2. *q.* 7. quia præsumitur non affectione charitatis, sed sua pravitate vitam eorum diffamare, & reprehendere quærant: Vel si sint criminosi. Alioquin si fuerint alias idonei ad accusandum, eis licet ex charitate Prælatos accusare, 2. 2. *q. 68. art.* 1. *ad* 2.

DE TESTIBUS.

26. *Quær.* An teneatur quis ferre testimonium?

Resp. Div. Th. In Testimonio ferendo distinguendum est, quia aliquando requiritur testimonium alicuius, aliquando non requiritur. Si requiritur testimonium alicuius subditi auctoritate superioris, cui in his, quæ ad iustitiam pertinent obedire tenetur, in quibus secundum ordinem iuris testimonium ab eo exigitur, puta in manifestis, & in his de quibus præcessit infamia, tenetur ad testificandum; si vero requiratur eius testimonium, non auctoritate superioris, cui obedire tenetur, tunc distinguendum est; si testimonium requiratur ad liberandum hominem vel ab iniusta morte, seu pœna quæcumque, vel falsa infamia, vel etiam ab iniquo damno, tunc tenetur homo ad testificandum, & si eius testimonium non requiratur, tenetur facere, quod in se est, ut veritatem denunciet alicui, qui ad hoc prodesse possit. Super his vero, quæ pertinent ad condemnationem alicuius non tenetur aliquis ferre testimonium, nisi cum a superiore compellitur secundum ordinem iuris, quia sicut, si circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc speciale damnum nascitur, vel si imminet periculum accusatori non est curandum, quia ipse in hoc periculo se ingessit; alia autem ratio est de reo, cui periculum imminet eo nolente, 2. 2. *q. 70. art.* 1.

27. *Quær.* An testimonio multorum possit subesse falsum, & an sufficiat duorum, vel trium testimonium?

Resp. Div. Th. Certitudo non est similiter quærenda in omni materia. In actibus enim humanis, super quibus constituuntur iudicia, & exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa. Quorumcunque multitudo testium determinetur, potest quandoque testimonium esse iniquum, 3. *Reg. cap.* 21. eo quod sunt circa contingentia, & variabilia; & ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, & sic in paucioribus a veritate deficiat. Est autem probabile, quod magis veritatem contineat dictum multorum, quam dictum unius, & ideo cum reus sit unus, qui negat, & multi testes asserunt cum actore, rationabiliter institutum est de iure divino, & humano, quod dicto testium stetur: ut habetur *Deuter.* 19. In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum. Ideo requiritur binarius numerus testium, vel ad maiorem certitudinem, ut sit ternarius numerus, qui est multitudo perfecta in ipsis testibus, 2. 2. *q. 70. art.* 2. *in corp.*

28. *Quær.* Quid agendum quando testes non conveniunt?

Resp. Div. Th. Discordia testium in aliquibus principalibus circumstantiis, quæ variant substantiam facti, puta in tempore,

re, vel loco, vel in personis, de quibus principaliter agitur, aufert efficaciam testimonii, quia si discordant in talibus, videntur singulares esse in suis testimoniis, & de diversis loqui, puta si unus dicat hoc factum esse tali tempore, vel loco, alius alio tempore, vel loco, non videtur de eodem facto loqui; non tamen praeiudicatur testimonio, si unus dicat se non recordari, & alius afferat determinatum tempus, vel locum, & si in talibus discordaverint omnino testes, actores, & rei, si sint aequales numero, & pares dignitate stetur pro reo, quia facilior debet esse iudex ad absolvendum, quam ad condemnandum, nisi forte in causis favorabilibus, sicut est causa libertatis, & huiusmodi. Si vero testes eiusdem partis dissenserint, debet iudex ex motu sui animi percipere, cui parti sit standum, vel ex numero testium, vel ex dignitate eorum, vel ex favoribilitate causae, vel ex conditione negotii, & dictorum; multo magis testimonium unius repellitur, si sibi ipsi interrogatus de opinione, & fama, quia potest secundum diversa visa, & audita diversimode motus esse ad respondendum; si vero sit discordia testimonii in aliquibus circumstantiis non pertinentibus ad substantiam facti, puta si tempus fuerit nebulosum, vel serenum, vel si domus fuerit picta, aut non, aut aliquid huiusmodi, talis discordia non praeiudicat testimonio, quia homines non convenerunt circa talia multum sollicitari, immo aliqua discordia in talibus facit testimonium credibilius, ut ait *Chrysostom. super Matth. in homil. prima*. Qui sic in omnibus concordarent, etiam in minimis viderentur ex condicto eumdem sermonem proferre, quod tamen prudentiae iudicis relinquitur discernendum, 2. 2. *quaest.* 70. *art.* 2. *ad* 2.

29. *Quaer.* An quod quis in secreto habet debeat in iudicio revelare?

Resp. Div. Th. De illis, quae homini sunt commissa in secreto per confessionem Sacramentalem, nullo modo debet testimonium ferre, quia huiusmodi non scit ut homo, sed tamquam Dei Minister, & maius est vinculum Sacramenti, quolibet hominis praecepto. Circa ea vero, quae aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est; quandoque enim sunt talia, quae statim cum ad notitiam hominis venerunt, homo ea manifestare tenetur, puta si pertineat ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicuius personae, vel si quid aliud huiusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando, & contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum, quandoque vero sunt talia, quae quis prodere non tenetur, unde potest obligari ex hoc quod sibi sub secreto committantur, & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex praecepto superioris, quia servare fidem est de iure naturali; nihil autem potest praecipi homini contra id, quod est de iure naturali, 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *ad* 2.

30. *Quaer.* Quomodo in dubiis sit testimonium ferendum?

Resp. Div. Th. In testimonio ferendo non debet homo pro certo asserere, quasi sciens id, de quo certus non est, sed dubium debet sub dubio proferre, & id de quo certus est pro certo asserere: sed quia contingit ex labilitate memoriae, quod reputat se homo quandoque certum esse de eo, quod falsum est; si aliquis hoc cum debita sollicitudine recogitans existimet se certum esse de eo, quod falsum est, non peccat mortaliter hoc asserens, quia non dicit falsum testimonium per se, & ex intentione, sed per accidens contra id, quod intendit, 2. 2. *q.* 70. *art.* 4. *ad* 1.

31. *Quaer.* An falsum testimonium semper sit peccatum mortale?

Resp. Div. Th. Falsum testimonium habet triplicem deformitatem; uno modo ex periurio, quia testes non admittuntur nisi iurati, & ex hoc semper est peccatum mortale; alio modo ex violatione iustitiae, & hoc modo est peccatum mortale ex genere, sicut & quaelibet iniustitia. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. *Exod.* 20. Non enim contra aliquem facit, qui eum ab iniuria facienda impedit, sed solum qui ei suam iustitiam tollit. Tertio ex ipsa falsitate, secundum quod omne mendacium est peccatum pro qualitate rei, 2. 2. *q.* 70. *art.* 4. *in corp.*

32. *Quaer.* An graviter peccet qui in iudicio falsum dicit, ut liberet aliquem a calumnia, & ab iniusta sententia?

Resp. Div. Th. Iniustum iudicium non est

est iudicium, & ideo ex vi iudicii falsum testimonium ex iniusto iudicio prolatum ad iniustitiam impediendam non habet rationem peccati mortalis; sed solum ex iuramento violato, si iuramentum præstitit, 2. 2. *q.* 70. *art.* 4. *ad* 2.

Recolatur prop. 18. damn. ab Alex. VII.

33. *Quær.* An Testis possit accipere aliquid pro ferendo testimonio in iudicio?

Resp. Div. Th. Testis, sicut dictum est de iudice, non debet vendere verum testimonium. Iustitia autem, & veritas non declinant in unam partem magis quam in aliam; & ideo testis tenetur verum testimonium dicere: & si permittitur aliquid accipere, non quasi pretium testimonii, sed quasi stipendium laboris, ab utraque parte, vel ab ea, a qua inducuntur, expensas testes accipiunt, 2. 2. *q.* 71. *art.* 4. *ad* 3.

34. *Quær.* In iure Canonico quot testes requirantur ad condemnandum Præsulem, Episcopum, aut Cardinalem, sive Præsbyterum, & Clericum?

Resp. Div. Th. Quod *in* 2. *q.* 5. *cap. Præsul*, dicitur: Præsul non damnetur nisi septuaginta duobus testibus; Præsbyter Cardinalis nisi quadraginta quatuor testibus non deponatur (nunc forte gaudet privilegio septuaginta duobus.) Subdiaconus, Accolytus, Exorcista, Lector, Hostiarius, nisi cum septem testibus non condemnabuntur. Et hoc decretum locum habet specialiter in Episcopis, Præsbyteris, Diaconis, & Clericis Ecclesiæ Romanæ, propter eius dignitatem. Ex condemnatione alicuius eorum derogaretur in opinione hominum dignitati illius Ecclesiæ, & auctoritati, quod est periculosius, quam in ea tollerare aliquem peccatorem, nisi sit valde publicus, & manifestus, de quo grave scandalum oriretur, 2. 2. *q.* 70. *art.* 2. *ad* 3.

35. *Quær.* Quænam personæ pro testimonio ferendo in iudicio repellantur ex causa, vel ex culpa?

Resp. Div. Th. Testimonium non habet, ut dictum est, infallibilem certitudinem, sed probabilem; & ideo quidquid est, quod probabilitatem afferat in contrarium, redditur testimonium inefficax. Redditur autem probabile, quod aliquis in veritate testificanda non sit firmus, quandoque propter culpam sicut infidelis, & infamis, item qui publico crimine rei sunt, qui nec accusare possunt. Quandoque autem absque culpa, & hoc est ex defectu rationis, sicut patet in pueris, & amentibus, & mulieribus, vel ex affectu, sicut patet de inimicis, & personis coniunctis, & domesticis, vel etiam ex exteriori conditione viles, sicut sunt pauperes, servi, & illi quibus imperari potest, de quibus probabile est, quod de facili possunt induci ad testimonium ferendum contra veritatem, non reputantur idonei secundum iura, & sic patet, quod testimonium alicuius repellitur & propter culpam, & sine culpa, sed non sine causa, ad cautelam falsi testimonii vitandi 2. 2. *q.* 70. *art.* 3. *per totum*.

Conc. Trid. *Sess.* 13. *cap.* 7. *de refor. Testes in causa criminali ad informationem, vel indicia, seu alias in causa principali contra Episcopum, nisi contestes, & bonæ conversationis, existimationis, & famæ fuerint non recipiantur: & si odio, temeritate, aut cupiditate aliquid deposuerint, gravibus pœnis mulctentur.*

36. *Quær.* Quid dicatur notorium iuris, & notorium facti?

Resp. Div. Th. Notorium dicitur tripliciter; vel dicitur notorium per sententiam, quæ fertur in convictum; vel per confessionem in iure factam; vel quando non potest factum aliqua tergiversatione celari. 3. *par. q.* 82. *art.* 9. *ad* 3. *&* 3. *sent. dist.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 3. *in corp. Lect.* 1. *cap.* 4. *prim. ad Corinth.*

DE REIS IN IUDICIO CONSTITUTIS.

37. *Quær.* An reus possit in iudicio veritatem negare absque peccato lethali?

Resp. Div. Th. Iudex est superior legitimus respectu eius, qui iudicatur, & ideo ex debito tenetur accusatus iudici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam iuris exigit, puta cum præcessit infamia, vel inditia. Et ideo si confiteri veritatem noluerit, quam dicere tenetur, vel si etiam mendaciter negaverit, cum faciat contra debitum iustitiæ, peccat mortaliter, tum ex parte iudicis, cui debitum negat, tum ex parte accusatoris, qui punitur, si in probatione deficiat. Nec per hoc reus prodit se ipsum si veritatem fateatur, sed ab alio proditur, dum ei necessitas respondendi imponi-

nitur. Usitatum humani generis vitium est, libendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & convictum defendendo multiplicare. Si vero iudex hoc exquirat quod non potest secundum ordinem iuris, non tenetur ei accusatus respondere, vel potest per appellationem, vel aliter licite subterfugere: mendacium tamen dicere non licet, 2. 2. *q. 69. art. 1. per totum*, & 4. *sent. dist. 17. q. 3. art. 1. questiun. 2. ad 1.*

38. *Quer.* An etiam de occultis teneatur homo fateri veritatem in iudicio, puta si mulier sit accusata de adulterio?

Resp. Div. Th. Si delictum, puta adulterium, sit omnino occultum, non debet mulier peccatum suum in iudicio confiteri, nec debet ab ea exigi iuramentum de veritate dicenda, quia occulta soli divino iudicio reservantur, secundum illud 1. *ad Corinth.* 4. Nolite iudicare ante tempus, quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum. Sed quando ex adulterio præcedit infamia, vel aliqua signa evidentia apparent, quæ vehementem suspicionem facere possunt, vel quando est semiplene probatum, tunc debet ab ea exigi iuramentum de veritate dicenda, & ipsa tenetur confiteri veritatem, *Quodlib.* 5. *art.* 16.

39. *Quer.* An in causis matrimonialibus servetur omnimode ordo iudiciarius?

Resp. Div. Th. Iuristæ dicunt, in hac causa multa specialia inveniuntur, scilicet, quod idem possit esse accusator, & testis, & quod non iuratur de calumnia, cum sit causa quasi spiritualis, & quod omnino non servatur ordo iudiciarius, quia denuntiatione facta contumax potest excommunicari lite non contestata. Consanguinei, quantumcumque propinqui, non repelluntur ab accusatione; quia extranei non possunt scire consanguinitatem, nisi per consanguineos, quando accusatur matrimonium propter aliquod impedimentum, quod impedit contrahendum, & dirimit contractum. Sed quando accusatur non fuisse contractum, tunc parentes tamquam suspecti repelluntur. Valet etiam testimonium de auditu, & post publicationem testium, alii testes possunt induci: & hoc totum est, ut peccatum impediatur, quod in tali coniunctione esse potest, 4. *sent. dist.* 41. *art.* 5. *questiunc.* 2. *in corp.* & *ad* 2.

40. *Quer.* An reo liceat per appellationem iudicium declinare?

Resp. Div. Th. Duplici de causa contingit aliquem appellare; uno quidem modo confidentia iustæ causæ, quia videlicet iniuste a iudicio gravatur, & sic licitum est appellare; hoc enim est prudenter evadere: Unde 2. *q. 6.* dicitur: Omnis oppressus, si voluerit, appellet iudicium, & a nullo prohibeatur. Alio modo aliquis appellat causa differendæ moræ, ne contra eum iusta sententia proferatur, & hoc est calumniose se defendere, quod est illicitum. Facit enim iniuriam iudici, cuius officium impedit, & adversario suo, cuius iustitiam quantum potest perturbat; & ideo sicut dicitur 2. *q. 6 in cap. Omnis*. Omnimode puniendus est, cuius appellatio iniusta, & temeraria pronuntiatur, 2. 2. *q. 69. art.* 3.

41. *Quer.* Quinam ordo servandus sit in appellationibus?

Resp. Div. Th. Potestati inferiori intantum aliquis subiici debet, inquantum ordinem superioris servat; a quo si exorbitaverit, ei subiici non oportet, puta si aliquid iusserit Proconsul, & aliud Imperator, ut patet per *Glos. Rom.* 13. & per *Aug. Serm. 6. de verb. Dom.* Cum autem iudex gravat aliquem iniuste, quantum ad hoc relinquit ordinem superioris potestatis, cum scilicet qui contra iustitiam gravatur, ad directionem superioris potestatis recurrere possit appellando, vel ante sententiam, vel post. Sed quia non præsumitur esse rectitudo, ubi vera fides non est, ideo non licet Catholico ad infidelem iudicem appellare, (& propter maiorem dignitatem non licet Clerico appellare ad sæcularem potestatem.) Catholicus, qui causam suam sive iustam, sive iniustam ad iudicium alterius fidei iudicis provocaverit, excommunicetur, secundum illud *Cau.* 2. *q.* 6. 2. 2. *q.* 69. *art.* 3. *ad* 1.

In Causis Ecclesiasticis Concil. Triden. *Sess.* 24. *cap.* 20. *de reform.* declarat, & decernit: *Si quis in causis a iure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium iudicem recurrerit, teneatur acta omnia, coram Episcopo gesta, ad iudicem appellationis expensis suis transferre, eodem tamen Episcopo prius admonito, ut*

si quid

si quid ei pro causæ instructione videbitur, possit iudici appellationis significare. Porro ipsam actorum copiam teneatur Notarius congrua mercede accepta, appellanti quanto citius, & ad minus intra menses exhibere. Qui Notarius si in differenda exhibitione fraudem fecerit, ab officii administratione arbitrio Ordinarii suspendatur. Iudex si & ipse impedimenti huius conscius, participsve fuerit, aliterve obstiterit, ne appellanti integre acta intra tempus traderentur, ad eamdem dupli pœnam quanti ex his fuerit, inter appellantem, & pauperes loci distribuendam teneatur.

42. *Quær.* Intra quod tempus liceat appellare?

Resp. Div. Th. Æquitas iuris ita subvenit uni parti quod altera non gravetur: & ideo tempus decem dierum concessit ad appellandum, quod sufficiens æstimavit ad deliberandum, an expediat appellare. Si vero non esset determinatum tempus, in quo appellare liceret, semper certitudo iudicii remaneret in suspenso, & ita pars altera damnificaretur: ideo autem est concessum, ut tertio aliquis appellet super eodem, quia non est probabile toties iudices a recto iudicio declinare, 2. 2. *q.* 69. *art.* 3 *ad* 3.

Concil. Trid. *Sess.* 13. *cap.* 1. *de refor. Sacrosancta Tridentina Synodus statuit, & decrevit; in causis visitationis, correctionis, sive habilitatis, & inhabilitatis, necnon in criminalibus ab Episcopo, seu Vicario Generali, ante definitivam sententiam, ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine appelletur; nec Episcopus, seu Vicarius appellationi huiusmodi tamquam frivole, deferre teneatur, quin ad ulteriora valeat procedere.*

43. *Quær.* An liceat condemnato resistendo se defendere?

Resp. Div. Th. Aliquis damnatur ad mortem dupliciter; uno modo iuste, & sic non licet condemnato se defendere: immo licitum est iudici eum resistentem impugnare: unde resistendo indubitanter peccat. Alio modo condemnatur aliquis iniuste, & tale iudicium simile est violentiæ: & ideo licet resistere in tali casu, nisi forte propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur, & maiora incommoda, & damna sequerentur, 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *in corp.*

44. *Quær.* An alius possit violenter reum a morte eripere?


Resp. Div. Th. A morte corporali non est aliquis eripiendus contra ordinem iuris Civilis; puta si aliquis a suo iudice condemnetur ad mortem, nullus debet eum violenter a morte eripere contra ordinem iustitiæ, cum nec se ipsum contra iustitiam debeat se liberare a morte, 3. *p. q.* 68. *art.* 10. *ad* 1. *& quodlib.* 2. *art.* 7. *ad* 2.

45. *Quær.* An reus condemnatus possit capi ad sibi nocendum, & mortem inferendam?

Resp. Div. Th. Nullus ita condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiatur, & ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur, quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem: tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quod iustum est eum pati; sicut etiam si aliquis sit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat si cibum sibi occulte ministratum sumat, quia non sumere esset seipsum occidere, 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 1.



DOCTRI-



DOCTRINÆ MORUM

PARS ALTERA.



TRACTATUS XX

De Nono, & Decimo Decalogi Præcepto, ubi de Ecclesiæ Præceptis.

9. Non concupisces domum Proximi tui,
10. Nec desiderabis uxorem eius, non servum, non ancillam, &c. *Exodi* 20.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sentiendum de Nono, & Decimo Præcepto?

RESPONDET DIVUS THOMAS.



Nihil est addendum, nisi quod ista prohibent omnes internas concupiscentias, desideria, & delectationes voluntarias illorum operum, quæ Præceptis Secundæ Tabulæ, præsertim circa sextum, & septimum, vetantur. Hæc est differentia inter legem Divinam, & mundanam; quia lex mundana iudicat facta, & dicta; Divina autem non hæc tantum, sed etiam cogitata; & ratio huius est, quia illa est per homines, qui iudicant ea, quæ apparent exterius, sed divina est a Deo, qui exterius, interiusque conspicit. Deus cordis mei. *Psal.* 72. Et *Reg.* 16. Homo videt, quæ foris sunt, Deus autem intuetur cor. Et apud Deum voluntas pro facto reputatur. Et nota, quod cupiditas circa sextum, & septimum magis inhæret secundum se, quam circa alia præcepta; & tunc est peccatum mortale cupiditas rerum, quando sine ratione concupiscitur res proximi. Et concupiscentia carnis adest cum mortali, quando scilicet dominatur: dominatur autem quando in corde regnat concupiscentia consentiendo, *Matth.* 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo, &c.

Hæc ergo sunt decem præcepta de quibus dicit Dominus, *Matth.* 21. Si vis ad vitam ingredi serva mandata, *Opusc.* 4. *de decem Præceptis.*

Adest Prop. 13. damn. ab Innocen. XI. *Si cum debita moderatione facias potes absque peccato de vita alterius tristari, de illius morte naturali gaudere, il-*

Iam inefficaci affectu petere, & desiderare.

2. *Quær.* Quid de Præceptis Ecclesiæ?

Resp. Div. Th. Ecclesiæ præceptum habet eamdem obligandi efficaciam, quam & præceptum divinum, 4. *sent. dist.* 40. *art.* 4. *ad* 1. Quinque numerantur. De primo, & secundo actum est in tertio Decalogi præcepto: Sabbata sanctifices. De quarto, & quinto præcepto Ecclesiæ, agendum est infra de Sacramentis. Hic igitur restat agendum de tertio præcepto Ecclesiæ, scilicet de ieiunio.

3. *Quær.* Quid, & quotuplex sit ieiunium?

Resp. D. Th. Ieiunium proprie dictum consistit in abstinendo a cibis; sed metahporice dictum consistit in abstinendo a quibuslibet nocivis, quæ maxime sunt peccata. Unde duplex est ieiunium, scilicet spirituale, de quo loquitur *Hieronymus* super *Matth.* 17. dicens, Ieiunium est non solum ab escis, sed a cunctis illecebris abstinere; & corporale, quod ab *Isidoro* definitur, dicens: Ieiunium est parsimonia victus, abstinentiaque ciborum. Iterum ieiunium corporale dupliciter dicitur, scilicet ieiunium naturæ, & ieiunium Ecclesiæ: a primo ieiunio dicitur aliquis quolibet die ieiunus antequam cibum sumat: a secundo autem dicitur ieiunans, quasi ordinatum ab Ecclesia propter peccatorum satisfactionem abstinentiam servans. In satisfactionem autem peccatorum non solum oportet, quod ab illis homo abstineat, quæ Lex virtutis prohibet, sed etiam ab illis, quibus salva virtute uti possemus, quia, qui illicita commisit, oportet etiam a licitis abstinere, ut *Aug.* dicit in *lib. de vera, & falsa pœniten. cap.* 15. *tom.* 4. Unde ieiunium ab Ecclesia institutum præsupponit abstinentiam illam. quæ ad virtutem exigitur, & addit abstinentiam quamdam ab illis, quæ medium virtutis non corrumpunt; & ideo *Isidorus* hæc duo in prædicta definitione ieiunii comprehendit, scilicet abstinentiam ab illis, quæ virtutem corrumpunt, & ab illis, quibus salva virtute alias uti liceret. Ieiunium autem utile est ad dilectionem, & cohibitionem culpæ, & etiam ad elevationem mentis in spiritualia, ideo ieiunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ, sed determinatio temporis, & modi ieiunandi cadit sub præcepto iuris positivi, & hoc est ieiunium Ecclesiæ: aliud vero est naturæ, 2. 2. *q.* 147. & 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 1.

4. *Quær.* An requiratur ad ieiunium, quod homo semel tantum comedat?

Resp. Div. Th. Ieiunium, ut dictum est, instituitur ab Ecclesia ad concupiscentiam refrænandam, ita tamen quod natura salvetur: adue autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest & naturæ satisfacere, & tamen concupiscentiæ aliquid detrahit diminuendo comestionum vices: & ideo Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die a ieiunantibus comedatur. Quantitas vero cibi non potest eadem omnibus taxari propter diversas corporum complexiones, ex quibus contingit, quod unus maiori, alter minori cibo indigeat; sed ut plurimum omnes possunt naturæ satisfacere per unicam comestionem, 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *in corp.* & *ad* 1. & 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 4.

Recolatur prop. 23. Alex. VII. *Frangens ieiunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subiicere præcepto.*

Et 29. videlicet: *In die Ieiunii qui sæpius modicum quid comedit, non frangit ieiunium.*

Videatur circa hoc recens Constitutio, & Decretum Benedicti XIV. circa unicam comestionem.

5. *Quær.* An ieiunantibus interdicatur abstinentia a carnibus, & per comestionem carnium ieiunium solvatur?

Resp. Div. Th. 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. Cum ieiunium Ecclesia instituerit ad satisfaciendum, & concupiscentiam reprimendam, sicut determinavit abstinentiam ieiunii quantum ad nume. m, ut scilicet semel tantum ieiunans comederet ad afflictionem carnis propter satisfactionem; ita taxavit ut a carnibus abstineretur; quia hoc genere cibi præcipue concupiscentia fovetur, & roboratur; quia carnes animalium in terra nascentium plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum, & sic ex eorum comestionem plus superfluit, ut vertatur in materiam seminis, cuius multiplicatio est maximum incentivum luxuriæ. Et ideo ab his cibis præ-

præcipue ieiunantibus Ecclesia statuit abstinendum; unde comestio carnium ieiunium solvit ab Ecclesia institutum, 2. 2. *q.* 147. *art.* 8.

6. *Quær.* Quare Ecclesia non prohibuit ieiunantibus vinum, & legumina, cum sint sicut carnes incitativa ad luxuriam?

Resp. Div. Th. Vinum concupiscentiam incitat inflammando per modum alterationis: & quia tales alterationes non diu manent, ideo potus vini non adeo efficaciter operatur ad concupiscentiæ fomentum, sicut usus carnium, quo præcipue materia concupiscentiæ ministratur, & calor naturalis confortatur radicitus magis. Nam ad actum generationis tria concurrunt, scilicet calor, spiritus, & humor. Ad calorem quidem maxime cooperatur vinum, & alia calefacentia corpus: ad spiritus autem videntur cooperari inflativa. Sed ad humorem maxime cooperatur usus carnium, ex quibus multum de alimento generatur; alteratio autem caloris, & multiplicatio spirituum cito transit, sed substantia humoris diu manet; & ideo magis interdicitur ieiunantibus usus carnium, quam vini, vel leguminum, quæ sunt inflammativa, & ex alia parte subtractio vini nimis debilitaret naturam propter digestionis impedimentum, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. *ad* 1. *&* 2. 2. *q.* 147. *artic.* 8. *ad* 1.

7. *Quær.* An in Quadragesima, & in in aliis ieiuniis interdicantur ova, & lacticinia?

Resp. Div. Th. Ova, & lacticinia ieiunantibus interdicuntur, inquantum sunt ex animalibus exorta carnes habentibus; unde principalius interdicuntur carnes, quam ova, & lacticinia. Inter alia ieiunia solemnius est quadragesimale ieiunium, quia observatur ad imitationem Christi, tum etiam quia per ipsum disponitur ad redemptionis nostræ mysteria devote celebranda; & ideo si in quolibet ieiunio interdicitur usus carnium, in ieiunio autem quadragesimali interdicuntur in universali etiam ova, & lacticinia; circa quorum abstinentiam in aliis ieiuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur. Unde *Hieronymus* dicit *in Epist. ad Lucianum* de ieiuniis loquens: Unaquæque Provincia abundet in sensu suo, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur, 2. 2. *q.* 147. *art.* 8. *ad* 3.

Recolatur prop. 32. damn. ab Alex. VII. videlicet: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obliget.*

8. *Quær.* An liquida frangant ieiunium?

Resp. Div. Th. Liquida, puta aqua, etsi solvat ieiunium naturæ, quia aliquo modo nutrit, non tamen solvit ieiunium Ecclesiæ, quia Ecclesia non attendit in statuendo id, quod quocumque modo nutrire potest, sed id, quod principaliter ad nutriendum ordinatum est; potus enim de se non ordinatur ad nutriendum, sed magis ad dispositionem bonam eorum, quæ nutriunt, ut scilicet per membra deducantur, & in stomaco comburantur; unde sumptio potus manducatio non dicitur: & ideo ille, qui potat extra horam unicæ comestionis, non dicitur bis manducare, & propter hoc nec statutum Ecclesiæ frangit, nisi fraudem faciat, quia legem violat qui in fraudem legis aliquid facit, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 4. *ad* 1. *& ad* 2. *&* 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *ad* 2.

9. *Quær.* An electuaria, & medicamenta ieiunium frangant?

Resp. Div. Th. Quidam dicunt, quod si electuaria comedantur ad delectationem solvunt ieiunium, si autem causa medicinæ sumantur, non solvunt ieiunium: sed statutum positivæ legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadit in præcepto, sed est finis præcepti: & ideo dicendum, quod electuaria, etsi aliquo modo nutriant, non tamen hic est principalis usus eorum. Ideo talis sumptio ieiunium Ecclesiæ non solvit, quamvis homo possit totaliter, vel in parte ex hoc meritum ieiunii perdere, vel etiam mortaliter peccare, si sit immoderata libido, non tamen est transgressor præcepti Ecclesiæ, nisi in fraudem sumeret, aut si eis quasi aliis cibis uteretur ad famem extinguendam, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 4. *ad* 3. *&* 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *ad* 3.

10. *Quær.* Qua hora sit comedendum tempore ieiunii?

Resp. Div. Th. Competens hora comedendi in diebus ieiunii est hora nona, & hæc est ab Ecclesia instituta, & communiter

niter observata: quia secundum communem cursum comedendi est hora sexta, quia cibus non debet apponi quousque natura circa cibum praecedentem occupata est, primo digerendo ipsum cibum, secundo cibum iam decoctum deducendo per membra, quod communiter fit hora sexta, quia tunc opus censetur completum, & tunc est tempus denuo communiter etiam sumendi cibum. Et quia ieiunium Ecclesiae debet esse poenale, & satisfactorium, ideo supra hoc additur aliquid, non autem tantum quod penitus humor cibi assumpti exsiccetur, aut virtus naturalis debilitetur; unde hora nona occurrit, in qua, ut dictum est, cibus secundum Ecclesiae statutum in diebus ieiunii sumendus est. Convenit etiam ista hora mysterio passionis Christi, quae completa fuit hora nona: nec est magnum temporis spatium ab hora sexta, in qua communiter homines comedere consueverunt usque ad horam nonam, quae ieiunantibus determinatur. Unde talis taxatio temporis non multum potest alicui nocere cuiuscumque conditionis existat, maxime quia hora determinata est non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam aestimationem; sufficit enim, quod sit circa horam nonam. Vel si forte propter infirmitatem, vel aetatem, aut aliquid huiusmodi hoc alicui in magnum gravamen caederet, esset cum eo in ieiunio dispensandum, vel ut aliquantulum praeveniret horam, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 3. *quaestiun.* 3. & 2. 2. *q.* 147. *art.* 7.

11. *Quaer.* An anticipare horam determinatam solvat ieiunium?

Resp. Div. Th. Ille ieiunium solvit, qui Ecclesiae determinationem non servat. Unde cum Ecclesia instituerit certum tempus comedendi ieiunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, ieiunium solvit. Et Concilium Calcedonense dicit, & habetur *de Consecratione dist.* 1. *cap. Solent*. In quadragesima nullatenus credendi sunt ieiunare, qui ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium, quod quadragesimali tempore post Nonam dicitur. Non enim, ut diximus, Ecclesia arctare intendit ad subtilem temporis inspectionem, nec oportet astrolabium accipere ad horam comestionis cognoscendam. Unde sufficit si circa horam illam, quam Ecclesia instituit, ieiunans sumat cibum, etiamsi aliquantulum propter aliquam necessitatem anticipet, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 4. *quaestiunc.* 3. *in corp & alibi*.

12. *Quaer.* An postponere horam comestionis frangat ieiunium?

Resp. Div. Th. Omittere praeceptum Ecclesiae non licet, & supererogare licet; ideo si cum tardatione horae ad poenalitatem ieiunii faciat, licet tardare per horam, & qui tardat non solvit ieiunium ab Ecclesia institutum: non licet vero anticipare, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 4.

13. *Quaer.* Quaenam sunt ieiunia ab Ecclesia instituta, & ubi nam contineantur?

Resp. Div. Th. Ieiunia, quae sunt in praecepto, sunt in Conciliis Episcoporum statuta, & consuetudine universalis Ecclesiae roborata. Illis temporibus specialiter fuerunt ieiunia indicenda, in quibus oportebat homines a peccato purgari, & mentes fidelium elevari in Deum per devotionem; in festo autem Paschae oportet maxime mentes hominis per devotionem elevari ad aeternitatis gloriam, quam Christus resurgendo inchoavit, & ideo immediate ante solemnitatem Paschalem Ecclesia statuit esse ieiunandum; & eadem ratione in vigiliis praecipuarum festivitatum, & in solemnitatibus Sanctorum, in quibus praeparari nos oportet ad festa futura devote celebranda. Similiter etiam consuetudo Ecclesiastica habet, ut in singulis quartis annis temporibus sacri Ordines conferantur, ad quorum susceptionem oportet per ieiunium praeparari, & eos, qui ordinant, & illos, qui ordinandi sunt, & etiam totum populum, pro cuius utilitate ordinantur. Ratio numeri quantum ad quadragesimale ieiunium est secundum *Greg. hom.* 16. quia ita offerre contendimus decimas dierum. Dum enim per tercentos, & sexaginta dies annus ducitur, nos autem per triginta sex dies affligimur, qui sunt ieiunabiles in sex septimanis quadragesimae, quasi anni nostri decimas solvimus; & etiam quia tempus veris, quod tunc incipit, maxime est ad concupiscentiam aptum; singula vero ieiunia quatuor temporum tribus diebus continentur propter numerum mensium, qui competit cuilibet tempori, vel propter numerum sacrorum Ordinum, qui in his temporibus conferuntur. In Sanctorum solemnitatibus, praecipuis vigiliis ieiunamus, ut gaudium aeternum, quod

per

per solemnitates temporales significatur, ad tribulationem præsentis vitæ, quas Sancti passi sunt, subsequi demonstretur, 2. 2. *q.* 147. *art.* 3. *ad* 3. *&* *art.* 5. *in corp.* *&* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 6.

Error Aetii, & Sectariorum sæculo 4. *Non est observandum ieiunium quadragesimale, aut alia statuta ieiunia.*

Et error Beguardonum, & Beguinarum sæculo 14. *Ieiunare non oportet hominem postquam gradum perfectionis fuerit assecutus.*

14. *Quær.* An sit ieiunandum tempore Paschali, & in diebus Dominicis?

Resp. Div. Th. Ieiunia, quæ præcepto Ecclesiæ instituuntur sunt ieiunia afflictionis, quæ non conveniunt in diebus letitiæ, propter quod, non est ieiunium ab Ecclesia institutum in toto Paschali tempore, nec etiam in diebus Dominicis, in quibus si quis ieiunaret contra consuetudinem populi Christiani, quæ, ut *Aug.* dicit *Epist.* 86. est pro lege habenda, vel etiam ex aliquo errore (sicut Manichæi ieiunant quasi necessarium tale ieiunium arbitrantes) non esset a peccato immunis, quamvis ipsum ieiunium secundum se consideratum, omni tempore sit laudabile, sicut habetur *dist.* 76. Utinam omni tempore ieiunare possemus, 2. 2. *q.* 147. *art.* 5. *ad* 3.

15. *Quær.* An omnes ad ieiunia Ecclesiæ teneantur sub mortali?

Resp. Div. Th. Præcepta, quæ per modum communis statuti preponuntur, non eodem modo obligant omnes, sed secundum quod requiritur ad finem, quem legislator intendit; cuius auctoritatem si aliquis transgrediendo statutum comtemnat, vel hoc modo transgrediatur, quod impediatur finis, quem intendit, peccat mortaliter talis transgressor. Si autem ex aliqua rationabili causa quis statutum non servet, præcipue in casu, in quo etsi legislator adesset, non decerneret esse servandum, talis transgressio non constituit peccatum mortale; & inde est, quod non omnes, qui non servant ieiunium Ecclesiæ peccant mortaliter. In hoc tamen est discretio adhibenda; nam si causa sit evidens, per se ipsum licite potest homo statuti observantiam præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel si non posset de facili recursus ad superiorem haberi. Si vero causa sit dubia debet aliquis ad superiorem recurrere qui habet potestatem in talibus dispensandi, & hoc est observandum in ieiuniis ab Ecclesia institutis, ad quæ omnes communiter obligantur, nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum, 2. 2. *q.* 147. *art.* 3. *ad* 2. *&* *art.* 4. *in corp.*

16. *Quær.* An pueri teneantur ad ieiunia?

Resp. Div. Th. In pueris maxime est causa non ieiunandi, tum propter debilitatem naturæ, ex quo provenit, quod indigent frequenti cibo, & non multo simul sumpto, tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti; & ideo quamdiu sunt in statu augmenti, quod est ut in plurimum usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad Ecclesiastica ieiunia observanda: conveniens tamen est, ut etiam hoc tempore se ad ieiunandum exerceant plus, vel minus, secundum modum suæ ætatis, quandoque tamen magna tribulatione imminente in signum pœnitentiæ arctioris etiam pueris ieiunia indicuntur, 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad* 2. *&* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *artic.* 2. *quæstiunc.* 3.

„ Hæc doctrina suo modo applicatur „ etiam senibus sexagenariis, qui indi„ gent frequenti cibo, & non multo si„ mul sumpto, &c. „

17. *Quær.* An omnes operarii, qui se exercent in corporalibus, vel spiritualibus laboribus, & viatores, & infirmi teneantur ad ieiunia Ecclesiastica?

Resp. Div. Th. Circa peregrinos, & operarios distinguendum videtur, quia si peregrinatio, & operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, & exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporalis, vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ ieiunia prætermittenda; si autem immineat necessitas statim peregrinandi, & magnas dietas faciendi, & peregrinatio differri non possit; puta quia tempus ieiunii hominem in via præoccupat, vel quia dies festus alicui imminet, ad quem ex devotione homo pergere cupit, vel quia mora in pœnitentia periculum habet vel spirituale, vel corporale, vel etiam imminet necessitas operariis multum laborandi, vel propter conserva-tio-

tionem vitæ corporalis propriæ, vel Reipublicæ, ut sunt opera agricolarum, aratorum, pistorum, sutorum, fabri lignarii, & ferrarii, cæmentarii, textorum, cursorum, & similium; non vero si labor sit exiguus operarii excusabuntur, ut sunt barbitonsores, sartores, pictores, & huiusmodi: si etiam propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem, & simul cum hoc non possunt Ecclesiæ ieiunia observari, non obligatur homo ad ieiunandum, si non sufficiat debita opera exequi, puta prædicator prædicare, doctor docere, cantor cantare, & sic de aliis similibus; sicut etiam si vir nimia abstinentia se impotentem redderet ad debitum uxori reddendum, & viceversa, sicut in aliis huiusmodi casibus, quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis ieiunia, ut per hoc impediret alias pias, & necessarias causas: quia intentio legislatoris est conservare homines, & inducere ad bonum statum virtutis, qui quidem consistit in conservatione vitæ, & valetudine sufficienti ad opera, quæ quis facere debet; nec suo præcepto exigit ab homine totum semper quod potest, cum non intendat ordinare statum hominis quantum ad unum diem, sed ad totam vitam, a qua brevi deficeret, si semel homo totum quod posset enixe faceret; & ideo sive ægritudine imminente, sive labore, sive quocumque alio, cum quo simul & ieiunio prædictus status conservari non potest, non tenetur ex præcepto ieiunare, quia, ut dictum est, non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis ieiunia, ut per hoc impediret alias pias causas, & magis necessarias, & debitas. Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad superioris dispensationem. Hæc autem dispensatio est Prælatis commissa in ieiunio ab Ecclesia instituto, sicut & in aliis huiusmodi Ecclesiæ præceptis: nisi forte ubi est ita consuetum, quia ex hoc quod Prælati dissimulant, videntur annuere. Totum hoc tamen intelligitur semper, quando labore quis adeo affligitur, quod simul cum ieiunio stare non possit, ut dictum est superius: unde intentio, puta maioris lucri, & operis non necessarii non excusat, si operarii frangant ieiunium, nec similiter illi a peccato immunes sunt, qui, puta operarios conducere nolunt, nisi tali pacto, ut ieiunium solvant, nisi forte sit causa necessaria, quæ festinationem operis, pro quo laboratur, exposcat. Et tunc Sacerdos, cui incumbit potest dispensare in ieiunio Ecclesiæ cum operariis, & aliis, ut supra dictum est, 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad* 3. *&* 4. *sent. q.* 3. *art.* 2. *ad* 1. *& ad* 3. *& quodlib.* 5. *art.* 18. *promiscue.*

Recolatur prop. 30. damn. ab Alex. VII. videlicet: *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant sunt excusati ab obligatione ieiunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.*

Et 31. *Excusantur absolute a præcepto ieiunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*

18. *Quær.* An pauperes teneantur ieiunare?

Resp. Div. Th. Pauperes, qui possunt sufficienter habere quod eis sufficit ad unam comestionem, non semper excusantur propter paupertatem a ieiuniis Ecclesiæ; a quibus tamen excusari videntur illi, qui frustratim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere horam unius comestionis tantum, quod eis ad victum sufficiat totius diei. Vel etiam quando præcedenti inedia tantum debilitati sunt, quod ieiunium sufferre non possunt, 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad* 4. *&* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 4. *ad* 2.

19. *Quær.* Quæ sint principales utilitates ieiunii?

Resp. D. Th. Ieiunium actus satisfactorius est, & quia pro libidine peccati præteriti subtractionem delectationis recompensat, & futura peccata impedit, concupiscentiam debilitans, (sine Cerere, & Baccho tepescit Venus;) & talis subtractio non multum mortem accelerat, ut supponunt aliqui, cum corpus humanum inveniatur frequentius ex superfluitate, quam ex defectu, mortales ægritudines incurrere: unde etiam *Galenus* dicit, quod summa medicina est abstinentia. Inveniuntur etiam ad sensum abstinentes, ut frequenter diutius vivere, & mens elevatur ad sublimia contemplanda; & *Aug.* dicit in quodam Sermone; Ieiunium purgat animam, mentem sublevat, propriam carnem spiritui subiicit, cor facit contritum, & humiliatum, prodest vivis, & defunctis,

4. *sent.*

4. *sent. dist.* 15. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiun.* 2. *ad* 3. *& quæstiun.* 4. *ad* 5. *&* 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. *in corp.*

Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap. de delectu ciborum, & ieiuniis. Hortatur Sancta Synodus Pastores omnes, ut quibuscumque fidelibus sedulo commendent, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & ieiunia.*

20. *Quær.* An homo possit peccare nimis ieiunando?

Resp. Div. Th. In spirituali vita dilectio Dei est sicut finis, ieiunia autem, & vigiliæ, & alia exercitia corporalia non quæruntur tamquam finis, quia sicut dicitur ad *Rom.* 14. Non est regnum Dei esca, & potus; sed adhibentur tamquam necessaria ad finem, idest ad domandas concupiscentias carnis, secundum illud *Apost. prime ad Cor.* 9. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, &c. & ideo huiusmodi sunt adhibenda cum quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia devitetur, & natura non extinguatur, secundum illud ad *Rom.* 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem; & postea subdit, rationabile obsequium vestrum: si vero aliquis & intantum virtutem naturæ debilitet per ieiunia, & vigilias, & alia huiusmodi, quod non sufficiat debita opera exequi, puta prædicator prædicare, doctor docere, cantor cantare, & sic de aliis, absque dubio peccat; sicut & peccaret vir, qui nimia abstinentia se impotentem redderet ad debitum uxori reddendum. Unde *Hieronym.* dicit, *& refertur de Consecratione dist.* 5. *cap. Non mediocriter;* Rationalis homo dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, vel vigilias sensus integritati præfert. *Quodlib.* 5. *art.* 18. *p. p. q.* 97. *art.* 3. *ad* 3.

TRACTATUS XXI.

De Sacramentis Ecclesiæ.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid est, & quatuplex Sacramentum?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Nunc restat considerandum de Ecclesiæ Sacramentis, quæ ad effectum gratiæ pertinent. Et primo igitur sciendum, quod sicut *Aug.* dicit *in* 10. *lib. de civitate Dei*, Sacramentum est sacrum signum, vel sacræ rei signum. Fuerunt autem in veteri lege quædam Sacramenta, idest sacræ rei signa, sicut Agnus Paschalis, & alia Sacramenta legalia, quæ quidem solum significabant Christi gratiam, non tamen eam causabant. Unde *Ap. ad Galat.* 4. vocat ea egena, & infirma elementa. Egena quidem, quia gratiam non continebant, & infirma quia gratiam conferre non poterant. Sacramenta vero novæ legis continent, & conferunt gratiam. In eis enim virtus Christi sub tegumento rerum visibilium secretius operantur salutem, ut dicit *Aug.* Et ideo Sacramentum novæ legis est invisibilis gratiæ visibilis forma, ut eius similitudinem gerat, & causa existat. Sicut ablutio, quæ fit in aqua baptismatis repræsentat interiorem mundationem, quæ fit a peccatis per virtutem baptismi. Sunt autem Sacramenta legis novæ septem, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium: quorum prima quinque ordinantur ad perfectionem unius hominis in se ipso; sed alia duo, scilicet Ordo, & Matrimonium ordinantur ad perfectionem, & multiplicationem totius Ecclesiæ. Vita enim spiritualis conformatur vitæ corporali; in vita autem corporali perficitur homo primo per generationem, quia nascitur in hoc mundo: secundo per augmentum, quo perducitur ad quantitatem, & virtutem perfectam: tertio per cibum quo sustentatur hominis vita, & virtus. Et hæc quidem sufficerent si nunquam eum infirmari contingeret; sed quia frequenter homo infirmatur, quarto indiget sanatione. Sic est in vita spirituali: primo quidem indiget

homo

homo regeneratione, quæ fit per baptismum, secundum illud *Ioan.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei. Secudo oportet, quod homo accipiat perfectam virtutem, quasi quoddam spirituale augmentum, *scilicet* per Sacramentum Confirmationis ad similitudinem Apostolorum, quos Spiritus Sanctus in eos veniens, confirmavit. Unde Dominus dixit eis, *Luc. ultim.* Vos sedete in civitate Hierusalem quoadusque induamini virtute ex alto. Tertio oportet, quod homo spiritualiter nutriatur per Eucharistiæ Sacramentum, secundum illud *Ioann. 6.* Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quarto oportet, quod homo sanetur spiritualiter per Sacramentum pœnitentiæ, secundum illud *Psal.* 40. Sana Domine animam meam, quia peccavi tibi. Quinto spiritualiter simul, & corporaliter per Sacramentum extremæ Unctionis sanatur, secundum illud *Iacob. ult.* Infirmatur aliquis in vobis? Inducat Præsbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei. Quinto autem ad communem Ecclesiæ utilitatem ordinantur duo Sacramenta, scilicet Ordo, & Matrimonium. Nam per Ordinem Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter. Est autem considerandum, quod prædicta septem Sacramenta quædam habent communia, & quædam propria. Commune quidem est omn bus Sacramentis, quod conferant gratiam, sicut dictum est; commune etiam est omnibus, quod Sacramentum consistit in verbis, & rebus corporalibus, sicut in Christo, qui est Sacramentorum auctor, est Verbum caro factum. Et sicut caro Christi sanctificata est, & virtutem sanctificandi habebit per verba, quæ in his proferuntur. Unde *Aug.* dicit *super Ioan.* Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Unde verba, quibus sanctificantur Sacramenta dicuntur Sacramentorum formæ: res autem sanctificatæ dicuntur Sacramentorum materiæ, sicut aqua est materia Baptismi, & Chrisma Confirmationis. Requiritur etiam in quolibet Sacramento persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione conferendi, & faciendi, quod facit Ecclesia: quorum trium si aliquid desit, idest si non sit debita forma verborum, & si non sit debita materia, & si minister Sacramenti non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum. Impeditur etiam effectus Sacramenti per culpam recipientis, puta si fictus accedat, & non corde parato ad suspiciendum Sacramentum. Talis enim licet Sacramentum suscipiat, effectum tamen Sacramenti, idest gratiam Spiritus Sancti non recipit, quia ut dicitur *Sap.* 1. Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum. E contrario autem sunt alii, qui nunquam recipiunt Sacramentum, qui tamen effectum Sacramenti suscipiunt propter devotionem, quam habent ad Sacramentum, quod habent in voto seu desiderio. Sunt autem & quædam propria Sacramentis quibusdam. Nam quædam horum imprimunt characterem, idest spirituale quoddam signum distinctum a cæteris, sicut in Sacramento Ordinis, vel Sacramento Baptismi, & in Sacramento confirmationis: & talia Sacramenta nunquam iterantur supra eandem personam. Nunquam enim ille, qui est baptizatus, debet ulterius baptizari; neque confirmatus iterum confirmari; neque ordinatus iterum ordinari, quia character, qui in huiusmodi Sacramentis imprimitur, indelibiles est. In aliis vero Sacramentis non imprimitur character suscipienti ea, & ideo possunt iterari ad personam suscipientem, non tamen quantum ad materiam. Potest enim unus homo frequenter pœnitere, frequenter Eucharistiam sumere, frequenter Extremam Unctionem suscipere, frequenter Matrimonium contrahere; non tamen hostia debet frequenter consecrari, nec idem oleum infirmorum debet frequenter benedici. Esset etiam alia differentia, quia quædam Sacramenta sunt de necessitate salutis sicut Baptismus, & Pœnitentia, quibus non existentibus non potest homo salvari. Alia vero Sacramenta non sunt de necessitate salutis, quia sine eis potest esse salus, nisi propter contemptum Sacramenti, *opusc.* 5.

„ Errores Lutheri, & Calvini, & Sectariorum præcipue sæcul. XVI. Non admittebant septem Sacramenta, sed tantum duo, scilicet Baptismum, & Cœnam, unde Pœnitentiam reiiciunt. Immo Ar-
„ chon-

„ chontici sæcul. 2. penitus omnia Sacramenta abiiciebant dicentes; Non oportet esse divina mysteria, quæ sunt invisibilia signa, nec incorporalia per visibilia, ac corporalia esse communicanda; propterea Archontici temere blasphemabant. *Nulla omnino Sacramenta admittenda sunt.* „

Concilium Trid. *Sess.* 7. *can.* 1. inquit *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis esse plura, vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum: Anathema sit.*

Et *Can.* 3. *Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; Anathema sit.*

2. *Quær.* An omne signum rei sacræ sit Sacramentum, & an debeat semper esse aliquod sensibile, & determinatum?

Resp. Div. Th. Omne signum rei sacræ est Sacramentum; nam signa dantur hominibus, quorum est per nota ad ignota pervenire, & ideo proprie dicitur Sacramentum omne id, quod est signum rei sacræ ad homines pertinentis, in quantum est sanctificans hominem, sive in quantum ordinatur ad significandam nostram sanctificationem; in quo tria possunt considerari, videlicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi, & forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia, & virtutibus, & ultimus finis sanctificationis nostræ, quæ est vita æterna; & hæc omnia per Sacramenta significantur. Et quia homini connaturale est, ut per sensibilia perveniat ad cognitionem intelligibilium, inde est quod ad Sacramenta requiruntur res sensibiles; ut etiam *Dionysius* probat in *primo cap. celest. Hierarch.* Ita tamen quod debet esse in Sacramentis novæ legis ex divina institutione determinatum, quæ res sensibiles ad significandum assumantur in hoc, vel in illo Sacramento, *p.* 3. *q.* 60. *art.* 2. & 3. & 4. & 5. *promiscue.*

3. *Quær.* An in significatione Sacramentorum requirantur verba determinata?

Resp. Div. Th. In Sacramentis verba se habent per modum formæ, res autem sensibiles per modum materiæ; in omnibus autem compositis ex materia, & forma principium determinationis est ex parte formæ, quæ est quodammodo finis, & terminus materiæ, & ideo principalius requiritur ad esse rei determinata forma, quam determinata materia. Materia enim determinata requiritur, ut sit proportionata determinatæ formæ. Cum igitur in Sacramentis requirantur, ut dictum est, determinatæ res sensibiles, quæ se habent in Sacramentis, sicut materia, multo magis requiritur in eis determinata forma verborum; nam ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinarentur; aqua enim, puta, significare potest & ablutionem propter suam humiditatem, & refrigerium propter suam eandem humiditatem: sed cum dicitur, Ego te baptizo, manifestatur, quod aqua utimur in Baptismo ad significandam emundationem spiritualem. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, ut dicit *Aug. super Ioann. tract.* 80. 3. *p. q.* 60. *art.* 6. *in corp.* & 7.

4. *Quær.* An liceat aliquid addere, vel minuere in verbis, in quibus consistit forma Sacramentorum?

Resp. Div. Th. Circa omnes mutationes, quæ possunt in formis Sacramentorum contingere, duo videntur esse consideranda, unus quidem ex parte eius, qui profert verba, cuius intentio requiritur ad Sacramentum, & ideo si intendit per huiusmodi additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere id, quod facit Ecclesia. Aliud autem est considerandum ex parte significationis verborum: cum enim verba operentur in Sacramentis quantum ad sensum, quem faciunt, oportet considerare, utrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum, quia sic manifestum est, quod tollitur veritas Sacramenti. Manifestum est autem, quod si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum, & ideo non perficitur Sacramentum. Unde *Didymus* dicit *in lib.* 2. *de Spiritu Sancto apud Hieronymum.* Si quis, puta, ita baptizare conetur, ut unam de prædictis nomi-

nibus prætermittat (scilicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti) sine perfectione, idest nullo modo baptizabit. Si autem subtrahatur aliquid, quod non sit de substantia formæ, talis diminutio non tollit debitum sensum verborum, & per consequens nec Sacramenti perfectionem, sicut in forma Eucharistiæ, quæ est: Hoc est enim Corpus meum; ly enim sublatum non tollit debitum sensum verborum, & ideo non impedit perfectionem Sacramenti, quamvis possit contingere, quod ille, qui prætermittit, peccet ex negligentia, vel contemptu. Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod est corruptivum debiti sensus, puta, si aliquis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filii minoris, sicut Ariani baptizant, & ideo talis additio tollit veritatem Sacramenti. Si vero sit talis additio, quæ non auferat debitum sensum, non tollitur Sacramenti veritas. Nec refert, utrum talis additio fiat in principio, medio, vel fine, vel si aliquis dicat: Ego te baptizo in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beata Virgo te adiuvet; erit verum baptisma. Forte autem si diceret: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ Virginis Mariæ, non esset baptismus, quia dicitur 1. *ad Cor.* 2. Nunquid Paulus pro vobis Crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Sed hoc verum est si intelligatur in nomine Virginis Mariæ baptizari, sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur; talis enim sensus esset contrarius veræ fidei, & per consequens tolleret veritatem Sacramenti. Si vero sic intelligatur, quod additur & in nomine Beatæ Virginis, non quasi nomen Beatæ Virginis aliquid operetur in baptismo effective, sed ut eius intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio Sacramenti, 3. *p. q.* 60. *art.* 8. *in corp.*

Recolatur prop. 1. damn. ab Innoc. XI. videlicet: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Concil. Trid. *Sess.* 7. *Can.* 13. inquit *Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.*

5. *Quær.* An interruptio verborum, & transpositio impediat effectum Sacramenti?

Resp. Div. Th. Si sit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronunciantis, tollitur sensus Sacramenti, & per consequens veritas eius; non autem tollitur, quando est parva interruptio, quæ intentionem proferentis, & intellectum verborum non auferat. Et idem est dicendum de transpositione verborum, quia si tollit sensum locutionis non perficitur Sacramentum, sicut patet de negatione præposita, vel postposita signo. Si autem talis sit transpositio, quæ sensum locutionis non variet, non tollitur veritas Sacramenti, 3. *p. q.* 60. *art.* 8. *ad* 3.

6. *Quær.* An si quis corrupte proferat verba, mutando literas, & syllabas, conficiat Sacramentum?

Resp. Div. Th. Qui corrupte profert verba, aut hoc facit ex industria, & sic non videtur intendere, quod Ecclesia intendit, unde non est Sacramentum; aut hoc facit ex ignorantia, vel defectu linguæ, & tunc dicitur, quod si sit tanta corruptio, quod omnino auferat sensum locutionis, quod non est Sacramentum; si autem sensus locutionis remaneat, tunc erit Sacramentum, & hoc præcipue accidit, quod sensus non mutatur, quando fit corruptio in fine, puta, si aliquis dicat in nomine Patris, & Filius, quia ex parte finis variat consignificationem, ut grammatici dicunt; sed mutatio ex parte principii, puta, qui loco eius, quod est in nomine Patris, dicat in nomine Matris, variat significationem; unde corruptio talis, maxime cum sit magna, omnino sensum locutionis aufert. Quando autem sensus locutionis aliquo modo manet, tunc, quamvis mutetur forma, quantum ad sonum sensibilem, non tamen mutatur quantum ad significationem; quia quamvis oratio corrupte prolata nihil significet ex veritate impositionis, significat tamen ex accommodatione usus, ut verba signifi-

fican-

ficantia, 4. *sent. dist.* 3. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 6. *&* 3. *p. q.* 60. *art.* 7. *ad* 3.

Recolatur prop. 27. damn. ab Alex. VIII. videlicet: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, praetermissis illis. Ego te baptizo.*

7. *Quaer.* An forma possit proferri in quacumque lingua, & quibuscumque verbis?

Resp. Div. Th. Licet in qualibet lingua contingat diversis vocibus idem significari, semper tamen aliqua illarum vocum est, qua principalius, & communius homines illius linguae utuntur ad hoc significandum, & tali vox assumi debet in significatione Sacramenti, sicut etiam inter res sensibiles illa assumitur ad significationem Sacramenti, cuius usus est communiter ad actum per quem Sacramenti effectus significatur; sicut; puta, aqua communius utuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam spiritualis ablutio significatur, & ideo aqua assumitur ut materia in baptismo, 3. *p. q.* 60. *art.* 7. *ad* 2.

8. *Quaer.* An Sacramenta sint ad humanam salutem?

Resp. Div. Th. Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem triplici ratione, quarum prima sumenda est ex conditione humanae naturae, cuius proprium est, ut alibi diximus, ut per corporalia, & sensibilia, in spiritualia, & intelligibilia deducatur; pertinet autem ad divinam Providentiam, ut unicuique rei provideat secundum modum suae conditionis, & ideo convenienter divina Sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus, & sensibilibus signis, quae Sacramenta dicuntur: secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdit per affectum corporalibus rebus, ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum, nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eius animus applicari non posset corporalibus deditus; tertia autem ratio sumenda est ex studio actionis humanae, quae praecipue circa corporalia versatur; ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actionibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in Sacramentis, quibus salubriter exerceatur. Tria sunt Sacramenta simpliciter necessaria, duo quidem personae singulari, Baptismus quidem absolute, Poenitentia autem supposito peccato mortali post Baptismum: Sacramentum autem Ordinis est necessarium Ecclesiae, quia ubi non est gubernator, populus corruet, ut dicitur *Prov.* 11. Alia Sacramenta sunt necessaria inquantum quod Confirmatio quodammodo perficit Baptismum, Extrema unctio, Poenitentiam, Matrimonium vero Ecclesiae multitudinem per propagationem conservat, 3. *p. q.* 61. *art.* 1. *& q.* 65. *art.* 4. *in corp.*

Concil. Trident. *Sess.* 7. *Can.* 4. inquit: *Si quis dixerit Sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci. Licet omnia singulis necessaria non sint: anathema sit.*

9. *Quaer.* Quomodo, & quis operetur ad effectum Sacramenti, qualiter Deus, & qualiter homo?

Resp. Div. Th. Operari aliquem effectum contingit dupliciter, uno modo per modum principalis agentis, alio modo per modum instrumenti. Primo igitur modo solus Deus operatur interiorem effectum Sacramenti, tum quia solus Deus illabitur animae, in qua Sacramenti effectus existit, tum quia gratia, quae est interior Sacramenti effectus est a solo Deo, cum donum gratiae excedat omnem facultatem naturae creatae cum nihil aliud sit, quam quaedam participatio divinae naturae, quae excedit omnem aliam naturam, & ideo impossibile est, quod aliqua creatura gratiam causet, sicut impossibile est, quod aliquis igniat nisi solus ignis, ut dictum est, *p.* 2. *q.* 112. *art.* 1. Secundo autem modo homo potest operari ad interiorem effectum Sacramenti, inquantum operatur per modum ministri, nam eadem ratio est ministri, & instrumenti, utriusque enim actio exterius adhibetur, sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus. Unde etiam idem Christus non operatur interiorem Sacramenti effectum secundum quod est homo, ait *Augustinus*, sed secundum quod est Deus, inquantum humanitas est instrumentum divinitatis: sed tamen quia est instrumentum coniunctum

divinitati in persona, habet quamdam principalitatem, & causalitatem respectu istrumentorum extrinsecorum, qui sunt Ministri Ecclesiæ, potestatem scilicet excellentiæ, quæ quidem consistit in quatuor. Primo quia meritum, & virtus passionis eius operatur in Sacramentis; secundo in eius nomine Sacramenta sanctificantur; tertio ipse solus potuit instituere Sacramenta, & potuisset effectum Sacramentorum solo imperio, sine exteriori Sacramento conferre; tandem potuit suam potestatem Christus Ministris conferre, 3. *p. q.* 64. *art.* 1. *&* 2. *&* 3. *&* 4. *promiscue*.

Concil. Trid. *Seff.* 7. *Can.* 1. inquit; *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta: anathema sit*.

10. *Quær*. An nedum homines, sed etiam Angeli possint Sacramenta ministrare?

Resp. Div. Th. Ad homines pertinet dispensare Sacramenta, & in eis ministrare, non autem ad Angelos: quia tota virtus Sacramentorum a passione Christi derivatur, secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem Angeli: sciendum tamen, quod sicut Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferri, ita virtutem suam non alligavit Ecclesiæ Ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis. Et quia boni Angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod Sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare hoc fieri voluntate divina, sicut quædam templa dicuntur Angelico ministerio consecrata. Si vero dæmones, qui sunt spiritus mendacii aliquod Sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum, 3. *p. q.* 64. *art.* 7.

11. *Quær*. An Laici possint dispensare Sacramenta?

Resp. Div. Th. Nullius Sacramenti dispensatio Laico ex officio competit; sed quod possit, puta baptizare in casu necessitatis, est divina dispensatione factum, ut nulli regenerationis spiritualis facultas desit, 4. *sent. dist* 23. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *in corp.*

Concil. Trid. *Seff.* 7. *Can.* 10. ait, *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem: anathema sit*.

12. *Quær*. An mali Ministri Sacramenta conferre possint, & an peccent sic agendo?

Resp. Div. Th. Ministri Ecclesiæ, ut dictum est instrumentaliter operantur in Sacramentis: instrumentum autem non agit secundum propriam formam, aut virtutem, sed secundum virtutem eius, a quo movetur; accidit enim istrumento, puta, quod fistula, per quam transit aqua sit argentea, vel plumbea. Unde ministri Ecclesiæ possunt Sacramenta conferre etiamsi sint mali; conveniens tamen est, ut Sacramentorum Ministri sint iusti, quia Ministri debent Domino conformari, & ideo non dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei, & Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum peccent: & quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum ex parte ipsius peccatoris, licet Sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint, consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale, 3. *p. q.* 64. *art.* 5. *&* 6.

Unde Concil. Trid *Seff.* 7. *Can.* 12. inquit, *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum pertinent servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum: anathema sit*.

13. *Quær*. An Sacerdos malus in casu necessitatis baptizans, peccet?

Resp. Div. Th. In articulo necessitatis non peccaret baptizando, in casu, in quo laicus etiam posset baptizare; sic enim pater, quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ sed subveniret necessitatem patienti; secus autem est in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut Baptismus, 3. *p. q.* 64. *art.* 6. *ad.* 3.

14. *Quær*. An hæretici conferant Sacramenta?

Resp. Div. Th. Hæreticorum quidam in collatione Sacramentorum formam Ecclesiæ non servant, & tales neque Sacramentum conferunt, neque rem Sacramenti. Quidam vero servant Ecclesiæ formam, & tales conferunt quidem Sacramentum, sed non conferunt rem Sacramenti, & hoc dico si sunt manifeste ab Ecclesia præcisi, quia hoc ipso, quod ali-

aliquis accipit Sacramenta ab eis peccat, & per hoc impeditur, ne effectum Sacramenti consequatur. Unde *Aug. in lib. de fide cap. 16. tom.* 3. Firmissime tene, & nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, baptismo cumulari perniciem. Et per hunc modum dicit *Leo Papa epist. 65.* In Sede Alexandrina Sacramentorum lumen esse extinctum; scilicet quantum ad rem Sacramenti, non autem quantum ad ipsum Sacramentum, 3. *p. q. 64. art. 9. ad* 2.

15. *Quær.* An Excommunicati, suspensi, degradati possint conferre Sacramenta?

Resp. Div. Th. Potestas ministrandi Sacramenta pertinet ad spiritualem characterem, qui indelebilis est, & ideo per hoc, quod aliquis ab Ecclesia suspenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur non amittit potestatem conferendi Sacramentum, sed licentiam utendi hac potestate, & ideo Sacramentum quidem confert, sed tamen peccat conferendo, & similiter ille, qui ab eo accipit Sacramentum, & sic non percipit rem Sacramenti, nisi forte per ignorantiam excusetur, 3. *p. q. 64. art. 9. ad* 3.

16. *Quær.* An semper suscipiens Sacramenta a malo Ministro communicet peccato eius?

Resp. Div. Th. Ille, qui ad Sacramentum accedit suscipit Sacramenta a Ministro Ecclesiæ, non inquantum est talis persona, sed inquantum est Minister Ecclesiæ; & ideo quandiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille, qui ab eo suscipit Sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tamquam Ministrum exhibet; si vero ab Ecclesia non tolleratur, puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur, tunc solum, ut dictum est supra, peccat, quia communicat peccato ipsius, 3. *p. q. 64. art. 6. ad* 2. & 4. *sent. dist. 24. q. 1. art. 3. questiunc. 3. ad* 3.

17. *Quær.* An liceat inducere Sacerdotem, de quo dubitatur, an sit in peccato mortali, ut exerceat aliquod munus sui ordinis, maxime circa Sacramenta?

Resp. Div. Th. Præter necessitatis articulum non esset tutum, quod Sacerdotem induceret aliquis ad aliquid sui ordinis exequendum durante tali conscientia, quod ille in peccato mortali esset; quam tamen deponere posset, quia in instanti homo a Divina gratia emendatur, 4. *sent. dist. 24. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. ad* 3.

18. *Quær.* An Infidelis possit Sacramenta conferre?

Resp. Div. Th. Sicut non requiritur ad essentiam Sacramenti, quod Minister sit in charitate, sed possunt etiam peccatores Sacramenta conferre, ita non requiritur ad essentiam Sacramenti fides eius, sed infidelis potest verum Sacramentum præbere, dummodo cætera adsint, quæ sunt de necessitate Sacramenti, 3. *p. q. 64. art. 9.* & 4 *sent. dist. 6. q. 1. art. 3. questiunc.* 2.

19. *Quær.* An intentio Ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti, & quænam sit ista intentio?

Resp. Div. Th. In omnibus Sacramentis requiritur intentio ministri cum debita materia, & forma, non solum ad effectum Sacramenti consequendum, sed etiam ad Sacramenti perfectionem. Nam instrumentum quidem inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus, sed loco intentionis est motus, quo movetur a principali agente; sed instrumentum animatum (sicut est Minister) non solum movetur, sed etiam quodammodo movet se ipsum inquantum sua voluntate movet membra ad operandum, & ideo requiritur saltem eius intentio, qua se subiiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia, cum Minister Sacramenti agat in persona totius Ecclesiæ, cuius est Minister. Nam in verbis, quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti; nisi contrarium exterius exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum. Et si aliquando illi, qui in Sacramentis ministrant non attendunt ad ea, quæ dicunt, vel faciunt, alia cogitantes, tunc quamvis non habeant actualem intentionem, si habent tamen intentionem habitualem, (idem est hoc loco ac virtualem) sufficit ad perfectionem Sacramenti; puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia: Unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio

eius

eius ad alia rapitur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum: quamvis studiose curare debet Sacramenti Minister, vel Sacramentorum susceptor, ut etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non est totaliter semper positum in hominis potestate, quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere incipit alia cogitare, secundum illud *Psalm.* 139. Cor meum dereliquit me, 4. *sent. dist.* 6. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *in corp.* & 3. *p. q.* 64. *art.* 8. *per totum*.

Concil. Trid. *Sess.* 7. *Can.* 11. *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia: anathema sit*.

Adest 28. Prop. dam. ab Alex. VIII. *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit; non intendo facere quod facit Ecclesia*.

„ In administratione Sacramentorum a „ sanctissimo *PP. Bened. XIV.* in sua „ *Synodo Diœcesana lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 6. „ *ad* 9. excluditur a sententia Catharini & aliorum qui asserunt sufficere solam intentionem perficiendi ritum externum, qui ab Ecclesia adhibetur, „ etiamsi suam intentionem retineant, aut „ interius dicant, se nolle facere quod facit Ecclesia; dummodo exterius serio „ agant, nulloque signo pravam suam voluntatem prodant, cum hæc sententia „ sit affinis Propositioni 1. damn. ab Inn. „ XI. Nam in materia Sacramentorum „ non licet sequi opinionem probabilem „ relicta tutiore.

20. *Quær.* An sicut necessaria est intentio in Ministro, sit etiam necessaria fides?

Resp. Div. Th. Si quis patiatur fidei defectum circa ipsum Sacramentum, quod exhibet, licet credat per id, quod agit exterius, nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod Ecclesia Catholica intendit per huiusmodi, quæ exterius aguntur præbere Sacramentum: unde non obstante infidelitate, potest intendere facere id, quod facit Ecclesia, licet æstimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad Sacramentum; quia sicut supra dictum est, Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, & eius fide suppletur id, quod deest fidei Ministri, 3. *p. q.* 64. *art.* 9. *ad* 1.

21. *Quær.* An Sacramenta novæ legis causent gratiam vere, & proprie tamquam instrumenta divinæ virtutis?

Resp. Div. Th. Sacramenta novæ legis gratiam causant. Adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam. Unde *Aug.* dicit 19. *contra Faustum*: Hæc omnia, scilicet Sacramenta fiunt, & transeunt, virtus tamen, scilicet gratia Dei, quæ per ista operatur, iugiter manet, 3. *p. q.* 62. *art.* 1.

Unde Concil. Trid. *Sess.* 7. *Can.* 6. inquit: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre: anathema sit*. Et *Can.* 7. & *Can.* 8. similiter dicit.

22. *Quær.* Quid sit character, & an omnia Sacramenta imprimant characterem, & an remaneat post mortem?

Resp. Div. Th. Character est spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata, 3. *p. q.* 7. *art.* 3. & *q.* 63. Sive character est signum distinctivum communioni fidei, & sanctæ ordinationis impressum animæ rationali. Quicumque enim ad aliquid certum deputatur consuevit ad illud consignari, sicut milites, qui adscribuntur ad militiam, solent quibusdam characteribus corporalibus insigniri, signo ducis, eo quod deputantur ad aliquod corporale; & ideo cum homines per Sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est, quod aliquo spirituali charactere insignantur. Non omnia tamen Sacramenta imprimunt characterem. Nam Sacramenta novæ legis ad duo ordinantur, scilicet in remedium peccati, & ad cultum divinum. Est autem omnibus Sacramentis commune, quod per ea exhibeatur aliquod remedium contra peccatum, non autem omnia Sacramenta ordinantur directe ad divinum cultum, neque per omnia Sacramenta aliquis deputatur ad agendum aliquid, vel recipiendum, quod pertineat ad cultum Sacerdotis Christi. Ad agentes in Sacramentis pertinet Sacramentum ordinis, quia per hoc Sacramentum deputantur homines ad

Sa-

Sacramenta aliis tradenda. Ad recipientes pertinet Sacramentum Baptismi, quia per ipsum homo accipit potestatem, protestando fidem, recipiendi alia Ecclesiæ Sacramenta. Ad idem etiam ordinatur quodammodo confirmatio; nam confirmatus accipit potestatem publice fidem Christi verbis profitendi, quasi ex officio. Ideo solum per hæc tria Sacramenta character imprimitur, scilicet per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem. Post hanc vitam remanet character in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam, sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam & in his, qui vicerunt ad gloriam, & in his, qui sunt victi ad pœnam, 3. *p. q. 63. per totam, & q. 72. art. 5.*

Concil. Trid. *Seff. 7. Can. 9.* inquit; *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt: anathema sit.*

His visis in communi circa Ecclesiæ Sacramenta, oportet quædam in speciali de singulis dicere. Primo igitur circa Baptismum, D. Th. *Opusc. 5.*

TRACTATUS XXII.

De Baptismo.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit Baptismus?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

IN Sacramento Baptismi est tria considerare; aliquid scilicet, quod est Sacramentum tantum, aliquid autem, quod est res, & Sacramentum, aliquid vero, quod est res tantum. Sacramentum tantum est aliquid visibile exterius existens, quod scilicet est signum interioris effectus; hoc enim pertinet ad rationem Sacramenti: exterius autem suppositum sensui est ipsa aqua, & eius usus, qui est ablutio. In aqua est quædam sanctificationis virtus instrumentalis non permanens, sed fluens in hominem, qui est vere sanctificationis subiectum. Ideo Sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ dicitur ablutio. Et ideo *Magister in 4. sent. dist. 3.* dicit, quod Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma præscripta verborum, & sacræ divinissimæ nostræ regenerationis traditio. Res autem, & Sacramentum est character Baptismalis, qui est res significata per exteriorem ablutionem, & est signum Sacramentale interioris iustificationis, & gratiæ, quæ est res tantum huius Sacramenti, scilicet significata, & non significans. Quod est Sacramentum tantum in Baptismo transit, permanet autem id, quod est Sacramentum, & res, scilicet character, & id quod est res tantum, scilicet interior iustificatio, & gratia: sed character permanet indelebiliter, iustificatio autem, & gratia permanent, sed amissibiliter, 3. *p. q. 66. art. 1. per totum.*

„ In Cathechismo Romano definitur „ Baptismus, esse Sacramentum regene„ rationis per aquam in verbo.

Concil. Trid. *Seff. 7. Can. 6.* inquit: *Si quis dixerit, Baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere: anathema sit.*

2. *Quer.* Quando fuit institutus Baptismus, & quando incepit eius usus, & quando eius promulgatio præcepta?

Resp. Div. Th. Multiplex fuit Baptismi institutio; fuit enim primo institutus, quantum ad materiam, in Baptismo Christi in Iordane (nam antea Baptismus Ioannis gratiam non conferebat, sed solum gratiam præparabat.) Tunc vero Christus vim regenerativam aquis contulit, & aliquo modo fuit forma figurata per præsentiam trium personarum in signo visibi-

bili, quia Pater apparuit in voce, Filius in carne, Spiritus Sanctus in Columba; & similiter fructus Baptismi ibi præfiguratus fuit quia Cæli aperti sunt super eum; sed necessitas eius fuit declarata, *Io.* 3. ubi dicit, Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei: sed usus fuit inchoatus, quando misit Discipulos ad prædicandum, & baptizandum, ut patet *Matth.* 10. Sed efficaciam habuit ex passione Christi quantum ad ultimum effectum, qui est apperitio ianuæ: sed divulgatio eius quantum ad omnes rationes præcepta fuit *Matth.* ultimo, ubi dicit Discipulis: Euntes in Mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur, 4. *sent. dist.* 3 *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *in corp.* & 3. *p. q.* 66. *art.* 2. *in corp.* & 3. *p. q.* 38. *art.* 4. *promiscue.*

Concil. Trid. *Sess.* 7. *Can.* 1. inquit: *Si quis dixerit, Baptismum Ioannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi: anathema sit.*

3. *Quær.* Quænam sit materia Baptismi?

Resp. Div. Th. Ex institutione divina aqua est materia baptismi; & potest tripliciter considerari, quia secundum quod consideratur in sua propria natura est quasi materia remota, quia ex naturali proprietate habet aliquam convenientiam ad hoc, quod sit baptismi materia ratione similitudinis; sua enim humiditate lavat: ex quo conveniens est ad significandam, & causandam ablutionem peccatorum. Sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris, & ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam: Sua diaphaneitate est luminis susceptiva; unde competit Baptismo, in quantum est fidei Sacramentum: convenit etiam ad repræsentandum mysteria Christi; ut enim dicit *Chrisost. super Io. Hom.* 24. *Nisi quis renatus &c.* Sicut in aqua submergentibus nobis vetus homo sepelitur, & submersus deorsum sic occultatur, & deinde novus rursus ascendit; sic inquantum configuratur homo passioni, & resurrectioni Christi, moritur peccato, & incipit novam iustitiæ vitam. Tandem ratione suæ communitatis, & abundantiæ est conveniens materia necessitati huius Sacramenti; potest enim ubique de facili haberi. Secundum autem quod aqua est instituta, accipiens vim regenerativam ex tactu carnis Salvatoris, & secundum quod consideratur sub forma verborum, est quasi materia iam informata, & proxima. Aqua igitur est materia remota, & ablutio est materiale in Baptismo, sed verbum vitæ est forma completiva Sacramenti, 4. *sent. dist.* 3. *in expositione litteræ* & *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2. & 3. *p. q.* 66. *art.* 3. *in corp.* & *q.* 60. *art.* 7. *promiscue.*

Concil Trid. *Sess.* 7. *Can.* 2. inquit; *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit: anathema sit.*

4. *Quær.* An ad Baptismum requiratur aqua simplex?

Resp. Div. Th. In qualibet aqua qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquæ, urgente maxime necessitate, potest fieri baptismus. Ut autem dignoscatur, quod sic, vel sic permixta est aqua, sciendum est, quod sicut diversitatem specierum in animalibus iudicamus ex diversitate figurarum; ita etiam diversam speciem in elementis cognoscimus ex diversitate rari, vel densi; & ideo si fiat tanta alteratio, vel permixtio aquæ, quod recedatur a termino raritatis, & densitatis aquæ in actu, vel in potentia, quando humor aliquis non condensatur, aut rarefit calido, vel frigido, sicut aqua, sed aliter; sicut patet in vino, oleo, lacte, & huiusmodi, sicut etiam si aqua, puta, paludis esset in tantum ingrossata, quod recederet a vera raritate aquæ, non esset baptismus: si autem ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, potest in ea fieri baptismus, sicut in aqua, quæ exprimitur ex luto, licet in luto baptismus fieri non possit. Diversitas vero aquarum, quæ est inter loca, & situs, est differentia accidentalis, unde non mutat speciem aquæ, & ideo in qualibet aqua huiusmodi vel maris, vel fluminis, vel cisternæ, vel fontis, vel stagni, vel in glacie resoluta, potest fieri baptismus, 3. *p. q.* 66 *art.* 4. & 4. *sent dist.* 3. *art.* 3. *per totum.*

5. *Quær.* An Baptismus possit fieri in lixivio, in aquis mineralibus, in aqua mi-

mixta oleo, & in aqua lixatorum?

Resp. Div. Th. In lixivio, & in aquis sulphureorum balneorum potest fieri baptismus in casu necessitatis; quia tales aquæ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus mixtis; sed solum alterationem quamdam recipiunt ex hoc quod transeunt per aliqua corpora. Admixtio pariter Chrismatis non solvit speciem aquæ, sicut nec etiam aqua decoctionis carnium, aut aliorum huiusmodi, nisi forte sit facta tanta resolutio corporum mixtorum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena substantia, quam de aqua, quod ex spissitudine perspici potest, 3. *p. q.* 66. *art.* 4. *ad* 2. *&* *ad* 4.

6. *Quær.* An in aqua alchimica, vel rosacea possit fieri baptismus?

Resp. Div. Th. Aqua rosacea est liquor rosæ resolutus, unde in ea non potest fieri baptismus, & eadem ratione nec in aquis alchimicis; nec est eadem ratio de aquis pluvialibus, quæ generantur ex maiori parte ex sublimitate vaporum resolutorum ex aquis, minimum autem est ibi de liquoribus corporum mixtorum, qui per huiusmodi sublimationem virtute naturæ, quæ est fortior arte, resolvuntur in veram aquam, quod ars facere non potest. Unde aqua pluvialis nullam proprietatem retinet alicuius corporis mixti, quod de aquis rosaceis, & aquis alchimicis dici non potest, 3. *p. q.* 66. *art.* 4. *ad* 5.

7. *Quær.* Quid agendum in loco ubi non est aqua?

Resp. Div. Th. Si Sacerdos sit in tali loco, quod non possit habere aquam de fonte, vel rivo, vel aliam, defodiat terram si potest invenire, & si non poterit habere, imploranda est bonorum omnium largitoris gratia, ut 20. *dist. De quibus*. Sic enim Sacerdos facit quod potest, & quod non potest committit Deo, ut 2. 2. *dist. qui quæritur*. *Opusc.* 5. *cap.* 2.

8. *Quær.* An liceat dare pecuniam Sacerdoti pro Baptismo, vel emere aquam in casu necessitatis?

Resp. Div. Th. Si Puer est baptizandus, potius debet Laicus puerum baptizare, quam pretium Sacerdoti pro baptismo simoniace dare; tamen licitum est ei aquam emere, si alias habere non posset, quia aqua non est sacrum quid, & sit sanctificata non operatur ad baptismum de necessitate eius existens, quasi sanctificata, sed quasi aqua, & ideo non emit aquam sanctificatam, sed aquam. Quidam autem dicunt, quod potest pretium dare, quia hoc non est simoniam directe committere, sed redimere vexationem suam; si est adultus sufficit ei petere baptismum ad salutem, quia baptizatur baptismo flaminis, nec debet propter hoc simoniam committere, dando pretium Sacerdoti pro baptismo. Si Puer sit baptizandus sequitur, quod supra, 4. *sent. dist.* 5. *q.* 2. *art* 2. *quæstiunc.* 5. *ad* 2.

9. *Quær.* An in aqua baptismi si antea non sit benedicta, remaneat benedicta post usum eius, & an benedictio aquæ sit de necessitate baptismi?

Resp. Div. Th. In Sacramentis, quæ non indigent materia sanctificata, nihil manet post Sacramenti usum. Unde aqua, in qua celebratus est baptismus, nihil plus habet, quam alia aqua, nisi forte propter mixtionem Chrismatis, quod tamen non est de necessitate Sacramenti; nec est inconveniens, ut virtus illa cesset, quia virtus illa se habet ut in fieri existens, & moveri, & huiusmodi cessat cessante motione moventis, statim enim quando movens cessat movere, & mobile cessat moveri. Si vero in solemni baptismo aqua, in qua debet celebrari baptismus exorcizatur, & benedicitur, hoc non est de necessitate baptismi, sed pertinet ad quamdam solemnitatem, per quam excitatur devotio fidelium, & impeditur astutia dæmonis, ne impediat baptismi effectum; nec licet hanc benedictionem prætermittere propter Ecclesiæ institutionem, *q.* 27. *de verit. art.* 4. *ad* 10. *&* 3. *p. q.* 66. *art.* 3. *ad* 5. *&* 4. *sent. q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *promiscue*.

10. *Quær.* Quænam sit forma Baptismi?

Resp. Div. Th. Baptismus verbis evangelicis consecratur, ait *Aug. in lib.* 6. *de unico Baptismo cap.* 25. Et ideo oportet, quod in forma Baptismi exprimatur causa baptismi. Est autem eius duplex causa, una quidem principalis, quæ est Sancta Trinitas; alia autem instrumentalis, scilicet Minister, qui tradit exterius Sacramentum: & ideo oportet in forma baptismi de utraque fieri mentionem.

nem. Minister autem tangitur cum dicitur ego te baptizo; causa autem principalis cum dicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Unde hæc est conveniens forma baptismi. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, 3. *p. q. 66. art.* 5.

Recolatur Prop. 27. dam. ab Alex. VIII. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma in nomine Patris &c. prætermissis illis, ego te baptizo.*

11. *Quær.* Quænam sit forma Græcorum, & an sit validus baptismus sub tali forma, & quænam, comparative ad formam Latinorum, sit melior?

Resp. Div. Th. Græci non attribuunt actum baptismi Ministris ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptismi baptizantibus attribuebant dicentes, Ego sum Pauli, Ego Cephæ; & ideo dicunt *Baptizetur Servus Christi talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & quia facto exprimitur actus exercitus per ministrum cum invocatione Trinitatis, ideo perficitur verum Sacramentum. Differunt vero Græci in forma a nobis quantum ad tria; primo quia personam Ministri non exprimunt: secundo quia significant actum sub alia persona, scilicet tertia, & sub alio modo, scilicet optativo; tertio quia personam baptizatam ponunt in casu recto, & in tertia persona. Utrum autem ipsi mutent aliquid, quod sit de substantia formæ, quamvis quidam dicant hoc, non tamen est determinatum. Hoc autem certum est, quod forma qua nos utimur melior est, quia magis consonat verbis Evangelii, quod Ministros baptizantes dicit, tum propter auctoritatem Ecclesiæ Latinæ, quæ hanc formam tradit, quæ nunquam a vera fide declinasse legitur, hanc formam ab Apostolis retinens. Et ideo non licet, præcipue Latinis in forma Græcorum baptizare, quod si præsumerent; secundum quosdam non esset baptismus, secundum quosdam esset, sed graviter peccarent, 4. *sent. dist.* 3. *q.* 1. *art.* 2. *questiunc.* 2. *ad* 1.

12. *Quær.* An si quis omitteret illa verba, Ego te baptizo, vel si quis baptizaret in nomine Trinitatis tantum, sine expressione personarum, perficeret Baptismum?

Resp. D. Th. Cum ablutio hominis in aqua propter multa fieri possit, oportet, quod determinetur in verbis formæ ad quid fiat, quod quidem non fit per hoc quod dicatur, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia omnia in tali nomine facere debemus. Et ideo si non exprimatur actus baptismi vel per modum nostrum, idest Latinorum, vel per modum Græcorum, non perficitur Sacramentum; secundum illud, *Decret. Alex. III. de Bapt. & eius effectu cap.* 1. Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen; & non dixerit, Ego te baptizo in nomine &c. non est puer baptizatus. Si omittatur tantum ly, Ego, cum non sit de substantia formæ, & ponatur ad maiorem expressionem formæ, non officit ad validitatem Baptismi; peccat tamen, quia facit contra institutionem Ecclesiæ. Neque pariter sufficit dicere, Ego te baptizo in nomine Trinitatis, nec esset baptismus si diceretur; quia in nomine Trinitatis non exprimuntur ipsæ personæ, sed solus numerus personarum, 3. *p. q. 66. art* 5. *ad* 1. *& ad* 2. *& in* 4. *sent. dist.* 3. *q.* 1. *art.* 2. *questiun.* 2. *ad* 4.

13. *Quær.* An baptizans in nomine Christi perficiat baptismum?

Resp. D. Th. Sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi; & ideo si prætermittatur aliquid eorum, quæ Christus instituit circa aliquod Sacramentum efficacia caret; nisi ex speciali dispensatione eius, qui virtutem suam Sacramentis non alligavit. Sicut ex speciali Christi revelatione, & dispensatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Iudæis, & Gentilibus honorabile redderetur per hoc, quod ad eius invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo. De cætero Christus instituit Sacramentum Baptismi dari cum invocatione Trinitatis, & ideo quidquid desit ad plenam invocationem Trinitatis tollit integritatem Baptismi; nec sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimatur, 3. *p. q. 66. art. 6. in corp. & ad* 1.

14. *Quær.* An sufficiat exprimere unam personam sensibiliter, cum expressione intelligibili aliarum personarum, & demere aliqua verba formæ?

Resp. Div. Th. De subtractione hoc cer-

certum est, quod si subtrahatur aliquid, quod sit de essentia formæ, non est Baptismus, & ille qui Baptizat graviter peccat; & quia apud omnes invocatio Trinitatis est de essentia formæ, ideo hoc nullo modo subtrahi potest. Nam secundum quosdam sufficiebat quantum ad invocationem Trinitatis si nihil minueretur de forma intelligibili, quamvis minueretur de forma sensibili, quia in una persona omnes intelliguntur; ideo dicebant, quod una persona nominata plenus esset Baptismus, si fides interius plena esset. Sed contra hoc est Decretalis *Alexandri Papæ III.* supra allegata. Similiter etiam expressio personæ baptizatæ est de substantia formæ, quia per eam determinatur actus ad hunc Baptismum, & ideo si subtrahatur non est Baptismus; sed expressio personæ baptizantis per ly Ego, dicitur quod non est de forma quantum ad necessitatem Sacramenti, ut superius dictum est, sed ex institutione Ecclesiæ, ut intentio magis feratur ad actum illum, & ideo si omittatur erit Baptismus, sed peccat omittens, 4. *sent. dist.* 3. *art.* 2. *q.* 3. *ad.* 4. *& quæstiunc.* 3. *in corp.*

Recolatur supra Prop. 27. damn. ab Alex. VIII.

15. *Quær.* Quæ corruptio verborum tollat, & quæ non tollat veritatem baptismi, & Sacramenti?

Videatur supra *de Sacramentis in genere, q.* 6.

16. *Quær.* Quæ interruptio verborum & quæ transpositio tollat veritatem Baptismi?

Resp. Div. Th. Si fiat tanta interruptio, quod intercipiat intentionem baptizantis, tunc non erit una forma, & ideo utraque per se erit imperfecta, nec sufficit ad Baptismum; sicut si dicatur in nomine Patris, & interponat longam fabulam, & postea dicat Filii; si autem ita fiat parva interruptio, aut tussis, aut silentii, vel alicuius huiusmodi, vel verbi non corrumpentis formam, ut si dicatur in nomine Patris omnipotentis, quod intentionem non discontinuet, tunc erit ab unitate intentionis unitas formæ, unde si ordo, vel aliquid circa verba mutetur, quod non tollit nec significationem, nec integritatem verborum, erit Baptismus, 4. *sent. dist.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 4.

17. *Quær.* Quomodo agendum quando dubitatur de aliquo an sit baptizatus?

Resp. Div. Th. Decretalis *Alex. III.* dicit: De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, ego non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen. Non enim videtur iterari, quod nescitur esse factum; quod si in adulto certo deesset intentio suscipiendi baptismum, absolute esset baptizandus. Si autem hoc non constaret, esset dicendum sicut supra, si non es baptizatus ego te baptizo, 3. *p. q.* 66. *art.* 9. *ad* 4. *& q.* 68. *art.* 7. *ad* 2. *&* 4. *sent. dist.* 6. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1.

18. *Quær.* Qua forma utendum quando plures sunt baptizandi simul?

Resp. Div. Th. Possunt, si necessitas exigit, plures simul baptizari, sed tunc oportebit dicere, ego baptizo vos ec. nec erit mutatio formæ, quia, Vos, nihil aliud est, quam Te, & Te, 3. *p. q.* 66. *art.* 5. *ad* 4.

De hoc infra redibit sermo.

19. *Quær.* An forma possit proferri quocumque idiomate?

Resp. Div. Th. *Aug.* dicit *super Io. Tract.* 80. Verbum operatur in Sacramentis non quia dicitur, idest non secundum exteriorem sonum vocis, sed quia creditur; idest secundum sensum verborum, qui fide tenetur, & hic quidem sensus est idem apud omnes, licet non eædem voces sint quantum ad sonum: & ideo cuiuscumque linguæ verbis proferatur talis sensus, perficitur Sacramentum, 3. *p. q.* 60. *art.* 6. *ad* 1.

20. *Quær.* De Ministro Baptismi, an Sacerdos sit proprius Minister?

Resp. Div. Th. *Isidorus* dicit *in lib. de Officiis lib.* 2. *cap.* 24. Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse traditum ex officio. Nam Sacerdotes ad hoc consecrantur, ut Sacramentum Corporis Christi conficiant. Per Baptismum aliquis accipit ius ad mensam Domini accedendi, & ideo sicut ad Sacerdotem pertinet consecrare Eucharistiam (ad quod Sacerdotium principaliter ordinatur) ita ad proprium officium Sacerdotis pertinet Baptizare; eiusdem enim videtur esse operari totum, & partem in toto disponere. Baptizare igitur pertinet ad Presbyteros,

 qui

qui tenent locum septuaginta duorum discipulorum; maxime quando Baptismus solemniter, & ordinarie celebratur, debet aliquis Sacramentum Baptismi suscipere a Presbytero curam animarum habente, vel ab aliquo vice eius. Hoc tamen non requiritur in articulo necessitatis, 3. *p. q. 67. art. 4. in corp. & ad 2. & art. 4. ad 2.*

21. *Quær.* An Diaconus possit Baptizare?

Resp. Div. Th. *Isidorus* idem dicit, & habetur in *decret. dist. 35. cap. perlectis*, Ad Diaconum solum pertinet assistere, & ministrare Sacerdotibus in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, in Baptismo scilicet, & Chrismate, in patena, & calice. Sed quia Baptismus est Sacramentum necessitatis permittitur Diaconis, necessitate urgente, in absentia maiorum baptizare. Unde *Gelasius* dicit *in decret. 93. cap. Diacones*. Diacones propriam constituimus servare mensuram; & infra, Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeat, nisi necessitas extrema compellat, & hoc modo *B. Laurentius* Diaconus existens baptizavit, 3. *p. q. 67. art. 1. in corp. & ad 3.*

22. *Quær.* An Laici in necessitate possint baptizare, & quo ordine?

Resp. Div. Th. Ad misericordiam eius, qui vult omnes homines salvos fieri pertinet, ut in his quæ sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem Sacramenta, maximæ necessitatis est Baptismus, *qui est regeneratio hominis ad vitam spiritualem*; quia pueris aliter omnino subveniri non potest, & adulti non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam: & ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est, ut & materia baptismi sit communis, scilicet aqua, quæ a quolibet de facili haberi potest, & Minister baptismi, urgente necessitate, etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suæ dispendium patiatur. Unde *Gelasius* Papa, & *Isidorus* supra citatis locis dicunt, quod baptizare, necessitate imminente laicis plerumque conceditur. Et si vero extra necessitatis articulum laicus baptizat, peccat quidem, tamen Sacramentum baptismi confert, nec est rebaptizandus ille, qui sic est baptizatus; si mulier etiam extra casum necessitatis baptizaret, non esset rebaptizandus, peccaret quoque ipsa baptizans, & alii, qui ad hoc cooperarentur. In casu etiam necessitatis non debet mulier baptizare si adsit copia viri, quia caput mulieris est vir, sicut nec laicus præsente Clerico, nec Clericus præsente Sacerdote, qui tamen potest baptizare præsente Episcopo, eo quod pertinet ad officium Sacerdotis, 3. *p. q. 67. art. 3. in corp. & ad 1. & art. 4. in corp. & ad 3. promiscue.*

23. *Quær.* An plures possint simul unum baptizare, & an unus possit plures baptizare?

Resp. Div. Th. Sacramentum baptismi præcipue habet virtutem ex forma, quam *Apost. Eph.* 5. vocat verbum vitæ. Et ideo considerare oportet si plures simul unum baptizarent, qua forma uterentur; si enim dicerent, Nos te baptizamus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, exprimitur talis intentio, quod plures conveniant ad unum baptismum conferendum, quod quidem videtur esse contra rationem ministerii: homo enim non baptizat nisi ut minister Christi, & vices eius gerens; & sicut unus est Christus, ita oportet unum esse ministrum, qui Christum repræsentat, propter quod signanter *Apost.* dicit *Eph.* 4. Unus Dominus, una fides, unum baptisma; & ideo contraria intentio videretur excludere baptismi Sacramentum. Si vero uterque diceret, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret, quod posset contingere in eo casu, in quo contentiose uterque aliquem baptizare conaretur. Et tunc manifestum est, quod ille, qui prius verba proferret, daret baptismi Sacramentum: alius quantumcumque ius baptizandi haberet, nihil faceret, et si verba pronunciare præsumeret esset puniendus tamquam rebaptizator. Si autem omnino simul ambo verba proferrent, & hominem immergerent, aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, & non de iteratione baptismi, quia uterque intenderet non baptizatum baptizare, & uterque quantum est in se baptizaret; nec traderent aliud, & aliud Sa-

Sacramentum, sed Christus, qui est unus, interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret. E contra vero in casu necessitatis unus posset plures baptizare sub hac forma: Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et hoc, puta, si immineret ruina, aut gladius, aut aliquid huiusmodi, quod omnino moram non pateretur, ut singulatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est nisi singulare geminatum, præsertim cum pluraliter dicatur, *Matth. ultim.* scilicet Baptizantes eos. Nec est simile de baptizante, & de baptizato, quia Christus, qui principaliter baptizat est unus, sed multi per baptismum efficiuntur unum in Christo, 3. *p. q. 67. artic. 6. in corp. & ad* 2.

24. *Quær.* An aliquis possit seipsum baptizare?

Resp. Div. Th. Quamvis possit aliquis etiam non baptizatus baptizare alium, non tamen potest seipsum baptizare, quia nulla res, secundum *Aug. & habetur de baptismo, & eius effectu, cap. debitum,* se ipsam gignit, ut sit. Baptismus regeneratio quædam est; nec in Sacramento potest esse idem agens, & patiens; tum quia non posset servari forma Ecclesiæ; & quamvis *Innocentius III.* in eadem Decretali de Baptismo, & eius effectu, *cap. Debitum*, dicat; Iudæus, qui se ipsum in aquam immersit, dicens: Ego baptizo me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, si decessisset, ad Patriam evolasset, intelligendum est propter vim desiderii, & contritionis, & devotionis, ex cuius magnitudine hoc procedere videbatur, ut inter Iudæos existens, quasi periculo mortis se offerret, 4. *sent. dist.* 5. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. *ad* 2. & 3. *p. q.* 82. *art.* 4. *ad* 2.

25. *Quær.* Quomodo non baptizatus possit baptizare?

Resp. Div. Th. Per Ecclesiam determinatum est, quod non baptizati, sive Iudæi, sive Pagani, possunt Sacramentum baptismi conferre, dummodo in forma Ecclesiæ baptizent. Unde *Nicolaus Papa* respondet, *de Consecr. dist.* 4. *ad consulta Bulgarorum cap.* 3. A quodam Iudæo nescitis, utrum Christiano, an Pagano, multos in Patria vestra assertis baptizatos, & quid inde sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent. Si autem forma Ecclesiæ non fuerit observata, Sacramentum baptismi non confertur. Et huius ratio est, quia sicut ex parte materiæ, quantum ad necessitatem Sacramenti sufficit quæcumque aqua, ita etiam sufficit ex parte Ministri quicumque homo, quia Christus est qui interius baptizat, & potest uti omnibus hominibus ad quodcumque voluerit, & quamvis non baptizatus non pertineat ad Ecclesiam re, potest tamen ad eam pertinere intentione, & similitudine actus, inquantum, scilicet intendit facere quod facit Ecclesia, & formam Ecclesiæ servat in baptizando, & sic operatur, ut minister Christi. Unde idem *Nicolaus Papa de consecr. dist.* 4. *cap.* 1. *Quodam Iudæo in fine*, dicit, Baptismus non est illorum, scilicet baptizantium, sed eius, scilicet Christi. Igitur etiam non baptizatus in articulo necessitatis baptizare potest; ut sic duo, puta non baptizati se invicem baptizent, dum prius unus baptizaret alium, & postea baptizaretur ab eodem, & consequeretur uterque non solum Sacramentum, sed etiam rem Sacramenti, scilicet gratiam. Si vero extra articulum necessitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret; & per hoc impediretur baptismi effectus, licet non tolleretur ipsum Sacramentum, 3. *p. q.* 67. *art.* 5. *per totum*, & 2. 2. *q.* 39. *art.* 4. *ad* 1.

26. *Quær.* An baptismus collatus ab Hæretico, vel a malo Ministro existenti in peccato mortali semper teneat, & gratiam conferat, & an sic baptizans peccet lethaliter?

Resp. Div. Th. Cum bonitas Ministri non sit de substantia Sacramenti, subtracta bonitate Ministri adhuc est Sacramentum, dummodo alia, quæ sunt de Sacramenti substantia, observentur: nam cum baptizans sit tantum agens instrumentale, non refert ad rem Sacramenti percipiendam, utrum Minister gratiam habeat, vel non: & effectus per se baptismi æqualis est a quocumque detur, vel malo, vel bono, cæteris paribus, ex parte baptizati; sed cum effectu baptismi potest aliquid aliud baptizato conferri sive pertineat ad salutem corporis, sive animæ, ex merito baptizantis. Quicumque tamen in peccato mortali existens exhibet se Mini-

nistrum Ecclesiæ in quocumque spirituali, peccat, & ideo cum Sacerdos baptizans cum solemnitate, Ministrum Ecclesiæ se exhibeat, peccat mortaliter: si autem simpliciter baptizet in articulo necessitatis, non quasi Minister Ecclesiæ, sed sicut laicus, & vetula baptizare posset, non peccat, 4. *sent. dist.* 5. *q.* 2. *art.* 2. *per totum*.

Error Rebaptizantium sæculo 3. scilicet: *Baptizati ab Hereticis absolute rebaptizandi sunt*. Et Donatistarum sæc. 4.

Concil. Trid. *Sess.* 7. *Can.* 4. inquit: *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab Hereticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptisma: anathema sit.*

27. *Quær.* An teneat baptismus, quando unus immergit, & alter profert verba?

Resp. Div. Th. Integritas baptismi consistit in forma verborum, & in usu materiæ: & ideo neque ille, qui tantum verba profert, baptizat, neque ille, qui immergit; & ideo si unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conveniens, neque enim poterit dici, Ego te baptizo, cum ipse non immergat, & per consequens non baptizet; neque enim poterit dici, Nos te baptizamus, cum neuter baptizet. Dum igitur Sacerdos dicit verba baptizando debet immergere in aquam, & sit cautus, ut per se immergat, & per se elevet puerum de sacro fonte propter contingens periculum pueri; & postea tradat eum adstantibus, & sciat se esse Patrem spiritualem pueri, & Compatrem parentum ex sola immersione, sicut alii elevantes, *c.*20. *q.* 1. *omnes*, 3. *p. q.* 67. *art.* 6. *ad* 3. *art.* 5. *ad* 4. *& opusc.* 65. *cap.* 3.

28. *Quær.* An intentio Ministri requiratur in baptismo?

Videatur supra in quæstionibus de Sacramentis in genere.

29. *Quær.* Si quis perverse, & derisorie, vel ex ludo intenderet baptizare, verum esset baptisma?

Resp. Div. Th. Intentio Ministri potest perverti dupliciter; uno modo respectu ipsius Sacramenti, puta, cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere, & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat. Alio modo potest perverti intentio Ministri quantum ad id, quod sequitur Sacramentum, puta, si Sacerdos intendat aliquam fœminam baptizare, ut abutatur ea: & quia prius non dependet a posteriori, inde est, quod talis intentionis perversitas veritatem Sacramenti non tollit, sed ipse Minister ex tali intentione graviter peccat. Ludus pariter aliquando excludit intentionem, & aliquando non. Cum enim ludo fieri dicantur, quæ præter intentionem alicuius utilitatis fiunt: ad solam delectationem ludus baptizantium potest excludere intentionem respectu utriusque effectus, scilicet Sacramenti collationis, & rei Sacramenti, & tunc non intendit facere, quod facit Ecclesia in collatione Sacramenti, & ita talis ludus evacuat intentionem, quæ requiritur in Sacramento; & in hoc casu verificatur, si ludo fecit, & intentio defuit: vel potest excludere tantum secundam utilitatem, scilicet rei, & gratiæ, ut scilicet velit de hoc, ludum suum facere ex eo, quod baptismi Sacramentum conferat, non propter sanctificationem baptizando hoc faciens; & tunc manet intentio Sacramenti, quæ sufficit ad baptismum, licet non sit intentio rei, & gratiæ, quæ resultat ex Sacramento: & propter hoc dubium dixit *Aug.* implorandum esse divinum auxilium; & ideo dicitur, quod puer Athanasius ludendo, simulans se Episcopum, baptizavit quosdam, & iudicatum est ab Alexandrino Episcopo, ut non rebaptizarentur, quia inventum est, quod ipse intentionem baptizandi habuit, quod etiam patet ex hoc, quod non baptizabat nisi Cathecumenos, 3. *p. quæst.* 64. *art.* 10. *in corp. &* 4. *sent. dist.* 6. *in expositione literæ*.

Conc. Trid. *Sess* 7. *Can.* 2. inquit: *Si quis dixerit ea ipsa novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia Ceremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi; anathema sit.*

30. *Quær.* An omnes homines teneantur ad susceptionem baptismi, ut salutem consequantur?

Resp. Div. Th. Ad illud homines tenentur, sine quo salutem consequi non possunt. Manifestum est autem, quod nullus potest consequi salutem nisi per Christum. Ad hoc autem datur baptismus, ut aliquis per ipsum regeneratus in-

incorporetur Christo. Unde dicitur ad *Galat.* 3. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Unde omnes tenentur ad baptismum, & sine eo non potest esse salus hominibus, ut habetur *Ioan.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Dupliciter tamen potest deesse baptismus, uno modo re, & voto, quod contingit in illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt. Quantum ad illos, qui habent usum liberi arbitrii, & ideo quibus hoc modo deest baptismus, salutem consequi non possunt, quia nec sacramentaliter, nec mentaliter Christo incorporantur. Alio modo potest Sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto, sicut cum quis aliquo casu prævenitur morte antequam baptismum suscipiat; & talis sine baptismo actuali salutem consequitur, propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem sanctificat. Unde *Ambros. in lib. de obitu Valentiniani*, & habetur *lib. 5. epist.* 34. *tom.* 3. dicit de Valentiniano. Qui cathecumenus mortuus fuit, quem regeneraturus eram amisi, veruntamen gratiam, quam poposcit non amisit. Taliter decedentes non perveniunt ad vitam æternam. sed patiuntur pœnam pro peccatis præteritis, ipsi tamen salvi sunt quasi per ignem, ut dicitur *ad Cor.* 3. quia non suscipiunt characterem, *3. p. q. 67. art.* 1. *& 2. per totum, & quodlib.* 4. *art.* 10.

Error Pelagianorum sæculo 5. *Baptismus non est necessarius ad deletionem peccati originalis.*

Propterea Concil. Trid. *Sess. 7. Can.* 5. ait: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.*

31. *Quær.* An Baptismus sit dandus pueris; & adultis an sit differendus ad longum tempus?

Resp. Div. Th. Cum in pueris si peccatum originale, per quod a consequutione æternæ salutis impediuntur, oportet, quod eis adhiberi possit aliquod remedium ad removendum prædictum impedimentum, hoc autem est baptismus. Unde divinæ misericordiæ contradiceret, qui negaret baptismum parvulis posse exhiberi, & hoc dicere esset hæreticum; & magis laudabile est, quod pueri quam citius potuerint baptizentur commode, non expectata perfecta ætate propter tres rationes. Primo, quia propter imbecillitatem naturæ de facili mori possunt, & damnari, unde ut damnationis periculum evitetur, debent baptismo præveniri. Secundo, propter infestationes dæmonum, qui non habent tantam potestatem in pueris baptizatis ab originali mundatis, quantam in illis, qui adhuc originale peccatum habent, neque quantum ad nocumenta spiritualia, neque quantum ad nocumenta temporalia. Tertio, quia in pueritia facilius homo ad aliqua inducitur, & firmius inhæret. Nam a pueritia infantes nutriti in his, quæ sunt Christianæ vitæ firmius in ea perseverant, secundum illud, *Prov.* 12. Adolescens iuxta viam suam, etiam comsenuerit non recedet ab ea, & sicut per Adam damnationem incurrunt nascendo, per Christum salutem consequuntur renascendo. Igitur sic pueris non est differendum baptisma, quia non expectatur in eis maior instructio, aut plenior conversio, & propter periculum mortis, quia non potest eis alio remedio subveniri nisi per Sacramentum Baptismi: quia vero adultis non statim cum convertuntur est Sacramentum Baptismi conferendum, sed oportet differre usque ad aliquod certum tempus, primo quidem propter cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur Sacramentum ficte accedentibus conferens, secundum illud *Io. cap.* 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint: quæ quidem probatio sumitur de accedentibus ad baptismum, quando per aliquod spatium eorum fides, & mores examinantur: secundo hoc est necessarium ad utilitatem eorum, qui baptizantur: quia aliqno temporis spatio indigent hoc, quod plene instruantur de fide, & exerceantur in his, quæ pertinent ad vitam Christianam: tertio hoc est necessarium ad quamdam reverentiam Sacramenti dum in solemnitatibus præcipuis Paschæ, & Pentecostes homines ad Baptismum admittuntur, & ita devotius Sacramentum suscipiunt. Hæc tamen dilatio est prætermittenda duplici ratione, primo quidem quando illi, qui sunt baptizandi apparent perfecte instructi in fide, & ad baptismum idonei, sicut Philippus statim baptizavit Eunuchum, ut habetur *Act.* 8. & Petrus Cornelium, & eos, qui

cum

eo erant, ut habetur *Act.* 10. secundo propter infirmitatem, aut aliquod mortis periculum. Unde *Leo Papa* dicit, & habetur *de consecr. dist.* 4. *cap. Si qui necessitate*. Hi qui necessitate mortis, aegritudinis, obsidionis, persecutionis, & naufragii urgentur, omni tempore debent baptizari. Si tamen aliquis morte praeveniatur, articulo necessitatis Sacramento excludente, dum expectant tempus ab Ecclesia institutum, salvatur, licet per ignem: peccat autem si ultra tempus institutum ab Ecclesia differat accipere baptismum, nisi ex causa necessaria, & licentia Praelatorum Ecclesiae, sed tamen ex hoc peccatum cum aliis deleri potest per votum, & succedentem contritionem, quae supplet vicem baptismi. Et quamvis Baptismus in fine vitae susceptus, per ipsum omnia delicta adolescentiae, & iuventutis solverentur, tamen ad pauciora bona promoveret, & ideo esset minus utilis; & multis casibus subiacet humana vita, & posset contingere, ut qui baptismum in fine accipere expectaret, morte subita praeventus, expectatione sua fraudaretur. 4. *sent. dist.* 4. *q.* 3. *art.* 1. *&* 3. *p. q.* 68. *art.* 3. *promiscue*.

Error Petro de Bruis saeculo 12. *Baptismus nihil prodest parvulis ante intelligibilem aetatem. Hinc adulti tantum baptizandi sunt rationis capaces.*

Propterea Conc. Trid. *Sess.* 7. *Can.* 13. inquit: *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habeant, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse: ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae; anathema sit.*

31. *Quaer.* An pueri infidelium, & Iudaeorum sint baptizandi invitis parentibus?

Resp. Div. Th. Pueri infidelium filii, aut habent usum rationis, aut non habent: si autem habent, iam quantum ad ea, quae sunt iuris divini, vel naturalis incipiunt suae potestatis esse; & ideo propria voluntate invitis parentibus possunt baptismum suscipere; & ideo tales licite moneri possunt, & induci non coactive, sed persuasive, ad suscipiendum Baptismum; si vero nondum habeat usum liberi arbitrii, secundum ius naturale sunt sub cura parentum quamdiu ipsi sibi providere non possunt, & ideo contra iustitiam naturalem esset si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; quia parentes ius patriae potestatis amitterent in filios iam fideles; esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes, & de facili possent a parentibus induci, quod relinquerent, quod ignorantes susceperunt: quod vergeret in fidei detrimentum. Et ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, praeter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam, si Iudaeorum filii invitis parentibus baptizarentur, ut patet etiam ex Concilio Toletano, in *decret. dist.* 45. *cap. de Iudeis*. 3. *p. q.* 68. *art.* 10. *in corp &* 2. 2. *q.* 10. *art.* 12. *in corp. & promiscue*.

32. *Quaer.* An pueri sint baptizandi antequam nascantur, vel antequam sint de utero matris avulsi?

Resp. Div. Th. *Aug.* dicit *epist.* 57. *ad Dardanum*. Nemo renascitur, nisi primo nascatur; sed baptismus est quaedam spiritualis regeneratio: non ergo debet aliquis baptizari priusquam ex utero nascatur. Praeterea de necessitate baptismi est, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, corpus autem infantis antequam nascatur ex utero, non potest ablui aqua, ergo neque baptizari. Si vero aliqua pars pueri egrediatur, expectanda est totalis egressio pueri ex utero, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egreditur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente, & non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contingat. Et videtur idem faciendum, quaecumque alia pars egrediatur, periculo imminente, quia tamen in nulla alia exteriorum partium est integritas vitae, sicut in capite, videtur propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer, post perfectam nativitatem, sit baptizandus sub hac forma; si non es baptizatus ego te baptizo. Neque vero debet homo occidere matrem ut baptizet puerum, quia non sunt facienda mala, ut veniant bona, ut dicitur *Rom.* 3. Homicidii crimen in matre committens; si tamen Mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer bapti-

ptizetur, 3. *p. q. 68. art.* 11. *per totum*, *& 4. sent. dist. 6. q.* 1. *art.* 1. *per totum promiscue*.

33. *Quær.* An furiosi, & amentes sint baptizandi, sicut etiam & dormientes?

Resp. Div. Th. Circa amentes, & furiosos est distinguendum, quidam enim sunt a nativitate tales nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet, & de talibus quantum ad baptismi susceptionem videtur esse iudicandum, quod de pueris, qui baptizantur in fide & intentione Ecclesiæ; alii vero sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt, & tales sunt iudicandi secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent, & ideo si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi Baptismum, debet eis exhiberi in furia, & amentia constitutis, etiam si tunc actu contradicant; alioquin si nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eis apparuit dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. Quidam vero sunt, qui etsi a nativitate fuerint furiosi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt; unde si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt, etiam in amentia constituti, si periculum timeatur; alioquin melius esset, ut tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis ad hoc, quod devotius suscipiant Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas suscipiendi Baptismum, baptizari non debent in amentia constituti. Similiter dormientes non sunt baptizandi, nisi periculum mortis immineat, in quo casu baptizari debent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi baptismum, sicut de amentibus dictum est. Sicut *Aug.* narrat *in lib. Confess.* de amico suo, qui baptizatus est nesciens propter periculum mortis. Et tales baptizantur secundum propriam intentionem, quam habent, vel habuerunt tempore sanæ mentis, vel vigiliæ, 3. *p. q.* 68. *art.* 12. *per totum*, *&* 4. *sent. dist.* 6. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 2. *q.* 28. *de verit. art.* 3. *ad* 2.

34. *Quær.* An expositi, de quibus dubitatur an sint baptizati debeant saltem sub conditione baptizari?

Resp. Div. Th. Si puer v. g. inveniatur in platea, vel Cemeterio, & dubitetur utrum sit baptizatus, sicut sæpe fit de expositis, & proiectis, baptizari debent, saltem sub conditione, *de consecr. dist.* 4. *Parvulos Opusc.* 65. *art.* 3.

35. *Quær.* An baptizando unum pro alio teneat baptismus?

Resp. Div. Th. Si aliquis baptizat Ioannem, & credit baptizare Petrum, nihilominus Ioannes vere baptizatus est, quia character baptismi non causatur ex intentione baptizantis directe, sed ex intentione Christi, & ex elemento materiali exterius exhibito; intentio autem Christi est, ut baptismus illi proficiat, qui in Christi fide baptizatur, 4. *sent. dist.* 30. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 3. *& super cap.* 15. *ad Corinth.*

36. *Quær.* An peccatores sint baptizandi, & quænam dispositio requiratur in adultis?

Resp. Div. Th. Aliquis potest dici peccator dupliciter, uno modo propter maculam, & reatum præteritum, & sic peccatoribus est Sacramentum conferendum, quia est ad hoc specialiter institutum, ut per ipsum peccatorum sordes mundentur, secundum illud *Eph.* 5. Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. Alio modo potest dici aliquis peccator ex voluntate peccandi, & proposito persistendi in peccato, & sic peccatoribus non est Sacramentum Baptismi conferendum. Unde *Aug.* dicit *in lib. de pœnitentia ex tract.* 72. *in Io. tom.* 9. *cap.* 2. Nullus suæ voluntatis arbiter constitutus potest novam vitam inchoare, nisi eum veteris vitæ pœniteat, cum per baptismum homines in Christo incorporentur *ad Gal.* 3. quamdiu enim aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo coniunctus, secundum illud, 2. *ad Corinth.* 6. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate. Ex hoc igitur quod aliquis lavandum se præbet per baptismum, se disponat ad interiorem ablutionem. Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te; ait *Aug.* Quantum est de se baptismus tollit omnem culpam originalem, & actualem, sed requiritur contritio, vel attritio præcedens, etsi non contritio, ad removendam fictionem, quæ est contraria dispositio impediens effectum baptismi. Et secundum eumdem *Aug.* quatuor modis dicitur aliquis fictus, uno modo ille, qui non credit cum tamen baptismus sit

fidei Sacramentum: alio modo per hoc quod contemnit ipsum Sacramentum: tertio modo, per hoc quod aliter celebret Sacramentum non servans ritum Ecclesiæ: quarto modo per hoc quod aliquis indevote accedit cuicumque peccato vult homo inhærere; si ad baptismum accedit, fictus accedit, quod est indevote accedere. Sed hoc intelligendum est de peccato mortali, quod gratiæ contrariatur, 3. *p. q. 68. art. 4. & q. 69. art. 9. & 4. sent. dist. 4. q. 2. art. 1. promiscue, & dist. 6. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 5.*

37. *Quær.* An peccatores adulti baptizandi, sicut tenentur ad attritionem saltem eliciendam, sic teneantur ad confessionem?

Resp. Div. Th. Duplex est peccatorum confessio, una quidem interior, quæ fit Deo, & talis confessio peccatorum per contritionem requiritur, ut dictum est, ante baptismum, ut scilicet homo sua peccata recogitans de eis doleat. Alia vero est confessio peccatorum exterior, quæ fit Sacerdoti, & talis confessio non requiritur ante baptismum: primo quidem, quia talis confessio cum respiciat personam Ministri, pertinet ad pœnitentiæ Sacramentum, quod non requiritur ante baptismum, quia hoc est ianua omnium Sacramentorum: secundo quia confessio exterior, quæ fit Sacerdoti ordinatur ad hoc, quod Sacerdos confitentem absolvat a peccatis, & liget ad opera satisfactoria, quæ baptizatis non sunt imponenda, quia mors Christi satisfactoria fuit sufficienter pro peccatis non solum nostris, sed etiam totius mundi, ut dicitur *Io.* 2. hoc enim esset iniuriam facere passioni, & morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum. Tertio quia ipsa particularis confessio homini facta, est pœnosa propter verecundiam confitentis; baptizatis autem nulla exterior pœna imponitur, & ideo a baptizatis non requiritur specialis confessio peccatorum, sed sufficit generalis, quam faciunt, cum secundum ritum Ecclesiæ abrenuntiant Sathanæ, & omnibus pompis eius, 3. *p. q. 68. art. 5. & art. 6. promiscue.*

38. *Quær.* An recedente fictione, Baptismus suum consequatur effectum?

Resp. Div. Th. In Baptismo imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam: & ideo cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character, qui est præsens in anima incipit habere effectum suum, & ita baptismus recedente fictione effectum suum consequitur, quem prius habuisset, si fictio non fuisset; scilicet peccata præcedentia baptismum remittit, & præsentia quoad culpam, & quoad pœnam. Unde *Aug.* dicit *in lib. de Bapt. contra Donatistas cap.* 2. Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante peccatorum abolitionem non sinebat fieri. Et sic ad baptismi effectum consequendum concurrit baptismus, & pœnitentia, baptismus sicut causa per se agens in charactere, pœnitentia sicut causa per accidens, idest removens, prohibens, *4. sent. dist. 4. q. 3. art. 2. quæstiunc. 3. & 3. p. q. 69. art. 10. promiscue.*

39. *Quær.* An satisfactio sit Baptizatis iniugenda?

Resp. Div. Th. Restituere male ablata a proximis, & satisfacere eis de iniuriis est cessare a peccando, quia hoc ipso quod est detinere aliena, & proximum læsum non placare, est peccatum, & ideo peccatoribus baptizandis iniungendum est, quod satisfaciant proximis, sicut quod desistant a peccato; non est autem ut supra diximus eis iniungendum, quod pro peccatis præteritis aliquam pœnam patiantur. Excitantur vero peccatores de novo conversi ad institiam, & subtrahuntur omnes occasiones peccandi per opera facilia, sicut dicitur prima *Petri* 2. Sicut modo geniti infantes lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, 3. *p. q. 68. art. 5. ad 2. & ad 3.*

40. *Quær.* An baptismus possit iterari?

Resp. Div. Th. Baptismus iterari non potest. Primo quidem, quia baptismus est quædam spiritualis regeneratio, prout scilicet aliquis moritur veteri vitæ, & incipit novam vitam agere, unius autem non est nisi una regeneratio spiritualis, & ideo non potest baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio: unde *Aug.* dicit super illud *Io.* 3. Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci? sic tu, inquit *Aug.* intellige nativitatem spiritus, quomodo intellexit Ni-

Nicodemus nativitatem carnis. Secundo quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, & resurgimus in novitatem vitæ. Christus autem semel tantum mortuus est, ubi glosa dicit Christi mors unum baptisma consecravit. Tertio, quia baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis, & cum quadam consecratione datur. Unde sicut aliæ consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec baptismus: & hoc est quod *Aug.* dicit *in* 2. *contra Epistol. Parmeniani* quod character militaris non repetitur; & quod non minus hæret Sacramentum Christi, quam corporalis hæc nota, cum videmus nec Apostatas carere Baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur. Quarto quia baptismus principaliter datur contra originale peccatum: & ideo sicut originale peccatum non iteratur; ita etiam nec baptismus iteratur, 3. *p. q.* 66. *art.* 9. *in corp. & alibi*.

Concil. Trid. *Sess.* 7. *Can.* 11. inquit: *Si quis dixerit verum, & rite collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur: anathema sit*.

41. *Quær.* An baptizati coacte sint iterum baptizandi?

Resp. Div. Th. In baptismo duo recipit baptizatus, scilicet Sacramentum, & rem Sacramenti, scilicet gratiam: sed ad hæc recipienda non requiritur aliquid causans ex parte recipientis, sed solum impedimentum removens, quod quidem impedimentum nil aliud est, quam voluntas contraria alteri prædictorum; & ideo in adultis, & in habentibus usum rationis, in quibus potest esse contraria voluntas actu, vel habitu, requiritur & contritio, sive attritio, & devotio ad percipiendam rem Sacramenti, & intentio, & voluntas ad recipiendum Sacramentum. Tamen sciendum, quod non requiritur in adultis voluntas absoluta suscipiendi, quod Ecclesia confert, sed sufficit voluntas conditionata, sicut est in voluntariis mixtis, ut dicitur *in* 3. *Eth.* & ideo si sit coactio sufficiens, ita quod principium sit ex toto extra nil conferente vim passo, ut cum aliquis reclamans immergitur violenter, tunc talis nec Sacramentum Baptismi suscipit, nec rem Sacramenti. Si autem sit coactio inducens, puta minis, vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat baptismum suscipere, quam talia pati, tunc suscipit Sacramentum, sed non rem Sacramenti, 4. *sent. dist.* 6. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 3.

42. *Quær.* An defectus intentionis baptizati impediat Baptismum?

Resp. Div. Th. Baptismi effectus magis impeditur ex parte baptizati, quam baptizantis; sed dictum est supra, quod defectus intentionis ex parte baptizantis impedit Sacramentum, quia ad effectum Sacramenti debent multa concurrere, scilicet Ministrum, formam verborum, & materiam, quæ omnia non possunt colligari ad invicem, ut sint una causa nisi per intentionem baptizantis, qui scilicet formam, ad materiam applicet; multo fortius defectus intentionis ex parte baptizati impedit Sacramentum, cum in baptismo fiat spirituale connubium animæ ad Deum, & in coniugio requiratur intentio, & consensus. Unde defectus intentionis arguit defectum consensus, & per consequens impedit Sacramentum, 4. *sent. dist.* 6. *q.* 1. *art.* 2.

43. *Quær.* Quæ sint necessaria in Baptismo, & quæ ad solemnitatem?

Resp. Div. Th. In Sacramento Baptismi aliquid agitur, quod est de necessitate Sacramenti, & aliquid est, quod ad quamdam solemnitatem Sacramenti pertinet; de necessitate quidem Sacramenti, ut supra dictum est, est forma, quæ designat principalem causam Sacramenti, & Minister, qui est causa instrumentalis, & usus materiæ, scilicet ablutio in aqua, quæ designat principalem Sacramenti effectum: cætera vero omnia, quæ in ritu baptizandi observat Ecclesia, magis pertinent ad quamdam solemnitatem Sacramenti: quæ quidem adhibetur in Sacramento propter tria; primo quidem ad excitandam devotionem fidelium, & reverentiam ad Sacramentum, si simpliciter fieret ablutio in aqua absque solemnitate, de facili ab aliquibus æstimaretur, quasi quædam communis ablutio. Secundo ad fidelium instructionem, simplices, qui in literis non erudiuntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, puta per picturas, & aliqua huiusmodi, & per hunc modum per ea, quæ in Sacramentis aguntur, vel instruuntur,

vel sollicitantur ad quærendum de his, quæ per sensibilia signa significantur, & ideo quia præter Sacramenti principalem effectum oportet quædam alia scire circa baptismum; conveniens fuit, ut etiam exterioribus signis repræsentarentur. Tertio quia per orationes, & benedictiones, & alia huiusmodi cohibetur vis dæmonis ab impedimento Sacramentalis effectus, *3. p. q. 66. art.* 10. *& 4. sent. dist.* 2. *q.* 1. *art.* 2.

44. *Quær.* An Cathechismus debeat in Adultis præcedere baptismum?

Resp. Div. Th. Baptismus est fidei Christianæ Sacramentum, cum sit quædam professio fidei Christianæ; ad hoc autem quod aliquis fidem accipiat requiritur quod de fide instruatur secundum illud *Rom.* 10. Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? & ideo ante baptismum convenienter præcedit cathechismus, unde, & Dominus præceptum baptizandi discipulis tradens, præmittit doctrinam baptismo, dicens. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c. *3. p. q. 71. art.* 1.

45. *Quær.* An exorcismus, & aliqui ritus debeant præcedere baptismum, & subsequi?

Resp. Div. Th. Diabolus est hostis humanæ salutis, & habet potestatem aliquam in homine ex hoc ipso, quod subditur originali peccato, vel etiam actuali. Unde convenienter ante baptismum expelluntur dæmones per exorcismos, ne salutem hominis impediant, quam quidem expulsionem significat exsufflatio. Benedictio autem, cum manus impositione præcludit expulso viam ne redire possit. Sal autem in os missum, & narium, & aurium sputo linitio significat receptionem doctrinæ fidei, quantum ad aures, & approbationem quantum ad nares, & confessionem quantum ad os. Olei autem inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra dæmones. Primo inungitur oleo sancto & in pectore, & in scapulis, quasi athleta Dei, ut *Amb.* dicit, *& in lib. 1. decretal. 15. de sacra unctione cap. cum venisset*. Post baptismum statim signatur in cerebro cum sacro chrismate, ut a Christo Christianus possit vocari, ut scilicet sit paratus omni petenti de fide reddere rationem. Vestis candida traditur Baptizato in signum gloriosæ resurrectionis, ad quam homines per baptismum regenerantur, & ad significandam puritatem vitæ, quam debent post baptismum observare. Non sunt autem huiusmodi prætermittenda, nisi in necessitatis articulo, & tunc cessante periculo debent suppleri, ut servetur uniformitas in baptismo; Nec frustra supplentur post baptismum, quia sicut aliquando impeditur effectus baptismi antequam percipiatur, ita potest impediri post quam fuerit perceptus. Unde nihil agitur frustra per Ecclesiam. Talia enim operantur conservationem gratiæ baptismalis, *3. p. q. 66. art.* 10. *ad* 2. *& q. 71. art. 3. per totum*.

46. *Quær.* An immersio sit de necessitate baptismi, & an debeat esse trina, & in qua compleatur baptismus?

Resp. Div. Th. Ad baptismum per se requiritur ablutio aquæ, quæ est de necessitate Sacramenti, modus autem ablutionis per accidens se habet ad Sacramentum: unde ablutio potest fieri non tantum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis, sive effusionis; & in utroque modo potest fieri baptismus: & videtur, quod Apostoli hoc modo baptizarent, cum legatur, quod simul una die conversi sunt quinque millia, & alia tria millia *Actor.* 2. *&* 3. Sicut etiam, quantum est de se, licite potest quis semel, & ter immergere, quia unica immersione significatur unitas mortis Christi, & unitas Deitatis; per trinam autem immersionem significatur triduum sepulturæ Christi, & etiam Trinitas personarum: sed diversis ex causis secundum ordinationem Ecclesiæ quandoque institutus est unus modus, quandoque alius, communiter tamen observatur in Baptismo trina immersio, & graviter peccaret extra necessitatem aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non observans. Quamvis autem in trina immersione sit trina intinctio, tamen est una ablutio, ideo unitas intentionis in tribus immersionibus facit etiam unitatem baptismi: si vero quis intenderet ad unamquamque immersionem unum baptisma dare, ad singulas immersiones repetens verba formæ, peccaret, quantum in se est pluries baptizans, ex prima immersione vero compleret baptismum. Oportet baptismum adhi-

adhiberi circa caput si necessitas incumbit, ut non totum corpus possit immergi, quia in totum corpus aspersio reputatur. Sicut etiam iuristæ dicunt, quod ubi caput hominis iacet, reputatus ac si totus homo esset, 3. *p. q. 66. art.* 7. *&* 8. *&* 4. *sent. dist.* 3. *art.* 4. *promiscue*.

47. *Quær*. An liceat benedictionem aquæ prætermittere?

Resp. Div. Th. Sanctificatio materiæ, & benedictio, quæ præcedit baptismum non est de necessitate Sacramenti, sed de solemnitate, quam non licet prætermittere propter Ecclesiæ institutionem, 4. *sent. dist.* 5. *q.* 2. *art.* 1. *questiunc.* 1.

48. *Quær*. Qui ritus observabatur in primitiva Ecclesia circa baptismum, & quid nunc sit ablatum, vel additum?

Resp. Div. Th. Quæ pertinent ad solemnitatem baptismi, quædam fuerunt in primitiva Ecclesia, quæ nunc non sunt, & quædam postea superaddita. In primitiva Ecclesia ait *Dionysius* de *Eccl. hierar. cap.* 2. *p.* 2. plura servabantur in solemni celebratione baptismi, quando adulti ad baptismum veniebant: Primo instructio fidei per prædicationem Episcopi; secundo conversio infidelis ad fidem, & accessus ad Episcopum mediante Patrino, quem Anadochum dicitur: tertio gratiarum actio, & oratio ab Episcopo, & Clericis facta; quarto petitio baptismi, & professio observantiæ Christianæ Religionis: quinto manus impositio, & signatio eius signo crucis: sexto conscriptio baptizandi, & Anadochi: sed quantum ad exorcismum, primo exsufflatio versus occidentalem partem, & abrenuntiatio: Secundo manuum ad cælum erectio, cum sacra confessione fidei, & professione christianæ religionis: tertio oratio, benedictio, & manus impositio: quarto denudatio, & unctio oleo sancto. Quantum ad baptismum ponit idem Dionysius trinam immersionem cum aliis, quæ requiruntur ad baptismum; quantum vero ad perfectionem Baptismi, quæ consequitur, ponit tria, vestis traditionem, linitionem Chrismatis in vertice, & Eucharistiæ perceptionem. Nunc in Exorcismo aliquid subtractum est, ut patet per ritum, quem docet *Rabanus* de institutione Clericorum, & habetur *de consecr. dist.* 4. *cap. Postea*, scilicet conversio ad occidentalem partem, & orientalem; & aliquid additum, scilicet salis libatio, ut omnis sermo fidelium sit sale conditus, & aurium, & naris sputo linitio ad recipiendam fidem ex auditu per verbum Dei & nares ad quærendum doctrinam fidei per odorem bonum notitiæ suæ sparsum in conversatione, & doctrina sanctorum, 4. *sent. dist.* 6. *q.* 2. *art.* 1. *questiunc.* 3. *in corp. &* ad 3.

49. *Quær*. An necesse sit dari Patrinum in Baptismo, & quæ eius obligatio?

Resp. Div. Th. Spiritualis regeneratio, quæ fit per baptismum assimilatur quodammodo generationi carnali: unde dicitur 1. *Petri* 2. Sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite. In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, & pedagogo; unde & in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis; qui fungatur vice nutricis, & pedagogi informando, & instruendo eum, quasi novitium in fide, de his quæ pertinent ad fidem, & vitam christianam, ad quod Prælati Ecclesiæ vacare non possunt circa communem curam Populi occupati. Parvuli enim & Novitii indigent speciali cura præter communem; & ideo requiritur, quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte quasi sub divino patre, & salvationis sanctæ susceptore in suam instructionem, & tutelam. Unde *Aug.* dicit in quodam sermone Paschali, & refertur de *consecr. dist.* 4. *cap.* Vos ante omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in baptismate suscepistis moneo, ut vos cognoscatis fideiussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere; maxime si necessitas immineret sicut eo tempore, & loco in quo baptizati inter infideles nutriebantur. Sed inter Catholicos Christianos possunt ab hac opera excusari, præsumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum, saluti spiritualium filiorum curam impendere. Ideo alius debet esse pater spiritualis a patre carnali, ut habetur *in decret.* 30. *q.* 1. pervenit, nisi necessitas contrarium exigat, & multo magis ille, qui non est baptizatus, non potest suscipere baptizatum; ut declaratum est in *Concil. Moguntino*, & ha-

habetur *de consecr. dist.* 4. *cap. In baptismate*. Nec plures inquit *S. Leo Papa loco cit.* ad suscipiendo de baptismo infantem, quam unus accedat, sive vir, sive mulier, 3. *p. q.* 67. *art.* 7. *&* 8.

50. *Quær.* Quid promittit Patrinus pro Puero in Baptismo?

Resp. Div. Th. Qui pro puero baptizato respondet, Credo; non prædicit Puerum crediturum, cum ad legitimos annos pervenerit, alioquin diceret credet, sed profitetur fidem Ecclesiæ in persona pueri, cui communicatur, cuius Sacramentum ei tribuitur, & ad quam obligatur per alium in his, quæ sunt de necessitate salutis: similiter Patrinus pro puero respondens promittit operam daturum ad hoc, quod puer credat. 3. *p. q.* 71. *art.* 1. *ad* 3.

51. *Quær.* An tenens ad Baptismum possit etiam tenere ad confirmationem?

Resp. Div. Th. Potest ille idem, qui tenuit Puerum ad baptismum tenere ad Chrisma, cum ex pluribus filiis aliquis compater fieri possit, *de consecr. dist.* 4. *in Chatechis.* Ille tamen, qui non baptizatur, vel Chrismatur, nec ad baptismum, nec ad Chrisma tenere potest: ut *de consecr. dist.* 4. *in Bapt. opusc.* 65. *cap.* 3.

52. *Quær.* An contrahatur cognatio spiritualis inter baptizantem, & baptizatum, & levantem de sacro fonte?

Resp. Div. Th. Sicut in generatione carnali aliquis nascitur ex patre, & matre, ita in generatione spirituali aliquis renascitur filius Dei sicut Patris, & Ecclesiæ sicut matris. Sicut autem ille, qui Sacramentum confert gerit personam Dei, cuius instrumentum, & Minister est, ita ille qui baptizatum suscipit de sacro fonte, aut confirmandum tenet gerit personam Ecclesiæ: unde ad utrumque spiritualis cognatio contrahitur, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 1.

53. *Quær.* An vir possit esse Patrinus uxoris suæ, & e converso, & quid si in articulo mortis filium baptizaverit Pater, aut Mater?

Resp. Div. Th. Cavere debet Sacerdos, ne vir teneat Filium uxoris suæ ad baptismum, sive habeat de se, sive de alio marito, neque uxor filium viri sui, si factum fuerit ex malitia, peccant, non sunt tamen propter hoc separandi, ut 30. *q.* 1. *& extra* de cognatione spirituali *cap. Si quis*. Si vero pater, vel mater filium baptizaverint in mortis articulo, cum non possent babere alium, qui baptizaret, non sunt separandi, nec aliquo modo peccaverunt, ut 30. 1. *ad limina Opusc.* 65. *cap.* 3

54. *Quær.* An filia carnalis Sacerdotis baptizantis possit contrahere matrimonium cum baptizato ab ipsomet Sacerdote, & inter filios duorum compatrum?

Resp. Div. Th. Filia carnalis Sacerdotis contrahere non potest cum baptizato ab ipso, & matrimonium contractum, & consumatum dissolvitur, sicut inter filios duorum compatrum, *extra de cognatione spirituali cap. ex literis*. *Opusc.* 65. *cap.* 5.

„ De hac re alibi in quæst. de impe- „ dim. matrim.

55. *Quær.* An præter baptismum aquæ dentur alia duo baptismata, scilicet flaminis, & sanguinis?

Resp. Div. Th. Triplex est baptismus, scilicet fluminis, flaminis, & sanguinis: sed duo ultima non habent vim, nisi referantur ad primum, quia illud oportet habere in proposito, si non adsit facultas in babentibus usum liberi arbitrii, & ideo non sunt tria Sacramenta, sed unum Sacramentum, per quod regeneramur ad salutem; *Io.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c. inter ista vero baptismus sanguinis plus habet de effectu, si tamen primum fuerit in proposito, vel contrarium non teneatur in mente, sicut de Innocentibus, qui non erant in opposita dispositione. Baptismus enim virtutem habet ex merito passionis Christi *Rom.* 6. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Sicut enim qui baptizantur conformantur morti Christi sacramentaliter, ita Martyr realiter, & ideo istud baptisma habet totum effectum baptismi, quantum ad hoc, quod purgat omnem culpam, & pœnam peccati; non tamen imprimit characterem aliquem: & ideo si recipiens martyrium sine baptismo aquæ resurgeret esset baptizandus. Pœnitentia vero, sive baptismus flaminis non tantum habet de effectu baptismi, quia non tollit omnem pœnam, licet tollat culpam. Sicut autem martyr conformat se morti Christi per exteriorem passionem, ita pœnitens per interiorem; *Gal.* 5.

Qui

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Ideo posset esse tanta contritio, quod tolleret omnem culpam, & etiam omnem pœnam sicut patet in Latrone, & Magdalena. Tria ergo dicuntur baptismata, quia habent effectum baptismi, sed tamen unum proprie est baptisma, quia illa non agunt nisi istud habeant in proposito, quod quamvis sit sine actu est tamen cum desiderio, & voluntas pro facto reputatur, quando articulus necessitatis, non contemptus religionis, Sacramentum excludit, *Lect. 1. super cap. 6. Heb. & 4. sent. dist. 4. q. 3. art. 3. & 3. p. q. 66. art. 11.*

56. *Quær.* An effectus baptismi æqualis sit in omnibus baptizatis?

Resp. Div. Th. Duplex est effectus baptismi unus per se, & alius per accidens, per se quidem effectus baptismi est id, ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum homines in spiritualem vitam, & hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habent ad baptismum. Unde quia pueri æqualiter se habent ad baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur) omnes æqualem effectum percipiunt in baptismo; Adulti vero, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt non æqualiter se habent ad baptismum, quidam enim cum maiori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt, & ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis vitæ accipiunt: alio modo, quia etiam si æqualem gratiam percipiant, non æqualiter ea utuntur, sed unus studiosius in ea perficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest, sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat. Effectus autem baptismi per accidens est ad quem baptismus non est ordinatus, puta ut ultra non serviamus peccato, dicit glosa *Aug. lib. 2. Deus dat merit. & remiss. cap. 39.* Non hoc præstatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati, quæ in membris, prorsus extinguatur. Et tales effectus non æqualiter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiamsi cum æquali devotione accedant. Sed dispensatur huiusmodi effectus secundum ordinem providentiæ divinæ, *3. p. q. 69 art. 8.*

Concil. Trid. *Sess. 7. de Sacramentis in genere Can. 7.* inquit. *Si quis dixerit non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper, & omnibus quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus: anatebema sit.*

57. *Quær.* An effectus Baptismi sit etiam apertio ianuæ regni cælestis?

Resp. Div. Th. Aperire ianuam Regni Cælestis, est amovere impedimentum, quo quis impeditur Regnum Cæleste introire. Hoc autem impedimentum est culpa, & reatus pœnæ. Ostensum est autem supra, quod per baptismum omnis culpa, & omnis reatus pœnæ tollitur. Unde consequens est, quod effectus baptismi sit apertio ianuæ Regni Cælestis. *3. p. q. 69. art. 7.*

58. *Quær.* An per baptismum debuerint auferri pœnalitates præsentis vitæ?

Resp. Div. Th. Duplex est pœna peccati dicit *Glos.* ordinaria super illud ad *Rom. 6.* homo noster simul crucifixus, scilicet gehennalis, & temporalis. Gehennalem prorsus delevit Christus, ut eam non sentiant baptizati, & vere pœnitentes; temporale vero nondum pœnitus tulit, manet enim fames, sitis, & mors, & huiusmodi, sed regnum, & dominium eius deiecit, ut scilicet homo non timeat, & tandem in novissimo eamdem penitus exterminabit. Et hoc rationabiliter, quia per baptismum homo incorporatur Christo, & efficitur membrum eius, & ideo conveniens est, ut id agatur in membro incorporato, quod est actum in capite, & Christianus pro Christo possit pati, & propter spirituale exercitium, & verus homo crucifigatur, & corpus peccati destruatur, ut ait *Aug. lib. 1. de bapt. parvulorum cap. 39.* sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam; ne homines ad baptismum accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ. Ne in hac vita tantum sperantes miserabiliores simus omnibus hominibus ait Apostolus *prime Corinth. 15. 3. p. q. 69. art. 3. per totum promiscue.*

59. *Quær.* An baptismum liberet servum a servitute civili, & homicidam a pœna debita homicidio?

Resp.

Resp. Div. Th. Quamvis per baptismum omnis reatus poenæ, & culpæ tollatur, ut dictum est supra, non delet statim baptismus omnes pœnalitates ex peccato primi parentis consequentes, sicut necessitatem moriendi, & cæcitatem, vel aliquid huiusmodi, sed baptismus regenerat in spem vivam illius vitæ, in qua omnia tollentur; & sic non oportet, ut aliquis statim baptizatus a servili conditione liberetur; servire enim non est aliquid incompetens Christianæ Religionis perfectioni, quæ maxime humilitatem profitetur; multo minus vero a pœnis, quæ iudicio humano inferuntur, quia in his non solum attenditur, qua pœna sit homo dignus, quo ad Deum, sed etiam in quo sit obligatus quo ad homines, qui læsi, & scandalizati sunt per peccatum alicuius, & ideo licet homicida per baptismum liberetur a reatu pœne quoad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quoad homines, quos iustum est ædificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. Pie tamen talibus, scilicet servis, & homicidis Princeps posset indulgere, 2. *sent. dist.* 44. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2. *&* 3. *&* 4 *sent. dist.* 39. *art.* 4. *ad* 1. *&* 3. *p. q.* 69. *art.* 2. *ad.* 3.

60. *Quær.* Quinam errores fuerint circa hoc Sacramentum?

Resp. Div. Th. Circa hoc Sacramentum fuerunt aliqui errores. Primus quidem Solentianorum, qui baptismum in aqua non recipiunt, sed solum baptismum spiritualem, contra quos dicit *Damasus Io.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Secundus error fuit Donatistarum rebaptizantium eos, qui sunt baptizati a Catholicis, contra quos dicitur, *Eph.* 4. Una fides, unum baptisma. Est autem alter error eorum: nam dicunt, quod homo in peccato existens, non potest baptizare, contra quos dicitur *Io.* 1. Super quem videris spiritum descendentem, & manentem, hic est, qui baptizat, scilicet Christus. Unde non nocet homini malus minister, nec in hoc, nec in aliis Sacramentis, quia Christus est bonus, qui merito suæ passionis perfecit Sacramentum. Quartus error est Pelagianorum, qui dicunt pueros baptizari ut regeneratione adoptante admittantur ad Regnum Dei de bono in melius translati, non ista regeneratione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti, *opusc.* 5. *de Eccl. Sacram.*

Concil. Trid. *Sess.* 7. *Can.* 3. inquit: *Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam: anathema sit.*

61. *Quær.* Ex officio Sacerdotis quænam summatim præ oculis habenda sunt, ut recti procedant in hoc Sacramento pro praxi, & usu?

Resp. Div. Th. Sciendum est primo de baptismo, qui inter Sacramenta ordine prior est, & necessarium 17. *dist. Verum.* Est enim ianua, seu fundamentum Sacramentorum, *extra de Presb. non bapt. Veniens.* Consistit autem hoc Sacramentum in duobus, in elemento aquæ, & forma verborum, ut 1. *q.* 1. *Detrahe, & extra de Baptismo, & eius effectu. Non ut apponeres.* In aqua enim debet baptizari, non in alio liquore, & undecumque sit illa aqua sufficit, sive de mari, sive de fonte, sive imbribus, sive de glacie resoluta. Forma verborum est illa, quam Dominus dedit Apostolis dicens: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Extra de bapt. & eius effectu, Non ut apponeres*: ita quod nihil omittatur de his verbis; & si omiserit aliquam de tribus personis, non dicitur baptizatus, *de consecr. dist.* 4. *In Synodo.* Nec debet omitti hoc verbum dum dicitur, Ego te baptizo, *extra de Baptismo, & eius effectu. Si quis puerorum.* Si tamen corrumpat verba Sacerdos ex ignorantia Latinæ locutionis non nocet Sacramento, *de consecr. dist.* 4. *Retulerunt.* Ex satisfactione autem debet immergere ter, secundum huius nostræ regionis consuetudinem, *de consecrat. dist.* 4. *de Terna.* Et debet formam verborum ore exprimere, & dum dicit verba baptizando, debet immergere in aquam, ut 1. *q.* 1. *Detrahe.* Cætera vero, quæ adhibentur antea, & post oleum, & Chrisma, quæ non sunt de substantia baptismi, sed de solemnitate: si tamen Sacerdos illa omittat ex contemptu, peccat graviter, quia sunt introducta ex generali consuetudine Ecclesiæ, *de consecrat. dist.* 4. *Sive parvuli.* Et generales consuetudines servari debent, sicut Evangelia, ut 11. *distin. Ecclesiasticarum.* Sit autem Sacerdos cautus, ut per se immergat, & per se elevet puerum de sacro fon-

fonte propter contingens periculum pueri, & postea tradat eum adstantibus, & sciat se esse patrem spiritualem pueri, & compatrem parentum ex sola immersione, sicut alii elevantes, 20. *q.* 1. *Omnes*, ita quod filia carnalis Sacerdotis contrahere non potest cum baptizato ab ipso, & matrimonium contractum, & consummatum dissolvetur, sicut inter filios duorum compatrum, *extra de cognatione spirituali*, *& cap. ex literis*. Si vero immineat necessitas, vel infirmitas baptizandi, ut non possint solemnitates observari, quia timetur de morte baptizandi, tunc Sacerdos habeat aquam paratam in fonte, vel in vase, & immergat puerum ter in aqua dicendo: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & postea, si habeat opportunitatem, repetat ea, quæ omisit, *extra de Sacramento unct. cap. Pastoralis*, *& cap. Præsbyter*. Si vero contingat, imminente necessitate, quod puer baptizatus per aliquam mulierem, vel laicum, quia sic fieri aliquando consuevit Præsbytero absente; Sacerdos in tali casu, quia probabiliter dubitat, baptizet eumdem sub ista forma verborum. Si tu es baptizatus non te baptizo: sed si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut *extra de baptismo*, *& eius effect. De quibus*. Si autem puer inveniatur in platea, vel cœmeterio, & dubitetur utrum sit baptizatus, sicut sæpe fit de expositis, & proiectis, baptizari debet, *de consecr. dist.* 4. *Parvulus*. Si vero aliquis magnus, & adultus venit ad baptizandum, quem Sacerdos præ mole corporis non possit immergere, tunc Sacerdos fundat aquam super corpus eius, dicens: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & sic recipit baptismum. Tali enim adulto non imponitur pœnitentia de commissis ante baptismum: sufficit enim tali peccatori baptismi Sacramentum ad remissionem peccatorum omnium, tam originalium, quam actualium, ut *de consecr. dist.* 4. *Sine pœnitentia*. Requiritur tamen in eo cordis contritio, vel *attritio*, sine qua non sequeretur venia de actualibus peccatis, ut *de consecrat. dist.* 4. *Omnis*. Et talis adultus debet respondere de fide per se, non per alium, cum Sacerdos quærit de articulis fidei, dicens: Credis in Deum Patrem, &c. Credis in Iesum Christum, &c. ut *de consecr. distinct.* 4. *Parvulus*. Sed parvuli respondent per alios, quia per se non possunt hoc proferre, *de consecr. dist.* 4. *Parvulus*. Habeat autem Sacerdos orarium, sive stolam ad collum cum baptizat, 13. *distinct. Eccles.* Habeat etiam cereum accensum, ut ostendatur sub typo luminis corporalis lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sicut 21. *distinct. Clericos*, vel *Cleros*, ut ex hoc quod hominis fides augeatur: similiter *extra de celebratione Miss. sanc.* Admoneat autem Sacerdos parochianos suos, ut in septimana ante passionem Domini nostri mittant pueros suos, ut instruantur de Symbolo, *de consecrat. dist.* 4. *ante baptismum*, *ante* 20. *dies*. Credo quod si Sacerdos sit in tali loco, quod non possit habere aquam de fonte, vel de rivo, vel aliam, defodiat terram si possit invenire; & si non poterit habere, imploranda est bonorum omnium largitoris gratia, ut 20. *dist. De quibus*. Si enim Sacerdos facit quod potest, & quod non potest committit Deo, tunc ipse supplet defectum, ut 22. *distin. Qui quæritur*. Parvuli relati ad baptismum respondeant per alios, quia per se non possunt. Idem est de mutis, & surdis, & ægrotis, qui per se non possunt, ut *de consecr. dist.* 4. *Parvuli*. Potest autem dari baptismus quandoque eadem hora quando natus est puer, ne interveniente morte, paganus mori valeat, qui redimitur per baptismum, ut *de consecr. dist.* 4. *Beati*. Generalis autem baptismus non debet celebrari, nisi in Sabbato sancto, & Sabbato Pentecostes, ut *de consecr. dist.* 4. *Duo tempora*. Nemo autem potest baptizare se ipsum; sed alter debet esse baptizans, & alter baptizatus, ut *extra de baptism. & eius effect. Debit.* Ista duo sunt necessaria homini ad salutem, fides, & Sacramentum: sed ubi alterum deest ex necessitate, ipse Deus supplet, quod deest; scilicet in puero, supplet fidem, sed non Sacramentum; in adulto supplet Sacramentum, sed non fidem: ubi utrumque deest, anima in æternum damnatur, ut *de consecr. dist.* 4. *Firmissime*. Compaterni vero, qui confitentur fidem pro puero in baptismo tenentur instruere ipsum puerum iam adultum de fide, & charita-

tate, ut *de consecrat. dist.* 4. *Vos autem omnia*. Cavere autem debet Sacerdos, ne vir teneat filium uxoris suæ ad baptismum, sive habeat de se, sive de alio, neque uxor filium viri sui. Si tamen factum fuerit ex simplicitate, vel ex malitia, peccant, sed non sunt propter hoc separandi, ut 30. *quæstione prima* dictum est, & *extra de cognatione spirituali, cap. Si quis*. Si tamen pater, vel mater filium suum baptizaverit in mortis articulo, cum non potest habere alium, qui baptizaret, non sunt separandi; nec aliquo modo peccaverunt, ut 30. *quæstione prima, ad Limina*. Potest autem ille idem, qui tenuerit puerum ad baptismum, tenere ad chrisma, cum ex pluribus filiis aliquis compater fieri possit, *de consecr. dist.* 4. *In Cathechismo*. Ille tamen, qui non baptizatur, vel chrismatur, nec ad baptismum, nec ad chrisma tenere potest, ut *de consecrat. dist.* 4. *In Baptismate*. Minister huius Sacramenti proprius est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In articulo tamen necessitatis non solum Diaconus, sed etiam laicus, & mulier, immo paganus, & hæreticus potest baptizare, dummodo servet formam Ecclesiæ, & intendat facere quod facit Ecclesia. Si vero extra articulum necessitatis aliquis adultus a talibus baptizaretur, recipit quidem Sacramentum, & non debet iterum baptizari, non tamen recipit gratiam Sacramenti, quia ficti deputantur, utpote contra statutum Ecclesiæ Sacramentum accipientes. Effectus autem baptismi est remissio culpæ originalis, & actualis, & etiam culpæ, & pœnæ; ita ut statim morientes introducantur ad gloriam Dei. *Opusc. 65. cap. 3. & opusc. 5. capit. unic.*

TRACTATUS XXIII.

De Sacramento Confirmationis.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit Sacramentum Confirmationis?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Sicut Baptismus, ut dictum est supra, est quædam spiritualis regeneratio in vitam Christianam; ita etiam confirmatio est quoddam robur, & spirituale augmentum, promovens hominem in spiritualem ætatem, ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, idest contra persecutores fidei, nomen Christi publice confitendo coram hominibus. Sicut enim in esse naturæ prius generatur homo, & postea augetur, & roboratur, ita in esse gratiæ, 3. *p. q. 72. art. 5. in corp. & ad* 1. *& lect.* 1. *cap. 6. ad Hebr. promiscue.*

Error Sectariorum sæculo 3. Negabant enim dari Sacramentum confirmationis.

Quare Concil. Trid. *Sess. 7. Can.* 1. *de confir.* inquit: *Si quis dixerit confirmationem Baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam Cathechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant: anathema sit.*

2. *Quær*. Quinam instituerit Sacramentum Confirmationis, & quo tempore?

Resp. Div. Th. Circa institutionem Sacramenti confirmationis est triplex opinio: quidam enim dixerunt, quod Sacramentum non fuit institutum nec a Christo, nec ab Apostolis, sed post processum temporis in quodam Concilio: alii vero dixerunt, quod fuit institutum ab Apostolis, sed hoc non potest esse, quia instituere novum Sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo; & ideo dicendum est, quod Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo secundum illud *Io. 16.* Si non abiero Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos: & ideo in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi resurre-

ctio-

ctionem, & ascensionem, secundum illud *Io.* 7. Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus; quia quamvis prius discipuli Spiritum Sanctum habuissent in munere gratiæ, quo proficiebantur ad ea, quæ ad singulares personas eorum pertinebant, tamen in die Pentecostes acceperunt Spiritum Sanctum, sed in munere gratiæ ad promulgationem fidei in salutem aliorum. Ideo ea, quæ ad hoc Sacramentum pertinent, non fuerunt ante Christi ascensionem instituenda: sed aliquo modo præfiguratum fuit hoc Sacramentum in manus impositione Christi super pueros, & patet, *Matth.* 19. 3. *p. q.* 72. *art.* 1. *in respons. ad* 1. *&* 4. *sent. dist.* 7. *q.* 3. *art.* 2. *questiunc.* 1. *ad* 1. *& questiunc.* 2.

3. *Quær.* Quænam sit materia huius Sacramenti?

Resp. Div. Th. Conveniens materia remota huius Sacramenti est Chrisma, proxima vero est linitio Chrismatis sub forma præscripta verborum. In hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale, quod convenit perfectæ ætati. Homo autem cum ad perfectam ætatem pervenerit, incipit iam communicare actiones suas ad alios, antea vero quasi singularis sibi vivit. Unde Christus dicitur esse unctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus Sancti quam habuit; & ideo Oleum competit materiæ huius Sacramenti; & quia proprietates olei, quibus significatur Spiritus Sanctus magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo; unde & ipsa oliva semper frondibus virens, virorem, & misericordiam Spiritus Sancti significat: hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, & maxime habetur in usu ubi haberi potest, & hoc oleum, solum assumitur in usum huius Sacramenti, admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios. Unde *Apost.* dicit 2. *Cor.* Christi bonus odor sumus Deo, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Materia huius Sacramenti, quod non est tantæ necessitatis, potest de facili ad omnia loca terrarum deferri. Nec obstat, quod in Evangelio, vel in Actibus Apostolorum non fiat mentio de materia, vel forma huius Sacramenti, quia formæ Sacramentales, & alia, quæ in Sacramentis exiguntur, occultanda erant in primitiva Ecclesia propter irrisiones Gentilium, ut *Dionysius* dicit; unde etiam in fine *Ecclesiasticæ Hierarch.* excusat se a determinatione formarum Sacramentalium. Igitur dicendum est, quod Dominus materiam huius Sacramenti per se ipsum instituit, sicut & adventum Spiritus Sancti promisit, sed denuntiandam Apostolis dereliquit, quando usus Sacramenti competebat; scilicet post plenam Spiritus Sancti mansionem, 3. *p. q.* 72. *art.* 2. *in corp. & ad* 3. *&* 4. *sent. distinct.* 7. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 1. *& art.* 2. *ad* 1. *promiscue.*

4. *Quær.* An sit de necessitate, quod Chrisma, quod est materia huius Sacramenti, sit prius ab Episcopo consecratum?

Resp. Div. Th. Tota Sacramentorum sanctificatio a Christo derivatur, ut dictum est supra. Est autem considerandum, quod quibusdam Sacramentis habentibus materiam corpoream, Christus, est usus, scilicet Baptismo, & etiam Eucharistia, & ideo ex ipso usu Christi materiæ horum Sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem Sacramenti, ut *Chrysostomus* dicit, & habetur *de consecrat. dist.* 4. *cap. Nunquam aquæ*. Nunquam aquæ baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Dominici Corporis sanctificatæ fuissent; & similiter Dominus accipiens panem benedixit, similiter autem, & calicem, ut habetur *Matt.* 26. Propter hoc non est de necessitate horum Sacramentorum, quod materia prius benedicatur, quia sufficit benedictio Christi. Si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem Sacramenti, non autem ad necessitatem. Unctionibus autem visibilibus Christus non est usus, & ideo tam Chrisma, quam Oleum sanctum infirmorum prius benedicuntur, quam adhibeantur ad usum Sacramenti. Materia enim Sacramentorum consecratur vel ab ipso Christo, vel ab Episcopo, qui gerit in Ecclesia personam Christi; ut dispositio Sacramenti saltem a Ministro descendere ostendatur, scilicet ab Episcopo. Et hoc est, quod *Inn.* Papa dicit, & habetur *de consecr. dist.* 4. *cap. Presbyteris*. Præsbyteris, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere liceat, quod prius ab Episcopo fuerat consecratum, 3. *p. q.* 72. *art.* 3. *per totum*, *&* 4. *sent. distinct.* 7. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiuncula* 3.

 5. *Quær.*

5. *Quær*. Quænam sit forma huius Sacramenti?

Resp. Div. Th. Conveniens forma huius Sacramenti hæc est, scilicet: Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Sicut ex supradictis patet, in hoc Sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur spirituali pugnæ; & ideo in hoc Sacramento tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta. Quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est Sancta Trinitas, quæ exprimitur cum dicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Secundum est ipsum robur spirituale, quod homini confertur per Sacramentum visibilis materiæ ad salutem, quod quidem tangitur, cum dicitur, Confirmo te Chrismate salutis. Tertium est signum, quod pugnatori datur, sicut & in pugna corporali, milites insigniis Ducum insignuntur; & quantum ad hoc dicitur: Consigno te signo Crucis: in quo scilicet Rex noster triumphavit, ut dicitur *ad Colos*. 2. 3. *p. q.* 72. *art*. 4. *in corp. & ad* 1. *arg*.

6. *Quær*. An in Sacramento Confirmationis imprimatur character?

Resp. Div. Th. Character est distinctivum signum, quo quis ab aliis distinguitur ad aliquid spirituale deputatus: sed ad spirituale potest aliquis tripliciter deputari: uno modo si aliquis in se spiritualia participet, & ad hoc quis deputatur in baptismo, quia iam baptizatus potest esse particeps omnis spiritualis receptionis; unde character baptismalis secundum hanc considerationem est quasi quædam spiritualis potentia passiva, & accipit homo potestatem ad ea agenda solum, quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet, secundum se ipsum vivit. Alio modo ut spiritualia quis in notitiam deducat per eorum fortem confessionem, & ad hoc quis deputatur per confirmationem, inquantum quod accipit homo potestatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei. Unde etiam tempore persecutionis eligebantur aliqui, qui deberent in locum persecutionis remanere ad publice nomen Christi confitendum, aliis occulte credentibus. Sicut patet etiam exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in Cœnaculo perseverantes in oratione; postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Christianæ. Tertio modo, ut etiam spiritualia credentibus tradat. Et ad hoc deputatur aliquis per Sacramentum Ordinis, & ideo sicut in Baptismo confertur character & in Ordine, ita & in Confirmatione; character tamen Confirmationis ex necessitate præsupponit characterem baptismalem, ita scilicet, quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret, iterato ipsum confirmare post baptismum. Ratio est, quia sicut se habet confirmatio ad baptismum, ita augmentum ad generationem, ut ex supradictis patet. Manifestum est, quod nullus potest promoveri in ætatem perfectam, nisi primo fuerit natus: & similiter nisi primo fuerit baptizatus non potest Sacramentum confirmationis accipere, 3. *p. q.* 72. *art*. 5. *&* 6. *&* 4. *sent. dist*. 7. *q*. 1. *artic*. 3. *& q*. 2. *artic*. 1. *promiscue*.

7. *Quær*. An Sacramentum Confirmationis conferat gratiam?

Resp. Div. Th. *Melchiades* Papa dicit in quadam Epistola ad Hispaniarum Episcopos, Spiritus Sanctus in fonte baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam, & ideo gratia gratum faciens non solum datur ad remissionem culpæ, sed etiam ad augmentum, & firmitatem iustitiæ, & sic confertur in hoc Sacramento. Si ergo consideretur gratia in hoc Sacramento collata quantum ad id, quod est commune: sic per hoc Sacramentum non confertur alia gratia, quam per baptismum, sed quæ prius inerat augetur. Si consideretur quantum ad illud speciale, quod superadditur, non est eiusdem speciei cum ipsa; gratia enim baptismi datur contra defectum qui impedit statum iustitiæ in vita Christiana, scilicet contra peccatum originale, & actuale. Gratia autem confirmationis datur contra defectum oppositum robori, quod exigitur in confessoribus nominis Christi, scilicet infirmitati, 3. *p. q.* 72. *art*. 7. *per totum*, *&* 4. *sent. dist*. 7. *q*. 2. *artic*. 2. *quæstiunc*. 2.

Concil. Trid. *Sess*. 7. *Can*. 2. *de Confirmat*. inquit; *Si quis dixerit iniurios*

esse

esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt: anathema sit.

8. *Quær.* Quis sit Minister huius Sacramenti?

Resp. Div. Th. Collatio huius Sacramenti solis Episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia, sicut & in primitiva Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habetur *Act.* 8. Unde *Urbanus* Papa I. dicit, & habetur *de consecrat dist.* 5. *cap. Omnes fideles*. Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur. Et *Eusebius* Papa dicit, & habetur *de consecrat. dist.* 5. *cap. Manus impositionis*. Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse, nec ab aliis, qui eorum locum tenent unquam perfici potest; nam si aliter præsumptum fuerit irritum habetur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica unquam reputabitur Sacramenta. Est igitur de necessitate huius Sacramenti, quod ab Episcopo tradatur. Quamvis Papa, qui in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, sicut concedit Præsbyteris conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem; sic quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferant, ut de facto concessit Beatus *Gregorius*, ut habetur *lib.* 3. *Epist.* 1. 3. *p. q.* 72. *art.* 11. *in corp.*

„ Et de facto Confirmationis Sacramen-
„ tum conferri potest a Guardiano S. Se-
„ pulchri absentibus Episcopis, ex Indul-
„ to speciali S. Sedis, cum oleo, & chris-
„ mate etiam veteribus, si nova haberi
„ non possint, a Catholico Episcopo be-
„ nedictis, ut habetur etiam ex Constit.
„ Benedicti XIV. 29. quæ incipit: Eo
„ quamvis tempore, &c. „

Concil. Trid. *Sess.* 7. *Can.* 3. *de Confirm.* inquit: *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem: anathema sit.*

9. *Quær.* In qua parte corporis sint Chrismate signandi confirmandi?

Resp. Div. Th. Convenienter confirmandus signatur Chrismate signo Crucis in fronte, propter duo. Primo quidem, quia insignitur signo Crucis sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens, & manifestum: inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegitur, & ideo linitur confirmatus Chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret se esse Christianum. Sicut & Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt, qui prius in Cœnaculo latebant. Secundo, quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi, propter duo, scilicet, propter timorem, & verecundiam; utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte; & ideo in fronte signatur Chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat, 3. *p. q.* 72. *art.* 9. *in corp.* & 4. *sent. dist.* 7. *q.* 3. *art.* 3.

10. *Quær.* An hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum, viris, & mulieribus, senibus, & pueris?

Resp. Div. Th. Spiritus Sanctus adveniens replevit totam domum, ut dicitur *Act.* 2. per quam significatur Ecclesia, & postea subditur, quod repleti sunt omnes Spiritu Sancto; sed ad illam plenitudinem consequendam datur hoc Sacramentum: ergo est omnibus, qui sunt in Ecclesia, exhibendum. Unde *Chrysostomus* dicit in quadam Homilia *de Machabeis tom.* 1. In mundanis agonibus ætatis, ac formæ, generisque dignitas requiritur, & ideo servis, ac mulieribus, & senibus, ac pueris ad eos aditus denegatur: in cælestibus autem omni personæ, & ætati, ac sexui indiscreta facultate stadium patet. Et ideo *Ugo de S. Victore* dicit *lib.* 2. *de Sacr. p.* 7. *cap.* 3. Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur, quia sine ea potest esse salus, nisi forte prætermittatur propter contemptum; sed quia detrimentum perfectionis pateretur, unde etiam pueri confirmati decedentes maiorem gloriam consequentur, sicut & hic maiorem obtinet gratiam; quia quamvis puero non competat ei confiteri, vel pugnare, certum tamen est, quod effectum Sacramenti plene recipit, per quem erit idoneus ad pugnam, & con-

fes-

fessionem ad perfectam ætatem veniens, nisi gratiam acceptam per peccatum amittat, per hoc enim Sacramentum promovebitur anima, ad quam pertinet spiritualis nativitas, & spiritualis perfectio, 3. *p. q.* 72. *art.* 8. *per totum*, & 4. *sent. dist.* 7. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *in corp.*

11. *Quær.* An peccatoribus sit conferenda Confirmatio?

Resp. Div. Th. Quod sicut ex ipso nomine apparet, hoc Sacramentum datur ad confirmandum, quod prius invenerit, & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam: & propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitentiam reparatis. Tamen si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur remissionem peccatorum, 3. *p. q.* 72. *art.* 7. *ad* 2.

DE RITIBUS HUIUS SACRAMENTI.

12. *Quær.* An Episcopus, & confirmandus debeant esse ieiuni?

Resp. Div. Th. In Concilio Aurelianensi, & habetur *de consecr. dist.* 5. *cap. Ut ieiuni*, & *ut Episcop.* Statuitur, ut ieiuni ad confirmationem veniant, & in Concilio Meldensi, ut Episcopi non nisi ieiuni per impositionem manuum Spiritum Sanctum tradant. Ab hac prohibitione excipiuntur infirmi, & morte periclitantes, sicut & in eodem statuto Concilii Meldensis legitur; & ideo propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia sustinetur ut hoc Sacramentum (quod non nisi ab Episcopo dari potest) etiam a non ieiunis detur, vel accipiatur, quia unus Episcopus, præcipue in magna Diœcesi non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur: ubi tamen congrue observari potest, convenientius est, ut a ieiunis detur, & accipiatur, 3. *p. q.* 72. *art.* 7. *ad arg.* 2.

13. *Quær.* Quo tempore, & quo loco sit conferenda confirmatio?

Resp. Div Th. *Melchiades Papa in Epist. ad Hisp.* & habetur *tom.* 1. *Concil.* dicit: Ita coniuncta sunt hæc duo Sacramenta (scilicet Baptismi, & Confirmationis) ut ad invicem nisi morte prævenientе nullatenus possint segregari, & unum sine altero rite perfici non possunt. Et ideo ea tempora sunt præfixa baptismo solemniter celebrando; scilicet Pascha, & Pentecostes, & huic Sacramento; sed quia hoc Sacramentum a solis Episcopis datur, qui non sunt semper præsentes, ubi Præsbyteri baptizant, oportuit quantum ad communem usum, Sacramentum confirmationis etiam in alia tempora differri. Cum vero Confirmationis Sacramentum non contineat ipsum Christum, ideo non requiritur loci sanctificatio, & potest conferri in loco non sacro, 3. *p. q.* 72. *art.* 12. *ad* 1. & 4. *sent. dist.* 13. *art.* 2. *quæstiunc.* 5. *ad* 1.

14. *Quær.* An ille, qui confirmatur debet teneri ab alio?

Resp. Div. Th. Sicut aliquis de novo natus indiget instructore in his, quæ pertinent ad conservationem vitæ, secundum illud *Heb.* 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, reverebamur eos; ita illi, qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis, & ideo in bellis materialibus constituuntur Duces, & Centuriones, per quos alii gubernantur: & propter hoc etiam ille, qui accipit hoc Sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam quia per hoc Sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis, ideo ille, qui ad hoc Sacramentum accedit sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillis & puer, & ideo institutum fuit, ut ab altero teneatur, quod per se stare non posset, 3. *p. q.* 72. *art.* 10. & 4. *sent. dist.* 7. *q.* 3. *art.* 3.

15. *Quær.* An hoc Sacramentum possit iterari?

Resp. Div. Th. Sacramentum, quod habet effectum semper permanentem, non potest iterari sine iniuria Sacramenti; & ideo quia in confirmatione imprimitur character, qui est indelebilis, ideo non debet iterari, 4. *sent. dist.* 7. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 3. *in corp.*

16. *Quær.* An contrahatur cognatio spiritualis inter confirmantem, & confirmatum, & inter tenentem ad cofirmationem?

Resp.

Resp. Div. Th. Duplex est carnalis nativitas. Prima in utero, in quo adhuc id, quod natum est, est adeo debile, quod non possit extra exponi sine periculo, & huic nativitati similatur generatio per baptismum, in quo regeneratur aliquis adhuc quasi fovendus intra uterum Ecclesiæ. Secunda est nativitas ex utero, quando iam, id quod natum erat in utero tantum roboratum est, quod potest sine periculo exponi exterioribus, quæ nata sunt corrumpere; & huic assimilatur confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi: & ideo per utrumque istorum Sacramentorum contrahitur spiritualis cognatio, & tam ille, qui baptizatum suscipit de sacro fonte, aut confirmandum tenet, ad utrumque spiritualis cognatio contrahitur, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 1. *&* 4. *sent. dist.* 7. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 2. *& art.* 3. *in corp.* Nec differt utrum vir mulierem, vel mulier virum teneat, quia fortitudo spiritualis est per Christum, in quo non est masculus aut fæmina, ut dicitur *ad Galat.* 3.

17. *Quær* Quænam sint observanda post confirmationem?

Resp. Div. Th. Quod ligetur frons confirmati quousque deficeetur locus, in quo est Chrisma, & postmodum etiam, secundum *Hugonem lib.* 2. *de Sacramentis cap.* 6. *part.* 7. debet esse sub quadam disciplina custodiendum Chrisma, ne scilicet caput lavet usque ad septem dies propter septem dona Spiritus Sancti, & sicut etiam Ecclesia septem diebus adventum Spiritus Sancti in discipulos celebrat, 4. *sent. dist.* 7. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad* 3.

18. *Epilogus* De quidditate, & perfectione, & aliis, quæ requiruntur, & spectant ad Sacramentum confirmationis.

PRO INSTRUCTIONE.

Resp. Div. Th. Secundum igitur Sacramentum est confirmatio; cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod significat nitorem conscientiæ, & balsamo, quod significat odorem bonæ famæ per Episcopum benedicto. Forma autem huius Sacramenti est talis: Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Minister autem huius Sacramenti est solus Episcopus. Non enim licet Sacerdoti confirmando chrismate in fronte ungere, sed solum baptizando in vertice capitis, ut de *consecr. dist.* 9. novissime, & extra *de sacra unct. cap. Cum venisset*. Effectus autem huius Sacramenti est, quod in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut scilicet Christianus audacter confiteatur nomen Christi, & ideo confirmandus in fronte ungitur, in qua est sedes verecundiæ, ut scilicet nomen Christi confiteri non erubescat, & præcipue crucem eius, quæ est Iudeis scandalum, gentibus autem stultitia, ut ait *Apost.* 1. *Cor.* 1. 23. & propter hoc signo Crucis signatur. Et in hoc Sacramento contrahitur compaternitas, sicut in baptismo, ut *de consecr. dist.* 4. *in Catechismo* 30. *q.* 4. *Si quis ex uno*. Debet enim Sacerdos suo tempore monere Parochianos suos, ut filios suos Chrismari faciant, quia in confirmatione plene efficiuntur Christiani, ut *de consecr. dist.* 1. Omnes fideles, quia licet omissio Sacramenti non obsit puero morienti ad salutem, prodest tamen viventibus, quia dat robur ad agones, & prælia huius mundi, *de consecr. dist.* 5. *Spiritus Sanctus*. Obest tamen præsentibus si omittant ex contemptu, quia peccant graviter. Circa hoc Sacramentum est error quorumdam Græcorum dicentium, quod Sacerdos simplex hoc sacramentum potest conferre; contra quos dicitur *Act.* 8. Quod Apostoli miserunt Petrum & Ioannem Apostolos, qui imponebant manus super eos, qui baptizati erant a Philippo Diacono, & accipiebant Spiritum Sanctum. Episcopi autem sunt in Ecclesia loco Apostolorum, & loco illius manus impositionis, datur in Ecclesia confirmatio, *Opusc.* 5. *de Ecclesiæ Sacramentis*, *& Opusc.* 65. *de officio Sacerdotis promiscue*.

19. *Quær.* Quo tempore conficiatur Chrisma, & quibus aliis usibus adhibeatur?

Resp. Div. Th. Per biduum ante Pascha ab Episcopo Chrisma benedicitur, ut possit per Diœcesim destinari. Dies ille satis congruit ad materias Sacramentorum benedicendas, in quo fuit Euchari-

ristiæ Sacramentum institutum, ad quod omnia alia Sacramenta quodammodo ordinantur. Chrismate utuntur ministri Ecclesiæ in diversis Sacramentis; insuper Pontifices Chrismatis unctione consecrantur; & Altare etiam in quo Eucharistia consecranda est, & calix similiter, 3. *p. q.* 72. *art.* 12. *ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 7. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 2.

TRACTATUS XXIV.

De Sacramento Eucharistiæ.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit Eucharistia; an sit unum Sacramentum, & de variis eius nominibus, & de eius excellentia, & unitate?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

EUcharistia est Sacramentum Ecclesiasticæ unitatis, quod ordinatur ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur; eo quod corporalia, spiritualium similitudinem gerunt. Manifestum est autem, quod sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, & augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitæ; ita etiam requiritur alimentum, quo homo conservatur in vita; & ideo sicut ad vitam spiritualem oportet esse baptismum, qui est spiritualis generatio, & confirmationem, quæ est spirituale augmentum, ita oportet esse Sacramentum Eucharistiæ, quod est spirituale alimentum. *Apostolus* enim dicit, 1. *Cor.* 10. Unum Corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, & potus, qui est alimentum humidum, & ideo etiam ad integritatem huius Sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, & ex eis perficitur una refectio. Hoc Sacramentum habet triplicem significationem, unam quidem respectu præteriti, inquantum scilicet est commemorativum Dominicæ passionis, quæ fuit, & dicitur verum sacrificium. Aliam autem significationem habet respectu rei præsentis, scilicet Ecclesiasticæ unitatis; cui homines aggregantur per hoc Sacramentum, & secundum hoc nominatur Communio, vel Sinaxis. Dicit enim *Damascenus*, 4. *lib. ortod. fidei cap.* 14. Dicitur communio, quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus eius carne, & deitate, & quia communicamus, & unimur ad invicem per ipsam. Tertiam significationem habet respectu futuri, inquantum scilicet hoc Sacramentum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patria, & secundum hoc dicitur viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi, & secundum hoc etiam dicitur Eucharistia, idest bona gratia, quia realiter continet Christum, qui est plenus gratia, & gratia Dei vita æterna, *Rom.* 6. Dicitur etiam Græce *Metalepsis*, idest assumptio, quia ut idem *Damasc.* dicit, per hoc filii deitatem assumimus. Dicitur tandem hostia, inquantum continet ipsum Christum, qui est hostia salutaris, ut dicitur *ad Ephes.* 5. 3. *p. q.* 73. *art.* 1. *in corp. art.* 2. *&* *art.* 4. *in corp. promiscue.*

2. *Quær.* An & quomodo Eucharistia sit de necessitate salutis?

Resp. Div. Th. Duo est considerare in hoc Sacramento, scilicet ipsum Sacramentum, & rem Sacramenti. Dictum est, quod res huius Sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus. Nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluvio absque arca Noe, quæ significat Ecclesiam, ut habetur, 1. *Petri* 3. Dictum est supra, quod res alicuius Sacramenti haberi potest ante perceptionem Sacramenti ex ipso voto percipiendi. Unde potest homo habere salutem ex voto percipiendi

di hoc Sacramentum, ficut in adultis ante baptifmum ex voto baptifmi. Eft tamen differentia quantum ad duo. Primo quidem, quia baptifmus eft principium fpiritualis vitæ, & ianua Sacramentorum, Euchariftia vero eft quafi confummatio fpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis, per fanctificationes enim omnium Sacramentorum fit præparatio ad fufcipiendam, vel confecrandam, vel fignificandam Euchariftiam. Et ideo perceptio baptifmi eft neceffaria ad inchoandam fpiritualem vitam; perceptio autem Euchariftiæ eft neceffaria ad confummandam ipfam, non ad hoc quod fimpliciter habeatur, fed fufficit eam habere in voto, ficut & finis habetur in defiderio, & intentione. Alia differentia eft, quia per baptifmum ordinatur homo ad Euchariftiam, ex hoc ipfo quod pueri baptizantur ordinantur per Ecclefiam ad Euchariftiam: Nam ficut ex fide Ecclefiæ credunt, fic ex intentione Ecclefiæ defiderant Euchariftiam; & per confequens, quamvis non recipiant Euchariftiam in ratione Sacramenti, recipiunt tamen rem ipfius. Sed cum ad baptifmum non ordinentur, per aliud præcedens Sacramentum, ideo ante fufceptionem baptifmi non habent pueri aliquo modo baptifmum in voto, fed foli adulti; unde rem Sacramenti non poffunt percipere fine perceptione Sacramenti; & ideo hoc Sacramentum non eodem modo eft de neceffitate falutis, ficut eft baptifmus. 3. *p. q.* 73. *art.* 3. *in corp.*

„ Quando autem homo obligetur fu„ mere Euchariftiam alibi dicetur.

Concil. Trid. *Seff.* 13. *Cap.* 2. *&* 3. inquit: *Commune hoc quidem eft SS. Euchariftiæ cum cæteris Sacramentis Symbolum effe rei facræ, & invifibilis gratiæ formam vifibilem: verum illud in ea excellens, & fingulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum fanctificandi vim habent, cum quis illis utitur, at in Euchariftia ipfe fanctitatis auctor ante ufus eft*. Et *Cap.* 2. dixit: *Sumi voluit Sacramentum hoc tamquam fpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius*. Et infra: *Pignus propterea id effe voluit futuræ noftræ gloriæ, & perpetuæ fælicitatis. Symbolum unius illius corporis cuius ipfe caput exiftit: nos tamquam membra arctiffima effe voluit*.

Concil. Trid. *Seff.* 13. *Cap.* 8. *Quo ad ufum autem recte, & fapienter Patres noftri tres rationes hoc fanctum Sacramentum accipiendi diftinxerunt: quofdam autem docuerunt facramentaliter dumtaxat id fumere, ut peccatores: alios tantum fpiritualiter, illos nimirum, qui voto propofitum illum cæleftem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur fructum eius, & utilitatem fentiunt: tertios porro Sacramentaliter fimul, & fpiritualiter. Omnes igitur, & finguli, qui chriftiano nomine cenfentur in hoc unitatis figno, in hoc vinculo charitatis conveniant, & concordent*.

3. *Quær.* Quo tempore fuit inftitutum hoc Sacramentum?

Refp. Div. Th. Hoc Sacramentum inftitutum fuit in cœna, in qua fcilicet Chriftus ultimo, cum fuis difcipulis fuit converfatus. Quando enim ipfe Chriftus in propria fpecie a difcipulis difceffurus erat, in Sacramentali fpecie fe ipfum eis reliquit. Sicut in abfentia Imperatoris exhibetur veneranda eius imago; & etiam quia oportuit omni tempore apud homines effe aliquid repræfentativum dominicæ paffionis; cuius in veteri teftamento præcipuum Sacramentum erat agnus pafchalis. Unde & *Apoft.* dicit 1. *Cor.* 5. Pafcha noftrum immolatus eft Chriftus. Ideo fucceffit in novo teftamento Euchariftiæ Sacramentum, quod eft rememorativum præteritæ paffionis; & imminente paffione, celebrato priori Sacramento, novum Sacramentum inftitueret: quia etiam quæ ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur, & profundius animo imprimuntur; Et ideo Dominus in ultimo difceffu fuo a Difcipulis hoc Sacramentum inftituit, 3. *p q.* 73. *art.* 5. *in corp.*

Concil. Trid. *Seff.* 13. *Cap.* 1. inquit: *Ita maiores noftri omnes apertiffime profeffi funt hoc tam admirabile Sacramentum, in ultima Cœna Redemptorem noftrum inftituiffe*.

Et Cap. 2. ait: *Salvator nofter difceffurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc inftituit, in quo divitias fui erga homines amoris velut effudit*.

4. *Quær.* Quænam est materia huius Sacramenti, & an sit una, aut duplex?

Resp. Div. Th. Christus Discipulis duo in cœna dedit, scilicet panem, & vinum, ergo panis, & vinum, debent esse materia huius Sacramenti: Causa quare panis, & vinum sunt materia huius Sacramenti inter alios cibos, & potus est institutio Divina. Causa autem intentionis multipliciter potest assignari. Prima ex parte usus Sacramenti: quia hæc duo communius in cibum, & potum veniunt: unde convenientius per hoc in cibum, & potum spiritualem manuducimur. Secunda ex effectu Sacramenti, quia ut dicit *Gloss.* 1. *Cor.* 11. Panis præ cæteris cibis sustentat corpus, & vinum lætificat cor; & similiter hoc Sacramentum sustentat magis, & lætificat charitate inebriatos, quam alia Sacramenta. Tertia ex ritu celebrationis, quia mundius tractantur quam alia quæ in cibum, & potum veniunt. Quarta ex significatione duplicis rei huius Sacramenti, quia panis ex multis granis conficitur, & vinum ex multis acinis confluit, quod competit ad significandum corpus Christi verum, & mysticum. Quinta ex repræsentatione eius quod præcessit: nam grana in area conculcantur, & panis in fornace decoquitur, & vinum in torculari exprimitur; quæ omnia competunt ad repræsentandum passionem Christi. Ex hoc autem, quod duplex est consecratio materiæ huius Sacramenti non potest plus haberi, nisi quod hoc Sacramentum quodammodo est multa, simpliciter est unum: multa quidem materialiter, unum formaliter, & perfective. Sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ, & domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessariæ ad inhabitandum, & sic hoc Sacramentum dicitur unum, ordinatur enim ad unam spiritualem refectionem, 4. *sent. dist.* 11. *q.* 2. *art.* 1 *quæstiunc.* 2.

Circa materiam huius Sacramenti ait D. Th. 3. *p. q.* 74. *art.* 1. aliqui multipliciter erraverunt; quidam enim scilicet Cataphrigæ *secul.* 2. de infantis sanguine miscentes cum farina panemque inde conficientes: alii qui Artotirytæ dicuntur, offerunt panem & caseum in hoc Sacramento . . . . omnes autem hi, & similes errores excluduntur per hoc, quod Christus hoc Sacramentum sub specie panis, & vini instituit ut patet, *Matth.* 26. Concil. Trid. *Sess.* 13. *Cap.* 4. *Hæc Sancta Synodus declarat per consecrationem panis, & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius.*

5. *Quær.* An requiratur determinata quantitas panis, & vini ad materiam huius Sacramenti?

Resp. Div. Th. Multum apponitur pauco, & magnum parvo; sed nulla est ita parva quantitas panis, & vini, quæ subsit sensibus, quæ non possit consecrari; sic etiam nulla est ita magna quantitas; quæ consecrari non possit: non tamen dico, quod quis posset consecrare totum panem, qui est in civitate simul, vel qui est in foro, quia ipsa forma pronomine demonstrativo utens, ostendit, quod materia consecranda debet esse coram Sacerdote; Unde Sacerdos existens in domo sua non posset consecrare panem, qui est in Altari, quod etiam non potest de toto pane, qui est in foro, neque de toto vino, quod est in cellario: sed quandocumque sit quantitas panis, & vini, quod coram Sacerdote proponitur, credo, quod possit consecrari ab ipso, 3. *p. q.* 74. *art.* 2. & 4. *sent. dist.* 11. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. *ad* 1. *& promiscue.*

6. *Quær.* An panis triticeus sit propria materia huius Sacramenti?

Resp. Div. Th. Ad usum Sacramentorum assumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem usum venit: inter alios panes communius homines utuntur pane triticeo; nam alii panes videntur introducti in huius panis defectum: & ideo Christus creditur in huius panis specie hoc Sacramentum instituisse; qui etiam panis triticeus magis confortat hominem, & ita convenientius significat effectum huius Sacramenti, & Christus se grano frumenti comparat *Io.* 12. dicens: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: & ideo propria materia huius Sacramenti est panis triticeus, 3. *p. q.* 74. *art.* 3.

7. *Quær.* An in casu necessitatis possit confici Sacramentum ex ordeo, spelta, farre, & similibus?

Resp.

Resp. Div. Th. Si qua frumenta sunt, quæ ex semine tritici generari possunt, sicut ex grano tritici seminató in malis terris nascitur siligo, ex tali frumento panis confectus potest esse materia huius Sacramenti; quod tamen non videtur habere locum, neque in ordeo, neque in spelta, neque etiam in farre, quod inter omnia est grano tritici similius. Similitudo autem figuræ in talibus magis videtur significare propinquitatem, quam identitatem speciei. Unde ex talibus frumentis, quæ nullo modo possunt ex semine tritici generari, non potest confici panis, qui sit debita materia huius Sacramenti, 3. *p. q.* 74. *art.* 3. *ad* 2.

8. *Quær.* An Eucharistia possit confici ex amydo?

Resp. Div. Th. Aliquando est tanta corruptio panis, quod solvitur species panis; sicut cum continuitas solvitur, & sapor, & color, & alia accidentia mutantur; unde ex tali materia non potest confici Corpus Christi. Aliquando vero non est tanta corruptio, quæ speciem solvat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliquis immutatio saporis, & ex tali pane potest confici Corpus Christi, sed peccat conficiens propter irreverentiam Sacramenti: & quia amydum est ex tritico corrupto, non videtur quod panis ex eo confectus possit fieri Corpus Christi, quamvis quidam contrarium dicant, 3. *p. q.* 74. *art.* 3. *ad* 4.

9. *Quær.* An admixtio alterius grani cum frumento faciat indebitam materiam?

Resp. Div. Th. Modica permixtio non solvit speciem, quia quod est modicum, quodammodo absumitur a plurimo. Unde si sit modica admixtio alterius grani ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia huius Sacramenti: si vero sit magna permixtio speciem mutat, unde panis exinde confectus, non erit debita materia huius Sacramenti, 3. *p. q.* 74. *art.* 3. *ad* 3.

10. *Quær.* An Eucharistia debeat confici in pane azimo, vel in fermentato?

Resp. Div. Th. Circa materiam huius Sacramenti duo possunt considerari, scilicet, quid sit necessarium, & quid conveniens; necessarium quidem est, ut sit panis triticeus (sicut supra dictum est) sine quo non perficitur Sacramentum. Non est autem de necessitate Sacramenti, quod sit azimus, vel fermentatus, quia in unoquoque confici potest. Conveniens autem est, ut unusquisque servet ritum suæ Ecclesiæ in Sacramenti celebratione. Super hoc autem sunt diversæ Ecclesiarum consuetudines; dicit enim Beatus *Gregorius in Registro*: Romana Ecclesia offert azimos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem: sed certæ Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ: unde sicut Præsbyter peccat in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Præsbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azimo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum. Tamen consuetudo de pane azimo consecrandi rationabilior est: primo quidem propter institutionem Christi, qui hoc Sacramentum instituit prima die azimorum, (ut habetur *Matth.* 26. & *Marc.* 14. & *Luc.* 22.) qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum esse debebat, scilicet a primis vesperis quartædecimæ Lunæ, ut habetur *Exod.* 12. Secundo quia panis est proprie Sacramentum Corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est, magis quam divinitatis ipsius. Tertio quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad usum huius Sacramenti, secundum illud 1. *Cor.* 5. Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azimis sinceritatis, & veritatis. Habet tamen consuetudo Græcorum & ipsa aliquam rationem, ut dictum est, 3. *p. q.* 74. *art.* 4. *in corp.*

Adest error Græcorum sæcul. 10. *Sacramentum Eucharistiæ non potest confici in pane azimo. Damnandi sunt Azimitæ Romani.*

E contra *Eugenius IV.* in Concil. Florentino anno 1349. ait: *In azimo, sive in fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter conficitur iuxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.*

11. *Quær.* An in solo pane possit confici Sacramentum Eucharistiæ?

Resp. Div. Th. Quamvis consecratio panis non dependeat a consecratione vini, tamen deberet desistere, qui non habe-

tet utrumque, quam conficere præter morem Ecclesiæ in una tantum specie; quamvis etiam si in una tantum consecraret, consecratum esset; peccaret autem graviter, nisi post consecrationem Corporis, ante consecrationem Sanguinis, occideretur, vel alias, præter suam culpam impediretur, 4. *sent. dist.* 11. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 4.

12. *Quær.* An vinum vitis sit propria materia huius Sacramenti?

Resp. D.Th. Sicut Dominus se comparavit grano frumenti, ita etiam se comparavit viti, dicens. *Io.* 15. Ego sum vitis vera. Sicut solus panis de frumento est materia huius Sacramenti, ut supra dictum est, sic solum vinum de vite est propria materia huius Sacramenti. Primo quidem propter institutionem Christi, qui in vino vitis hoc Sacramentum instituit, ut patet *Matth.* 26. Secundo, quia, sicut supra dictum est, ad materiam Sacramentorum assumitur id, quod proprie, & communiter habet talem speciem. Proprie autem vinum dicitur, quod de vite sumitur, alii vero liquores, vinum dicuntur, secundum quamdam similitudinem ad vinum vitis. Tertio, vinum vitis competit ad effectum huius Sacramenti, qui est spiritualis lætitia. Scriptum est: Vinum lætificat cor hominis, 3. *p. q.* 74. *art.* 5. *in corp.*

13. *Quær.* An in casu necessitatis possit confici hoc Sacramentum ex vino malorum granatorum, vel ex liquore merorum, pomorum, & similium, vel ex agresta, necnon aceto, & musto?

Resp. Div. Th. Dictum est, quod liquores malorum granatorum, vel merorum, aut huiusmodi, non dicuntur proprie vinum, sed secundum similitudinem; & ideo ex illis non potest confici Eucharistia. Potest de facili verum vinum ad terras deferri, in quibus forte vites non crescunt, quantum sufficit ad hoc Sacramentum. Et sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc Sacramentum, ita similiter nec de aceto, quia vinum fit acetum per corruptionem: potest tamen confici de vino acescenti, sicut de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens. Agresta vero est in via generationis, & ideo nondum habet speciem vini, & propter hoc de ea pariter non potest confici hoc Sacramentum. Mustum autem iam habet speciem vini, nam eius dulcedo attestatur digestitioni; & ideo de musto potest confici hoc Sacramentum, non tamen debent uvæ integræ huic Sacramento misceri, quia iam esset ibi aliquid præter vinum: prohibetur etiam ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur, quia hoc est impertinens propter impuritatem musti; potest tamen in necessitate fieri; dicitur enim a *Iulio* Papa, & habetur *de consecrat. dist.* 3. *cap. Cum omne crimen.* Si necesse fuerit botrus in calicem præmatur, 3. *p. q.* 74 *artic.* 5. *ad arg.* 1. 2. *&* 3.

14. *Quær.* Quid agendum quando vinum noceret alicui?

Resp. Div. Th. Vinum in modica quantitate sumptum non potest multum ægrotanti nocere, & tamen si nocumentum timeatur, non est de necesse, quod omnes accipientes Corpus Christi, etiam accipiant & Sanguinem, 3. *p. q.* 74. *art.* 1. *ad* 3.

15. *Quær.* An vino consecrando debeat immisceri aqua de necessitate Sacramenti, vel de necessitate præcepti?

Resp. Div. Th. Appositio aquæ ad vinum refertur ad significandam participationem huius Sacramenti a fidelibus. Hoc autem Sacramentum cum perficiatur in consecratione materiæ, usus autem fidelium non est de necessitate huius Sacramenti, sed est aliquid consequens ad Sacramentum. Et ideo consequens est, quod appositio aquæ non sit de necessitate Sacramenti: debet tamen aqua misceri, quia hoc convenit repræsentationi Dominicæ passionis. Unde *Alex. I. in Epist. ad omnes Orthodoxos*, dicit: Quod non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum; quia utrumque ex latere eius in passione sua profluxisse legitur. Et etiam quia hoc convenit ad significandum effectum huius Sacramenti, qui est unio populi Christiani ad Christum. Quia, ut *Iulius* Papa dicit, & habetur *de consecr. dist.* 2. *cap. Cum omne crimen*: Videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi Sanguinem Christi, 3. *p. q.* 74. *artic.* 6. *&* 7. *in corp.*

Adest error Armenorum sæcul. 7. & Græcorum secul. 10. *In oblatione incruenti Sacrificii vino minime aqua admiscenda est.*

16. *Quær.*

16. *Quær.* Quænam aqua est admiscenda, naturalis, sicut in confectione panis, an etiam artificialis, an in parva, an in magna quantitate?

Resp. Div. Th. Cum dictum sit, quod admixtio aquæ ad vinum non est de necessitate Sacramenti, non refert, quæcumque aqua misceatur vino, sive naturalis, sive artificialis, puta rosacea, quamvis quantum ad convenientiam Sacramenti peccet qui aliam aquam miscet, nisi naturalem, & veram, quia de latere Christi pendentis in Cruce aqua vera profluxit: ab opposito vero, quia admixtio aquæ ad farinam est de necessitate huius Sacramenti, utpote constituens substantiam panis; si farinæ admisceatur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua, non posset ex eo confici Sacramentum, quia non esset verus panis. Circa aquam adiunctam vino tutius est parum de aqua apponere, & præcipue, si vinum sit debile, quia si tanta fieret appositio aquæ, ut solveretur species vini, non posset perfici Sacramentum. Unde secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus sit de vino, quam de aqua ponendum, quia gutta aquæ multo vino permixta transit in speciem vini, 3. *p. q.* 74. *art.* 7. *ad* 3. *& art.* 8. *& q.* 77. *artic.* 8.

17. *Quær.* Quænam sit forma Sacramenti Eucharistiæ; & primo, an hæc forma consecrationis panis, sit: Hoc est Corpus meum?

Resp. Div. Th. Dominus hac forma in consecrando est usus, ut patet *Matth.* 26. Nam hæc consecratio consistit in conversione substantiæ panis in Corpus Christi. Oportet autem formam Sacramenti significare id quod in Sacramento efficitur. Unde & forma consecrationis panis debet significare ipsam conversionem panis in Corpus Christi; in qua tria considerantur, scilicet ipsa conversio, & terminus a quo, & terminus ad quem. Hæc conversio est instantanea, & in facto esse, unde statim terminus ad quem, scilicet Corpus Christi per hanc formam habet propriam naturam suæ substantiæ in Sacramento, terminus a quo, scilicet panis non manet secundum suam substantiam, sed solum secundum accidentia, quæ sensui subiacent. Unde convenienter terminus conversionis a quo exprimitur per pronomen demonstrativum ly Hoc, relatum ad accidentia sensibilia, quæ manent, sub quibus ante fuit substantia panis, & postea est Corpus Christi: terminus autem ad quem exprimitur per nomen significans naturam eius, in quo fit conversio, quod quidem est totum ly Corpus Christi; propterea hæc est forma convenientissima (Hoc est Corpus meum) 3. *p. q.* 78. *art.* 2.

Error Paulicianorum Armenorum in sæcul. 8. scilicet: *Istis verbis conficitur Eucharistia, Accipite, manducate, & bibite.*

18. *Quær.* An particula Enim, quæ additur sit de essentia?

Resp. Div. Th. Hæc coniunctio Enim apponitur in hac forma, secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ a Beato Petro Apostolo derivatam; & hoc propter continuationem ad verba præcedentia: & ideo non est de essentia, & ly Enim sublatum non tollit debitum sensum verborum; & ideo non impedit perfectionem Sacramenti, quamvis qui prætermittit peccet ex negligentia, vel contemptu, 3. *p. q.* 60. *art.* 8. *& q.* 78. *art.* 2. *ad* 4.

19. *Quær.* An hæc sit forma consecrationis vini. Hic est calix Sanguinis mei novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum?

Resp. Div. Th. Ecclesia ab Apostolis instructa, & habetur *de celebr. Miss. cap. Cum Matth.* utitur hac forma in consecratione. Circa tamen hanc formam est duplex opinio; quidam enim dixerunt, quod de substantia formæ huius est hoc solum quod dicitur, Hic est Calix Sanguinis mei, non autem ea, quæ sequuntur; sed hoc videtur inconveniens, quia ea, quæ sequuntur sunt quædam determinationes prædicati, idest Sanguinis Christi, unde pertinent ad integritatem eiusdem locutionis. Et propter hoc sicut alii melius dicunt, omnia sequentia sunt de substantia formæ usque ad *hoc*, quod postea sequitur, *quotiescumque feceritis*, quod pertinet ad usum huius Sacramenti, neque est de substantia formæ. Inde est quod Sacerdos eodem ritu, & modo, scilicet tenendo Calicem in manibus omnia verba consecrationis profert: dicendum est ergo, quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ, sed per prima verba,

ba, cum dicitur, *Hic est Calix Sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini in Sanguinem, eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis; per verba autem sequentia designatur virtus Sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc Sacramento; quæ quidem ad tria ordinatur; primo quidem & principaliter ad adipiscendam æternam hæreditatem, & ad hoc designandum dicitur *novi, & æterni testamenti*. Secundo ad iustitiam gratiæ, quæ est per fidem, & quantum ad hoc subditur *mysterium fidei*. Tertio autem ad removendum impedimentum, scilicet peccata, & quantum ad hoc subditur, *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Significatio autem huius locutionis completur statim completa locutione horum verborum, & ideo oportet rem significatam statim adesse in utraque consecratione, nec prima forma expectat secundam; sed statim quælibet habet suum effectum, qui fit in ultimo instanti prolationis verborum: tunc enim completur verborum significatio, quæ est efficax in Sacramentorum formis, 3. *p. q.* 78. *art.* 3. *in corp. & art.* 6. *& q.* 75. *art.* 8. *ad* 3.

20. *Quær.* An facta consecratione in hoc Sacramento, sit Corpus Christi vere, & realiter?

Resp. Div. Th. Verum Corpus Christi, & Sanguinem esse in hoc Sacramento, sensu deprehendi non potest, sed sola fide, quæ auctoritati divinæ innititur. Unde super illud *Luc.* 22. *Hoc est Corpus meum*, quod pro vobis tradetur, dicit *Cyrillus*: Non dubites an hoc verum sit; sed potius suscipe verba Salvatoris in fide; cum enim sit Veritas non mentitur: quia fides est invisibilium; sicut divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita & in hoc Sacramento Carnem suam nobis exhibet invisibili modo; quæ quidem nonnulli non attendentes, quorum primus fuit Berengarius, posuerunt Corpus, & Sanguinem Christi non esse in hoc Sacramento, nisi sicut in signo, quod est tanquam hæreticum abiiciendum, utpote verbis Christi contrarium. Unde *Hylarius* dicit *in* 8. *lib. de Trin.* Non est relictus ambigendi locus, nunc enim & ipsius Domini professione, Caro eius vere est cibus, & Sanguis eius vere est potus. Igitur sub Sacramento Altaris continetur verum Corpus Christi, quod de Virgine traxit, & contrarium dicere est hæresis, quia derogat veritati Scripturæ; præcipue quia Dominus dicit, *Hoc est Corpus meum*. Ratio quare oportet, quod in hoc Sacramento ipse Christus contineatur, quia scilicet non ita perfecte nobis Christus coniungeretur, si sola Sacramenta illa haberemus, in quibus coniungitur nobis Christus per virtutem suam in Sacramentis illis participatam: & ideo oportet esse aliquod Sacramentum, in quo Christus non participative, sed per suam essentiam contineatur, ut sit perfecta coniunctio capitis ad membra: consequenter autem & aliæ utilitates, sicut ostensio maximæ charitatis in hoc, quod se ipsum dat nobis in cibum, & sublevatio spei ex tam familiari coniunctione ad ipsum, & maximum meritum fidei in hoc quod creduntur multa in hoc Sacramento, quæ non solum supra rationem sunt, sed etiam contra sensum: & multæ aliæ utilitates, quæ explicari sufficienter non possunt. Maxime vero secundum quod *Aug. lib.* 7. *conf.* Ex persona verbi incarnati, dicit, per hoc Sacramentum, non tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me; sua coniunctione nos in seipsum convertens, 3. *p. q.* 75. *art.* 1. *in corp. &* 4. *sent. dist.* 10. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *in corp & dist.* 8. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *in corp. & promiscue concordant*.

„ Ultra errorem Berengarii sæculo XI. „ supra relatum a Div. Th. scilicet quod „ Corpus, & Sanguis Christi non sunt „ in Sacramento Eucharistiæ vere, & realiter, sed tantum in figura.

„ Hoc idem asserit Calvinus negando, „ realem Corporis Christi in Eucharistia „ præsentiam.

„ Lutherus vero quamvis admittat realem Corporis Christi præsentiam, sed „ simul esse panem, sicut iam dixerat Berengarius, cum Christi Corpore asserit.

Quare Concil. Trid. *Sess.* 13. *Can.* 1. decernit: *Si quis negaverit in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum anima, & divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit.*

Et

Et Can. 2. *Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini una cum Corpore, & Sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus: quam quidem conversionem Chatolica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat; anathema sit.*

21. *Quær.* An totus Christus contineatur in hoc Sacramento, & sub utraque specie, & sub qualibet parte specierum huius Sacramenti?

Resp. Div. Th. Omnino necesse est confiteri secundum fidem Catholicam, quod totus Christus sit in hoc Sacramento. Sciendum tamen est, quod aliqnid Christi est in hoc Sacramento dupliciter: uno modo quasi ex vi Sacramenti: alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem Sacramenti est sub speciebus huius Sacramenti, id, in quod directe convertitur, substantia panis, & vini præexistens, prout significatur per verba formæ quæ sunt effectiva in hoc Sacramento, sicut & in cæteris, puta cum dicitur, *Hoc est Corpus meum*, vel *Hic est Sanguis meus*. Ex naturali autem concomitantia est in hoc Sacramento illud, quod realiter est coniunctum ei, in quod prædicta conversio terminatur, si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta, ubicumque est unum realiter, oportet & aliud esse. Sola enim operatione animæ discernuntur, quæ realiter sunt coniuncta. Ex quibus plura inferuntur: primo, quia conversio panis, & vini non terminatur ad Divinitatem, vel animam Christi; consequens est, quod divinitas, vel anima Christi non sit in hoc Sacramento ex vi Sacramenti, sed ex reali concomitantia: quia enim divinitas corpus assumptum nunquam deposuit, ubicumque est Corpus Christi necesse est & eius divinitatem esse. Anima vero, quia realiter fuit separata a corpore in triduo mortis Christi, ideo si in illo triduo fuisset hoc Sacramentum celebratum, non fuisset ibi anima Christi, nec ex vi Sacramenti, nec ex reali concomitantia. Sed quia Christus resurgens ex mortuis iam non moritur (ut dicit. *Rom. 6.*) anima eius semper erit realiter corpori eius unita, ideo nunc in hoc Sacramento Corpus Christi est ex vi Sacramenti, anima autem Christi ex reali concomitantia. Ex vi scilicet verborum Sacramenti sub hoc Sacramento continetur quantum ad speciem panis, non solum Caro, sed totum Corpus Christi, scilicet ossa, nervi, & alia huiusmodi. Sanguis autem ex reali concomitantia, sicut dictum est de anima, & de divinitate Christi. Sub speciebus vero vini est quidem Sanguis Christi ex vi scilicet verborum Sacramenti; Corpus autem Christi ex reali concomitantia, sicut anima, & divinitas, eo quod nunc Sanguis Christi non est ab eius corpore separatus; sicut fuit tempore passionis, & mortis, quia si tunc fuisset hoc Sacramentum celebratum sub speciebus panis fuisset Corpus Christi sine Sanguine, & sub speciebus vini Sanguis sine Corpore, sicuti erat in rei veritate, 3. *p. q.* 76. *art.* 1. *&* 2. *in corp.*

Concil. Trid. *Sess.* 13. *Cap.* 3. *Semper hec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque eius Sanguinem sub panis, & vini specie, una cum ipsius anima, & divinitate existere. Sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub specie vini ex vi verborum: ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi illius naturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini inter se copulantur. Divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum Corpore, & anima hypostaticam unionem, qua propter verissimum est totus & integer Christus sub panis specie, sub quavis ipsius parte, totus idem sub vini specie, & sub eius partibus existit.*

22. *Quær.* An totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis, & vini?

Resp. Div. Th. Christus est in hoc Sacramento per modum substantiæ, idest per modum quo substantia est sub dimensionibus, non autem per modum dimensionum, idest non per modum illum, quo quantitas dimensiva alicuius corporis est sub quantitate dimensiva loci: manifestum est autem, quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum sub quibus continetur; sicut in qua-

qualibet parte aeris est tota natura aeris; & hoc indifferenter, sive sint divisiones actu divisæ (sicut cum aer dividitur) vel etiam sint actu indivisæ, divisibiles vero potentia; & ideo totus Christus est sub qualibet parte specierum panis etiam hostia integra manente, & non solum cum frangitur. Numerus vero partium sequitur divisionem, sicut quandiu quantitas manet indivisa actu neque substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus propriis, sic neque Corpus Christi sub dimensionibus panis, sed totus in quotquot partes dividitur hostia, 3. *p. q.* 76. *art.* 3.

Concil. Trid. *Sess.* 13. *Can.* 3. inquit: *Si quis negaverit in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.*

23. *Quær.* An Christus sit in hoc Sacramento, tamquam in loco?

Resp. Div. Th. Cum dictum sit, quod Corpus Christi non sit in hoc Sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensivæ, sed magis secundum modum substantiæ, & omne Corpus locatum sit in loco secundum modum quantitatis dimensivæ, inquantum, scilicet commensuratur loco, secundum quantitatem dimensivam; relinquitur quod Corpus Christi non sit in hoc Sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ. Quia dimensiones panis, vel vini non convertuntur in dimensionem Corporis Christi, vel Sanguinis, sed substantia in substantiam; succedit enim substantia Corporis Christi in hoc Sacramento, substantiæ panis. Unde sicut substantia panis non erat localiter, ita nec substantia Corporis Christi. Substantia panis ratione suarum dimensionum localiter erat ibi, quia comparabatur ad locum mediantibus propriis dimensionibus. Substantia autem Corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis, ita quod e converso dimensiones propriæ Corporis Christi computantur ad locum mediante substantia, quod est contra rationem corporis locati; sicut homo non comparatur ad locum mediante anima, neque Corpus Christi est in hoc Sacramento definitive, idest determinata virtute, & operatione ibi, quia sic non esset alibi, quam in hoc altari, ubi conficitur hoc Sacramentum, cum tamen sit in Cœlo in propria specie, & in multis aliis altaribus sub specie Sacramenti. Similiter patet, quod non est in hoc Sacramento circumscriptive, quia non est ibi secundum commensurationem propriæ quantitatis. Stat igitur quod nullo modo Corpus Christi est in hoc Sacramento localiter; neque locus ille, in quo est Corpus Christi est vacuus, quamvis non sit repletus substantia Corporis Christi, quæ non est ibi localiter; sed est repletus speciebus Sacramentorum, quæ habent replere locum, vel propter naturam dimensionum, vel saltem miraculose, 3. *p. q.* 76. *art.* 3. & 4. *sent. dist.* 10. *q.* 1. *art.* 3. & *art.* 5. *in corp.* & *art.* 1. *ad* 3.

24. *Quær.* An Eucharistia sit Sacramentum permanens?

Resp. Div. Th. Corpus Christi remanet in hoc Sacramento non solum in crastino, sed etiam in futuro, quousque species Sacramentales manent, quibus cessantibus desinit esse Corpus Christi sub eis: non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo Corporis Christi ad illas species, per quem modum, Deus desinit esse Dominus creaturæ desinentis, puta per annichilationem, 3. *p. q.* 76. *art.* 6. *ad* 3.

Conc. Trid. *Sess.* 13. *Can.* 4. inquit: *Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus, & Sanguinem D. N. Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis: quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini; anathema sit.*

25. *Quær.* An post consecrationem in Eucharistia remaneat substantia panis, & vini?

Resp. D. Th. Propositio, quæ ponit substantiam panis in Sacramento remanere post consecrationem simul cum vero Corpore Christi, incompetens est huic Sacramento, & impossibilis, & hæretica: incompetens quidem, quia impediret venerationem debitam huic Sacramento: esset enim idololatriæ occasio, si hostiæ veneratio latriæ exhiberetur substantia panis ibi remanente. Esset etiam contra significationem Sacramenti, quia species non

non ducerent in verum Corpus Christi per modum signi, sed magis in substantiam panis. Esset etiam contra usum Sacramenti, quia iam cibus iste non esset pure spiritualis, sed etiam corporalis. Sed quod sit impossibilis patet ex hoc, quod impossibile est aliquid esse nunc, cum prius non fuerit nihil ipso mutato, vel aliquo in ipsum: quia aliter se habere nunc, & prius, est idem quod moveri, & transmutari. Sed nulla mutatio est ex parte panis facta secundum hanc positionem. Ergo oportet, quod Corpus Christi sit mutatum saltem localiter, quod omnino esse non potest: quia cum simul, & semel in diversis locis Corpus Christi consecretur, contingeret simul contrarios motus inesse eidem, quod est impossibile. Quod autem sit hæretica patet ex hoc, quod contradicit veritatem Scripturæ: non enim esset verum dicere, *Hoc est Corpus meum*, sed hic est Corpus meum, 4. *sent. dist.* 11. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *&* 3. *p. q.* 75. *art.* 2.

Merito igitur Concil. Constantiense, & Trident. anathematizarunt oppositam sententiam; & *Martinus* V. in sua Constitutione, quæ incipit, *Inter cunctas*, damnat hanc propositionem Vicleffi: *Substantia panis materialis; similiter, & substantia vini materialis manent in Sacramento Altaris*.

Vide Concil. Triden. *Sess.* 13. *Can.* 2. supra relatum ad *quæst.* 19.

26. *Quær.* Quomodo substantia panis deficiat, & convertatur in Corpus Christi?

Resp. Div. Th. Cum substantia panis, & vini non maneat in Sacramento; quidam impossibile reputantes, quod substantia panis, vel vini in Corpus, & Sanguinem Christi convertatur, posuerunt, quod per consecrationem substantia panis, & vini, vel resolvatur in præiacentem materiam, vel annichiletur. Sed patet prædictam positionem esse falsam: quia in ultimo instanti consecrationis, iam est ibi substantia Corporis, vel Sanguinis Christi: unde non erit dare aliquod instans in quo sit præiacens materia: neque potest dici, quod annichiletur substantia, quia non est dare aliquem modum, quo Corpus Christi verum esse incipiat in hoc Sacramento, nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum, quæ quidem conversio tollitur, posita vel annichilatione substantiæ panis, vel resolutione in præiacentem materiam. Necesse est igitur dicere, quod incipiat Corpus Christi esse in Sacramento per conversionem substantiæ panis in ipsum Corpus Christi: hæc tamen conversio non est similis conversionibus naturalibus, sed est omnino supernaturalis, sola Dei virtute effecta. Unde *Ambr.* dicit *in lib. de Sacramentis*: Liquet quod præter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus, Corpus de Virgine est: quid ergo quæris naturæ ordinem in Christi Corpore, cum præter naturam sit Dominus Iesus partus ex Virgine? Hoc agitur Divina virtute in hoc Sacramento; nam tota substantia panis convertitur in totam substantiam Corporis Christi, & tota substantia vini, in totam substantiam Sanguinis Christi. Virtute enim agentis infiniti (quod habet actionem in totum ens,) potest solum talis conversio fieri, quia utrique formæ & utrique materiæ est communis natura entis, & id quod est entitatis in una, potest auctor entis convertere in id, quod est entitatis in altera, sublato eo, per quod ab illa distinguebatur, scilicet forma; unde hæc conversio non dicitur formalis, sed substantialis, & proprio nomine potest dici transubstantiatio, 3. *p. q.* 75. *artic.* 3. *&* 4. *in corp. & ad* 3. *promiscue*.

27. *Quær.* An in hoc Sacramento reremaneant accidentia panis, & vini post conversionem?

Resp. Div. Th. Sensu apparent facta consecratione omnia accidentia panis, & vini remanere, quod quidem per Divinam providentiam fit. Nam sicut dicitur *prima propositione lib. de Causis*, Causa prima est vehementioris impressionis supra causatum causæ secundæ, quam ipsa causa secunda. Unde quando causa secunda removet influentiam suam a causato, adhuc potest remanere influentia causæ primæ in causatum illud: sicut remoto rationali, remanet vivum, quo remoto remanet esse. Cum enim causa prima accidentium, & omnium existentium Deus sit, causa autem secunda accidentium sit substantia, poterit Deus accidentia in esse conservare, remota causa secunda, scilicet substantia. Sicut & alios effectus potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formavit in utero Vir-

Virginis sine virili semine: & hoc rationabiliter; primo, quia non est consuetum hominibus carnem hominis comedere, & sanguinem bibere, & ideo proponuntur nobis Caro, & Sanguis Christi sumenda sub speciebus panis, & vini: secundo, ne hoc Sacramentum ab infidelibus irrideatur si sub specie propria Dominum nostrum manducemus. Tertio, dum invisibiliter Corpus, & Sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei, 3. *p. q.* 75. *art.* 5. *&* 4. *sent. dist.* 12. *q.* 1. *art.* 1. *questiunc.* 1. *promiscue*.

28. *Quar.* An quantitas dimensiva panis, & vini in hoc Sacramenro sit subiectum aliorum accidentium?

Resp. Div. Th. Necesse est dicere accidentia, quæ remanent in hoc Sacramento esse sicut in subiecto in quantitate dimensiva panis, & vini remanente. Primo, quia ad sensum apparet aliquid quantum esse ibi coloratum, & aliis accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur. Secundo quia ipsa quantitas dimensiva est quoddam individuationis principium. Accidentia etiam secundum quod erant in substantia panis individuabantur mediante quantitate dimensiva. Unde quando accidenti datur divinitus, ut per se sit, quantitas dimensiva potest esse subiectum aliorum accidentium, 3. *p. q.* 77. *art.* 2. *per totum promiscue*.

29. *Quar.* An accidentia remaneant in hoc Sacramento, & an possint immutare sensum, & aliquid generare, necnon nutrire?

Resp. Div. Th. Unumquodque agit secundum quod est in actu, consequens est, quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere, quia igitur speciebus Sacramentalibus datum est divina virtute, quod remaneant in suo esse, quod habebant, substantia panis, & vini existente, consequens est, quod etiam remaneant in suo agere: & ideo omnem actionem, quam poterant agere, substantia panis, & vini existente, possunt etiam agere substantia panis, & vini transeunte in Corpus, & Sanguinem Christi. Unde quia miraculose datur, puta, quantitati dimensivæ panis, & vini quod sit primum subiectum, & suppleat vicem materiæ; ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud, quod ad materiam pertinet, & ideo quidquid posset generari ex materia panis, & vini si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva panis, & vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti, sicut cæcus miraculose illuminatus naturaliter videt: quare species Sacramentales possunt converti in cineres, si comburantur, in vermes, si corrumpantur, & per eamdem rationem possunt converti in corpus humanum, & nutrire, quia species, virtute divina habent actum, & vim substantiæ, 3. *p. q.* 77. *art.* 5. *&* 6.

Error Wicleffi sæcul. 14. *Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento*. Damnat hunc errorem Concil. Trident. *Sess.* 13. *Can.* 2. ut dictum est superius.

30. *Quar.* An ad quamlibet corruptionem desinat esse Corpus Christi?

Resp. Div. Th. Cum Corpus Christi, & Sanguis succedant in hoc Sacramento substantiæ panis, & vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quæ non suffecisset ad corruptionem panis, & vini, propter talem immutationem non desinit Corpus, & Sanguis Christi esse sub Sacramento; sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cum modicum immutatur color, aut sapor panis, & vini; sive ex parte quantitatis, sicut cum dividitur panis, aut vinum in tales partes, quod adhuc in eis posset salvari natura panis, & vini, si adesset. Si vero fiat tanta immutatio, quod fuisset corrupta substantia panis, & vini, non remanet Corpus, & Sanguis Christi sub hoc Sacramento; sicut cum ita immutatur color, & sapor, & aliæ qualitates panis, & vini, quod nullo modo posset compati natura panis, & vini, sicut etiam ex parte quantitatis; puta si pulverizetur panis, vel vinum immisceatur, vel in tam minutas partes dividatur, ut iam non remaneat species panis, & vini, 3. *p. q* 77. *art.* 4.

31. *Quar.* An Corpus Christi ad fractionem specierum frangatur, & an pati potuisset in Cœna, quando se dedit discipulis ad manducandum?

Resp. Div. Th. Quod manducatur in propria specie, ipsum & frangitur, & masticatur in sua specie: Corpus autem Christi non manducatur in sua specie, & secundum proprias dimensiones, sed in specie Sacramentali, & secundum dimensiones

nes

tes quantitativas panis: quia omnia verba, quæ significant passionem ab extrinseco illatam, non possunt attribui Corpori Christi, prout est sub Sacramento, quia quamvis substantia Corporis Christi eadem sit in Sacramento, & in specie propria, sed comparatione eius ad exteriora non est eadem, quia in specie propria comparatur ad exteriora secundum dimensiones proprias, sed in Sacramento secundum dimensiones panis. Unde illæ proprietates, quæ insunt absolute Corpori Christi, oportet, quod eodem modo insint sibi, secundum quod est in specie propria. Unde quando erat passibile in propria specie, etiam in Sacramento dicebatur passibile, quamvis ibi non pateretur; nunc non læditur in specie propria, neque aliena nuncupative, ratione impassibilitatis, quæ ex comparatione ad extra non possunt attribui Corpori Christi prout in Sacramento; ideo propter impressiones extrinsecas, quæ ad speciem panis pertinent nulla passio Corpori Christi attribuitur. Unde non potest dici, quod in Sacramento crucifigeretur, verberaretur, vel aliquid huiusmodi: nec ex hoc sequitur contradictorium, quia non secundum idem comparatur ad extra Corpus Christi hic, & ibi, omnia verba, quæ significant passionem innatam, & intrinsecam ei convenire sub specie propria, ut dolere, & mori. Omnia verba, quæ significant passionem ab extrinseco illatam non potuissent attribui Corpori Christi prout est sub Sacramento, quia si quis, puta, dilaniaret species, solum afficeret dimensiones extrinsecas, & quantitativas panis, & non dimensiones intrinsecas, & quantitativas Corporis Christi, cum ad instar substantiæ sit in Sacramento, 3. *p. q.* 77. *art.* 7. *ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 11. *q.* 2. *art.* 3. *&* 4. *promiscue*.

32. *Quær.* De Ministro Sacramenti Eucharistiæ, an sit solus Sacerdos?

Resp. Div. Th. Hoc Sacramentum est tantæ dignitatis, quod non conficitur nisi in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Soli Sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est a Domino: Hoc facite in meam commemorationem. Et ideo dicendum est, quod proprium est Sacerdotum conficere hoc Sacramentum, & dispensare: quia Christus sicut consecravit Corpus suum in Cœna, ita aliis sumendum dedit. Ideo sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio Corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio, & hoc habetur in *Decret. distinct.* 25. *cap. Perlectis*. Ad Præsbyterum pertinet Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini in Altare Dei conficere, & dispensare. Laicis; quantumcumque Sanctis, sicut nec consecratio, ita nec dispensatio huius Sacramenti competit: quia tangere Corpus Christi ex officio soli Sacerdoti competit: sed in casu necessitatis potest, & debet Laicus Corpus Christi tangere, etiamsi sit peccator, puta si in aliquo loco immundo iaceret. Diaconus vero quasi propinquus Ordini Sacerdotali aliquid participat de eius officio. Unde poterat dispensare Sanguinem, sicut de Beato Laurentio dicitur ab Ecclesia, non autem Corpus, cum non habeat manus sacratas, debet dispensare; nisi in necessitate, iubente Episcopo, vel Præsbytero, quia Sanguis Christi continetur in vase, unde non oportet, quod tangatur a dispensante, sicut tangitur Corpus Christi. Immo non licet Eucharistiam ab alio, (maxime in Paschate,) quam a proprio Sacerdote accipere, nisi fuerit hoc ei commissum; ut in *Clem.* 1. *de privileg. in corp.* 3. *p. q.* 82. *art.* 1. *&* *art.* 3. *ad* 1. *&* 4. *sent. dist.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *questiunc.* 1. *ad* 3. *&* *dist.* 17. *q.* 3. *art* 3. *questiunc.* 5. *ad* 2. *promiscue*.

Concil. Trid. *Sess.* 13. *cap.* 8. inquit: *In Sacramentali sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus Communionem acciperent. Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicent: qui mos tanquam ex traditione Apostolica descendens, iure, ac merito retineri debet.*

33. *Quær.* An mali Sacerdotes, hæretici, schismatici, & excommunicati, & degradati consecrare possint valide, & licite Eucharistiam?

Resp. Div. Th. Supra dictum est, quod Sacerdos consecrat hoc Sacramentum non virtute propria, sed sicut Minister Christi, in cuius persona consecrat hoc Sacramentum. Non autem ex hoc ipso desinit aliquis Minister esse Christi, quod

 est

est malus, habet enim Dominus bonos, & malos ministros, sicut servos, *Matt.* 24. Unde manifestum est, quod Sacerdotes etiamsi non sint iusti, sed peccatores, possunt Eucharistiam consecrare. Circa hæreticos, schismaticos, excommunicatos, & degradatos quidam dixerunt, quia sunt extra Ecclesiam non possunt conficere hoc Sacramentum. Sed in hoc decipiuntur, quia sicut *August.* dicit *in lib.* 2. *cap.* 18. *contra Parmenianum:* Aliud est aliquid non habere, aliud autem non recte habere; potestas consecrandi Eucharistiam pertinet ad characterem Sacerdotalis ordinis; character autem quilibet, quia eum quadam consecratione datur, indelebilis est. Igitur qui intra Ecclesiam constituti receperunt potestatem consecrandi Eucharistiam in ordinatione Sacerdotii, recte quidem habent potestatem, sed non recte utuntur. Potestatem habent, patet per hoc, quod sicut *August.* dicit ibidem, cum redeunt ad unitatem Ecclesiæ, & absolvuntur, non reordinantur, sed recipiuntur in suis ordinationibus. Unde, quia consecratio Eucharistiæ est actus consequens ordinis potestatem, illi qui sunt ab Ecclesia separati per hæresim, aut schisma, vel excommunicationem, vel degradationem, possunt quidem consecrare Eucharistiam, quæ ab eis consecrata, verum Corpus, & Sanguinem Christi continet, dummodo adsint ea, quæ sunt de essentia, intentio ex parte consecrantis, & materia, & forma ex parte consecrati; non tamen hæc recte faciunt, sed peccant facientes, & fructum Sacrificii non percipiunt, quia orationes eorum efficaciam non habent, 3. *p. q.* 82. *artic.* 5. *art.* 7. & 8. & 4. *sent. dist.* 13 *q.* 1. *artic.* 2. *quæstiunc.* 6. *in corp.*

34. *Quær.* An intendens consecrare propter malum finem conficiat Sacramentum?

Resp. Div. Th. Potestas ministrorum Ecclesiæ ad duo ordinatur; primo quidem ad effectum proprium; secundo ad finem effectus: secundum autem non tollit primum. Unde Sacerdos si intendat consecrare Corpus Christi propter aliquem malum effectum, puta ut irrideat, vel veneficia faciat, propter intentionem mali finis, peccat. Nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit Sacramentum, 3. *p. q.* 74. *art.* 2. *ad* 2.

35. *Quær.* An Sacerdos consecrans debeat sumere Eucharistiam?

Resp. Div. Th. Eucharistia non solum est Sacramentum, sed etiam est Sacrificium; quicumque autem sacrificium offert, debet sacrificii fieri particeps, quia exterius sacrificium, quod offertur, signum est interioris sacrificii, quo quis se offert Deo, ut *Aug.* dicit 10. *de Civ. Dei*; unde per hoc quod participat sacrificio ostendit ad se sacrificium interius pertinere; similiter etiam per hoc, quod sacrificium populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem divinorum, quorum ipse primo debet esset particeps, sicut *Dionysius cap.* 3. *Eccles. Hierarch. Can.* 5. & ipse ante sumere debet, quam populo dispenset. Unde in *Concil. Toletano* legitur, & habetur *de consecrat. dist.* 12. *cap. Relatum*. Modis omnibus tenendum est, ut quotiescumque sacrificans Corpus Christi, & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altari immolat, toties perceptionis Corporis, & Sanguinis Christi participem se præbeat. Quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? Per hoc autem fit particeps, quod de sacrificio sumit, secundum illud *Apost.* 1. *Cor.* 10. Nonne qui edunt hostias participes sunt Altaris? Et ideo necesse est, quod Sacerdos quotiescumque consecrat sumat integre hoc Sacramentum, 3. *p. q.* 82. *art* 4.

36. *Quær.* Quid agendum quando Sacerdos peracta consecratione non potest Sacramentum consummare, & perficere?

Resp. Div. Th. Sacerdos si morte præventus, aut infirmitate gravi occupetur, incepta consecratione hoc acciderit, puta consecrato Corpore, ante consecrationem Sanguinis, vel etiam consecrato utroque, debet Missæ celebritas per alium expleri. Unde, ut habetur in *Decret.* 7. *q.* 1. *cap. Nihil*, in Toletano Concilio legitur: Censuimus convenire, ut cum a Sacerdotibus Missarum tempore mysteria sacra consecrantur, si ægritudinis accidat eventus, quo cæptum nequeat expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel Præsbytero alteri consecrationem exequi incæpti officii. Non enim aliud competit ad supplementum initiatis mysteriis, quam, ut, aut incipientis, aut subsequentis benedictione sint completa Sacerdotis, quia nec perfecta videri possunt, nisi perfecto ordine compleantur. Nihil contrarium di-

ver-

versitas personarum format, ubi unius fidei repræsentat. Nullus tamen absque præventu patentis molestiæ Minister, vel Sacerdos, cum cæperit imperfecta officia præsumat omnino relinquere; si quis hoc temerarie præsumpserit excommunicationis sententiam sustinebit, 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 1.

37. *Quær.* An liceat Sacerdoti omnino a consecratione cessare?

Resp. Div. Th. Quidam dixerunt, quod Sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere, & non peccat qui dimittit celebrationem, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare populo, & Sacramenta præbere, vel ex obedientia teneatur celebrare. Sed hoc irrationabiliter, quia secundum *Gregor.* cum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum. Cum Sacerdoti sit data potestas nobilissima, reus erit negligentiæ, nisi illa utatur ad honorem Dei, & salutem suam, & aliorum vivorum, & mortuorum, secundum illud *Petri* 3. Unusquisque gratiam, quam accepit in alterutrum illam administrantes; quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data cum fuerit opportunum, secundum illud etiam 1. *ad. Cor.* 6. Hortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrare, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione huius Sacramenti sacrificium offertur. Unde Sacerdoti etiamsi non habeat curam animarum, ex ordine iam suscepto non licet omnino a celebratione cessare, sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis festis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt. Unde *Ambr.* dicit in quadam Oratione: Grave est, quod ad mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus; sed gravius est si dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus. Nam Sacerdos etsi peccator, si per sententiam Ecclesiæ non sit privatus potestate celebrandi, non solvitur eius obligatio, nec per hoc debet esse anxius, & perplexus, quia potest de peccato pœnitere, & celebrare, 3. *p. q.* 82. *art.* 10. *per totum*, & 4. *sent. dist.* 13. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiun.* 1.

38. *Quær.* An liceat aliis non Sacerdotibus omnino a communione cessare?

Resp. Div. Th. Quod nulli licet omnino a communione cessare, quia Ecclesia statuit tempus, in quo fideles communicare debent: unde qui omnino desistunt efficiuntur rei transgressionis præcepti. Institutio autem Ecclesiæ fuit necessaria, quia enim in quotidiana pugna sumus, vita spiritualis in nobis evanesceret, nisi aliquando cibum vitæ sumeremus. Secundum diversum statum Ecclesiæ, diversa circa hoc statuta emanaverunt. Nam in primitiva Ecclesia, quando magna vigebat devotio fidei Christianæ, ex propinquitate passionis Christi, statutum fuit, ut fideles quotidie communicarent. Unde *Anacletus*, & *Callistus* Papa, ut dicitur, & habetur *de consecr. dist.* 1. *cap. Episc.* Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus, sic enim & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia: Postmodum vero diminuto fidei fervore, *Fabianus* Papa indulsit, & habetur *de consecr. dist* 2. *cap. Et si non frequentius*. Et si non frequentius, saltem ter in anno omnes communicarent; scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini. *Soter* etiam Papa, dicit, & habetur *de consecrat. dist.* 2. *cap. In Cœna*. In Cœna Domini dicit esse communicandum. Postmodum propter iniquitatis abundantiam, refrigescente charitate multorum, statuit *Innoc. III.* in Concil. Lateranen. *Can.* 21. *cap. Omnis utriusque sexus*, ut saltem semel in anno, scilicet in Pascha communicarent fideles: consulitur tamen in *lib. Ecclesiast. dog. cap.* 53. omnibus diebus Dominicis esse communicandum, 4. *sent. dist.* 12. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 1. *in corp.* & 3. *p. q.* 80. *art.* 10. *ad* 5.

Concil. Triden. *Sess.* 13. *Can.* 9. decernit: *Si quis negaverit, omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta preceptum sanctæ Matris Ecclesiæ: anathema sit.*

39. *Quær.* An statutum Ecclesiæ fundetur in præcepto Divino?

Resp. Div. Th. Ex statuto Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum. Nam Dominus dicit, *Io.* 6. Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Supra dictum est, quod

quod duplex est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet spiritualis, & sacramentalis; manifestum est autem, quod omnes tenentur ex necessitate saltem spiritualiter, etiam pueri ex voto Ecclesiæ, manducare Corpus Christi; quia hoc est Christo incorporari ad salutem: spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum, ut alibi dictum est, quia sine voto percipiendi hoc Sacramentum non potest homini esse salus: frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini, dicentis, *Luc.* 22. Hoc facite in meam commemorationem. Ecclesia enim ex statuto determinat Christi præceptum; & peccaret contra præceptum Christi, & Ecclesiæ ille, qui omnino a communione abstineret, 3. *p. q.* 80. *art.* 11.

40. *Quær.* An sit de necesse communicare sub utraque specie?

Resp. Div. Th. Circa usum huius Sacramenti duo possunt considerari: unum ex parte ipsius Sacramenti, aliud ex parte sumentium; ex parte quidem ipsius Sacramenti, quod est simul sacrificium, convenit quod utrumque sumatur, scilicet & Corpus, & Sanguis, quia in utroque consistit perfectio Sacramenti, & sacrificii. Et ideo quia ad Sacerdotem pertinet hoc Sacramentum consecrare, & perficere, nullo modo, (ut supra dictum est) debet Corpus Christi sumere sine Sanguine. Ex parte vero sumentium requiritur summa reverentia, & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad iniuriam tanti mysterii, quod præcipue posset accidere in Sanguinis sumptione, qui quidem si incaute sumeretur, de facili posset effundi: & quia crevit multitudo populi Christiani, in qua continentur senes, iuvenes, & parvuli, quorum quidem non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa usum huius Sacramenti adhibeant, ideo provide in Ecclesia observatur, ut populo Sanguis sumendus non detur, sed solum a Sacerdote sumatur. Nec exinde sequitur aliquod detrimentum, quia Sacerdos in persona omnium Sanguinem offert, & sumit, & sub utraque specie totus Christus continetur, 3. *p. q.* 80. *art.* 12. *per totum*.

Error Sectariorum sæculo 15. Io. Huss, & Messinensium. *Communio sub utraque specie a Domino præcepta est; proindeque Laici nequeunt privari usu Calicis.*

Unde Concil. Tridentin. *Sess.* 21. *Can.* 1. 2. & 3. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes, & singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere: anathema sit.*

41. *Quær.* An frequenter, & etiam quotidie laudabiliter sit communicandum?

Resp. Div. Th. Cum Eucharistiam accipere sit bonum ex genere, assumere eam est bonum per se, abstinere potest esse bonum per accidens, in quantum scilicet timetur, ne inordinate sumatur; & quia quod est per se, prævalet ei, quod est per accidens, ideo simpliciter loquendo melius est Eucharistiam sumere, quam ab ea abstinere. Unde si aliquis sentiat se proficere in fervore dilectionis ad Christum, & in fortitudine resistendi peccatis, quæ plurimum consequuntur homines, debet frequentius sumere; si vero ex frequenti sumptione sentiat aliquis in se minui reverentiam huius Sacramenti, monendus est, ut rarius sumat. Si autem hæc duo ad invicem comparemus, adhuc invenitur prævalere sumptio Sacramenti, abstinentiæ a Sacramento; tum ratione effectus Sacramenti, tum ratione præparationis quantacumque sit, tum etiam ratione virtutis elicientis actum, quia sumere videtur esse charitatis, in qua radix meriti consistit, abstinere autem timoris: amor autem timori prævalet, & meritum etiam magis consistit in charitate, quam in humilitate. Nam sicut maxime est gloria Dei, & bonitas quod se creaturis pro captu earum communicet, sic magis videtur ad Dei gloriam pertinere, quod homo ad communionem accedat, quam quod abstineat: ideo si aliquis se etiam quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat. *Aug.* tamen cum dixisset in *Serm.* 28. *de verb. Dom.* Accipe quod quotidie tibi prosit, subiungit, sic vive, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta occurrunt, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere; unde in *lib. de Eccles. Dogmatibus* dicitur: Quotidie Eucharistiæ communionem accipere nec laudo, nec vi-

vitupero. Ex amore provocatur enim desiderium sumendi, ex timore autem consurgit humilitas reverendi, & ideo utrumque pertinet ad reverentiam huius Sacramenti, & quod quotidie sumatur, & quod aliquando abstineatur. Unde idem *Augustin. epist.* 118. *cap.* 3. Si dixerit quispiam non quotidie accipiendam Eucharistiam, alius contra, faciat unusquisque, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum: neque enim litigaverunt inter se Zaccheus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens suscepit Dominum; alter dixit non sum dignus ut intres sub tectum meum, ambo Salvatorem honorificantes; quamvis non uno modo; amor tamen, & spes ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferuntur timori, 4. *sent. distinct.* 12. *q.* 3. *articul.* 2. *quæstiunc.* 3. *& Lect.* 11. *Cap.* 11. *Ioan. &* 3. *p. q.* 80. *art.* 10. *promiscue*.

Error Tanchelini sæculo 12. *Sacrosancti Corporis, & Sanguinis Christi perceptio nihil prodest ad salutem perpetuam*.

Concil. Trid. *Sess.* 22. *Cap.* 6. inquit: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ susceptione communicarent*.

Et *Sess.* 13. *Cap.* 8. *Demum paterno affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes, & singuli, qui Christiano nomine censentur in hoc veritatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ Symbolo iam tandem aliquando communicent, & concordent*.

42. *Quær.* An quis possit bis in die communicare?

Resp. Div. Th. Homo non debet pluries in una die communicare, ut saltem quantum ad unam diem repræsentetur unitas Dominicæ passionis, & ut quantum ad aliquid reverentia Sacramento exhibeatur. Sicut sufficit Sacerdoti semel in die celebrare, ut dicitur *de consecr. dist.* 1. *Cap. Sufficit*, quia semel Christus passus est, & totum mundum redemit. Et si dicatur quod Sacerdos necessitate cogente potest pluries celebrare, hoc ideo est, quia Sacerdos est persona publica, & oportet quod non solum pro se, sed etiam pro aliis celebret: sed non est eadem ratio de illis, qui non sumunt, nisi ratione sui, 4. *sent. dist.* 2. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 4.

43. *Quær.* Quænam conditiones requirantur ad digne communicandum?

Resp. Div. Th. Ad hoc quod homo digne ad Sacramentum Eucharistiæ accedat, tria requiruntur. Primo munditia conscientiæ, quæ non nisi per peccatum tollitur. Secundo erectio mentis ad Deum per actualem devotionem, & hæc per mentis hebetudinem, vel occupationem, aut evagationem interdum sine peccato amittitur: Tertio munditia corporalis, 4. *sent. dist.* 9. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *in corp.*

Concil. Trid. *Sess.* 13. *Cap.* 8. inquit: *Communicare volenti, revocandum est in memoriam Apostoli præceptum; Probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque premissa Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat*.

44. *Quær.* An non baptizatus, & infidelis admittatur ad Eucharistiam?

Resp. Div. Th. Ante baptismum infidelis non admittitur ad perceptionem Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum Ecclesiæ. Talis enim non habet debitum utendi hoc Sacramento, sed solum per potentiam, quam potentiam utendi non habet animal brutum, quia non est natum uti eo Sacramento, 4. *sent. dist.* 4. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 5. *in corp. & Lect* 7. *cap.* 11. *ad Corint. &* 3. *p. q.* 80. *art.* 3. *ad* 2. *& ad* 3. *promiscue, & art.* 4. *ad* 4.

45. *Quær.* An liceat peccatoribus accipere, sicut licet inspicere, & adorare hoc Sacramentum?

Resp. Div. Th. Hoc Sacramentum est spirituale nutrimentum, sicut baptismus est spiritualis nativitas; nascitur autem aliquis ad hoc ut vivat, sed non nutritur, nisi iam vivus; & ideo hoc Sacramentum non competit peccatoribus, qui nondum vivunt per gratiam. Eucharistia est Sacramentum charitatis, & Ecclesiasticæ unitatis, ut dicit *August. super Io. Tract.* 36. Cum igitur peccator careat charitate, & sit separatus merito ab Ecclesiæ unitate, si accedat ad hoc Sacramentum falsitatem committit, dum significat se habere charitatem, quam non habet,

bet: quia tamen peccator quandoque habet fidem huius Sacramenti, licitum est ei hoc Sacramentum inspicere, quod omnino infidelibus denegatur, ut supra dictum est, ut dicit *Dionysius* 3. *cap. Eccles. Hierar. Lect.* 7. *cap.* 11. *prima ad Corinth.* & 3. *p. q.* 80. *art.* 4. *ad* 4.

46. *Quer.* An peccator communicans in peccato mortali peccet mortaliter?

Resp. Div. Th. Quicumque hoc Sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum, & membris eius incorporatum, quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifestum est, quod quicumque cum peccato mortali hoc Sacramentum sumit falsitatem in hoc Sacramento committit; & ideo incurrit Sacrilegium, tamquam Sacramenti violator, & propter hoc mortaliter peccat, 3. *p. q.* 8. *art.* 4. *in corp.* & 4. *sent. dist.* 9. *artic.* 3.

47. *Quer.* An hoc peccatum sit gravissimum omnium peccatorum?

Resp. Div. Th. Istud peccatum in quibusdam potest esse gravius sicut his, qui ex actuali contemptu cum conscientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt; in quibusdam vero minus grave, puta in his, qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt. Sic ergo patet, quod hoc peccatum est multis aliis gravius secundum suam speciem, non tamen omnium gravissimum: gravissima peccata sunt, quæ committuntur in ipsam divinitatem, sicut est peccatum infidelitatis, & blesphemiæ; secundario autem sunt peccata, quæ committuntur in humanitatem Christi. Peccatum vero occidentium Christum fuit multo gravius, quam indigne sumentium hoc Sacramentum: quia illud peccatum fuit contra Corpus Christi in specie propria; hoc autem peccatum esset contra Corpus Christi, sed in specie Sacramenti: illud processit ex intentione nocendi Christo, non autem hoc peccatum, indigne sumendo Sacramentum. Tertio autem loco sunt peccata, quæ committuntur contra alia Sacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Christi. Unde per se gravius peccat infidelis accipiens hoc Sacramentum, quam fidelis peccator, si non credat Christum vere sub hoc Sacramento esse; quia quantum est in se, diminuit sanctitatem huius Sacramenti, & virtutem Christi operantis in hoc Sacramento, quod est contemnere ipsum Sacramentum in se ipso; fidelis autem, qui cum conscientia peccati sumit, contemnit hoc Sacramentum non in se ipso, sed quantum ad usum indigne accipiens. Unde & *Apost.* 1. *Corinth.* 11. assignat rationem huius peccati, dicens: Non diiudicans Corpus Domini, idest non discernens ipsum ab aliis cibis, quod eo magis facit infidelis, qui non credit Christum esse sub Sacramento. Sicut ille, qui proiceret hoc Sacramentum in lutum multo gravius peccaret, quam ille, qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc Sacramentum accedit, quia ille faceret ex intentione, iniuriam faciendi huic Sacramento, quod non intendit peccator indigne Corpus Christi accipiens; quia etiam homo peccator est capax gratiæ, unde magis aptus est ad suscipiendum hoc Sacramentum, quam quæcumque alia irrationalis creatura. Unde maxime inordinate uteretur hoc Sacramento, qui proiiceret, puta canibus ad manducandum, vel qui proiiceret in lutum conculcandum, quam ille, qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc Sacramentum accedit, 3. *p. q.* 80. *art.* 5. *per totum*.

48. *Quer.* An communio sit deneganda peccatoribus publice petentibus?

Resp. Div. Th. Circa peccatores distinguendum est; quidam enim sunt occulti, quidam vero manifesti; manifesti scilicet per evidentiam facti; ut sunt publici usurarii, aut publici raptores: vel per evidentiam iuris, scilicet per aliquod iudicium Ecclesiasticum, vel sæculare. Talibus manifestis ergo peccatoribus non debet, etiam petentibus, sacra communio dari. Unde *Cyprianus lib.* 1. *epistol.* 10. scribit ad quemdam: Quid mihi videtur de histrionibus, qui in artis suæ dedecore perseverant, an talibus sacra communio cum cæteris Christianis debeat dari, puto nec Maiestati divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut honor Ecclesiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur. *Matth.* 7. Sancta prohibentur dare canibus, idest peccatoribus manifestis. Si vero non sunt manifesti peccatores, sed occulti, non potest eis petentibus sacra communio denegari. Cum enim quilibet

Chri-

Christianus ex hoc ipso, quod sit baptizatus, sit admissus ad Dominicam mensam, non potest ei ius suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta. Unde *August. in lib. de medicina pœnitentiæ*, dicit: Nos a communione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico, vel sæculari nominatum, atque convictum; quia occulta non possunt publice puniri, sed sunt divino iudicio reservanda: unde peccaret mortaliter sic infamando peccatorem occultum, & esset scandalum. Christus dedit nobis hoc exemplum iustitiæ; non conveniebat eius magisterio, ut Iudam occultum peccatorem sine accusatore, & evidenti probatione ab aliorum communione separare, ne per hoc daretur exemplum Prælatis Ecclesiæ similia faciendi. Potest tamen Sacerdos, qui est conscius de crimine occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur. Nam post pœnitentiam, & reconciliationem etiam publicis peccatoribus non est communio deneganda, præcipue in articulo mortis, 3. *p. q.* 80. *art. 6. & quæst.* 81. *artic.* 2.

49. *Quær.* An Minister hostiam non consecratam, loco consecratæ, tradere possit ad salvandam reverentiam Sacramento, & famam peccatoris occulti?

Resp. Div. Th. Peccator occultus potius deberet eligere infamari, quam indigne ad mensam Domini accedere. Hostia tamen non consecrata nullo modo debet dari loco consecratæ, quia Sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos, qui credunt esse hostiam consecratam, sive alios præsentes, sive etiam ipsum sumentem, quia, ut *August.* dicit in *Psal. 98.* Nemo Carnem Christi manducet, nisi prius adoret. Unde *extra de celebrat. Miss. cap. De homine*, dicitur: Licet his, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum peccet graviter, si se ingerat; gravius tamen videtur offendere, qui fraudolenter illud præsumpserit simulare, 3. *p. q.* 80. *art. 6. ad* 2.

50. *Quær.* An carentibus usu rationis sit danda communio?

Resp. Div. Th. Aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter. Uno modo, quia habent debilem usum rationis; sicut dicitur non videns qui male videt: & quia tales possunt aliquam devotionem huius Sacramenti concipere, non est eis hoc Sacramentum denegandum: alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter usum rationis: aut igitur nunquam habuerunt usum rationis, sed sic a nativitate permanserunt, & sic talibus non est hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo processit huius Sacramenti devotio, aut non semper caruerunt usu rationis, & tunc si prius quando erant compotes suæ mentis apparuit in eis devotio huius Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi; nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expulsionis. Unde in Concilio Carthaginensi legitur, & habetur *in Decr. 26. q.* 2. Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuit, vel in frænesim conversus fuerit, dent testimonium quicumque audierunt, & accipiant pœnitentiam; et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia, 3. *p. q.* 80. *art. 9. in corp.*

51. *Quær.* An Pueris sit danda communio, & in qua ætate?

Resp. Div. Th. Eadem est ratio de pueris recenter natis, & de amentibus, qui nunquam habuerunt usum rationis: unde talibus non sunt sacra mysteria danda; quamvis quidam Græci contrarium faciant propter hoc quod *Dionysius* 2. *Cælestis Hierarch.* dicit, Baptizatis esse sacram communionem dandam, non intelligentes, quod *Dionysius* ibi loquitur de baptismo adultorum, nec tamen per hoc aliquod detrimentum patiuntur, propter, hoc, quod Dominus dicit *Io. 6.* Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis, quia sicut *Aug.* scribit *Bonifacio*, & habetur *de consecrat. dist. 4. Cap. Nulli*. Tunc unusquisque fidelium corporis, & sanguinis Domini particeps fit, scilicet spiritualiter, quando in baptismate membrum Corporis Christi efficitur, non tamen statim, sed tempore competenti, sicut & ius percipiendæ hæreditatis habet, quamvis eam statim non possideat. Sed quando iam pueri incipiunt aliquem usum rationis habere,

 ut

ut possint devotionem concipere huius Sacramenti, tunc potest eis hoc Sacramentum conferri. Pueris igitur carentibus usu rationis, qui non possunt distinguere inter cibum spiritualem, & corporalem, non debet Eucharistia dari; pueris autem jam incipientibus habere discretionem, etiam ante perfectam ætatem, puta cum sint decem, vel undecim annorum, aut circa hoc, potest dari si in eis signa discretionis appareant, & devotionis, 3. *p. q.* 80. *art.* 9. *ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 9. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *promiscue*.

Concil. Trid. *Sess.* 21. *de Refor. cap.* 4. *Denique Sancta Synodus docet, parvulos, usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem; si quidem per baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati adeptam iam filiorum Dei gratiam illa ætate amittere non possunt*.

Unde *Sess.* 21. *Can.* 4. decernit: *Si quis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem: anathema sit*.

52. *Quær.* An ad communionem, vel ad celebrandum debeat quis conscio de peccato lethali accedere confessus?

Resp. Div. Th. Si quis debeat Eucharistiam percipere, nullus post peccatum mortale nisi confessus accedere debet, copia Sacerdotis oblata, & necessitate non urgente; & inde venit obligatio, qua Ecclesia omnes obligat ad semel in anno confitendum, quia instituit, ut semel in anno, scilicet in Pascha sacram communionem accipiant, & ideo ante illud tempus confiteri tenentur, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. *in corp.*

53. *Quær.* An Energumenis sit neganda communio?

Resp. Div. Th. *Cassianus* dicit: Eis, qui ab immundis vexantur spiritibus communionem Sacrosanctam a Senioribus nostris nunquam meminimus interdictam. Unde Dæmoniacis non est deneganda communio, nisi forte certum sit, quod pro aliquo crimine a diabolo torqueantur, & nisi timeatur periculum vel de vomitu, vel de expuitione, aut aliquo huiusmodi, sicut dictum est de amentibus, 3. *p. q.* 80. *art.* 9. *ad* 2. *&* 4. *sent. dist.* 9. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 3. *ad* 2.

54. *Quær.* An communio possit prohiberi alicui sine sua culpa?

Resp. Div. Th. Aliquis sine culpa quandoque ab Eucharistia arcetur, sicut patet in suspensis, & interdictis; quia tales pœnæ quandoque alicui pro culpa alterius, qui in eis punitur, inferuntur, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *& quæstiunc.* 3. *ad* 3.

55. *Quær.* An peccent peccatores si tempore Paschatis differunt communionem ex consilio proprii Sacerdotis?

Resp. Div. Th. Peccatores magnum detrimentum patiuntur, ex hoc quod repelluntur a perceptione huius Sacramenti. Unde per hoc non sunt melioris conditionis, & licet in peccatis permanentes non excusentur propter hoc a transgressione præcepti; pœnitentes tamen, ut *Innocentius* dicit, & habetur *lib.* 5. *decret. tit.* 38. *cap.* 12. Qui secundum consilium Sacerdotis abstinent, excusantur, 3. *p. q.* 80. *art.* 11. *ad* 3.

56. *Quær.* An aliquis habens conscientiam peccati mortalis, quod dimittere non vult tempore Paschatis, magis debeat permittere excommunicari, quam communicare in peccato mortali?

Resp. Div. Th. Potius se debet permittere excommunicari, quam cum proposito peccati Corpus Christi sumere, 4. *sent. dist.* 9. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 3.

57. *Quær.* Quid debeat agere, puta Sacerdos si non habeat copiam confessarii, & teneatur celebrare?

Resp. Div. Th. In necessitate quando aliqnis copiam confessarii habere non potest, sufficit contritio ad susceptionem huius Sacramenti. Regulariter autem debet confessio præcedere cum aliqua satisfactione. Unde *in lib. de Eccles. dogmatibus cap.* 57. dicitur: Communicaturus satisfaciat lachrymis, & orationibus, & confidens de Domino mundus accedat ad Eucharistiam; sed hoc de illo dico, quem capitalia peccata, & mortalia non gravant. Namque quem mortalia crimina post baptismum commissa præmunt, dico prius pœnitentia satisfacere, & in Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si non vult ad condemnationem Eucharistiam percipere. Ibi est

est ipse Christus, qui est Sanctus Sanctorum: unde receptaculum eius debet esse sanctum, *Lect. 7. cap. 11. prima ad Corint. & 4. sent. dist. 9. q. 1. art. 3. ad 1.*

Concil. Trid. *Sess.* 13. *cap.* 7. decernit: *Nullus sibi conscius peccati mortalis quantumvis sibi contritus videatur absque præmissa Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat; quod a Christianis omnibus, etiam a Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit: modo non desit illis copia confessarii; quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

58. *Quær.* An statim post contritionem, & confessionem, peccatoribus consulenda est communio?

Resp. Div. Th. Ex necessitate non impeditur homo a sumptione huius Sacramenti, nisi propter peccatum mortale, ex quadam convenientia non esset tamen consulendum alicui, quod statim post peccatum mortale etiam contritus, & confessus ad Eucharistiam accederet, sed deberet, nisi magna necessitate urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere, quia confessio purgat maculam mentis, non autem immunditiam corporalem, & hebetudinem, quæ contingit in mente ex depressione ipsius ad carnem, 4. *sent. dist. 9. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. ad 2. 3. p. q. 80. art. 7. ad 1.*

Recolatur prop. 22. & 23. damn. ab Alex. VIII. scilicet: *Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint; similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

59. *Quær.* Si ex oblivione peccati mortalis aliquis post debitum examen attritus accedat ad Sacramentum percipiat fructum eius?

Resp. Div. Th. Si aliquis facta diligenti discussione suæ conscientiæ, quamvis forte non sufficienti, ad Corpus Christi devote accedat, aliquo peccato in ipso manente, quod eius cognitionem prætersugiat, non peccat, immo magis ex vi Sacramenti peccati remissionem consequitur, si adsit generalis attritio, si doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris, sufficit si in se signa contritionis inveniat. Unde *Aug.* dicit in quodam sermone, quod quando Corpus Christi manducatur, vivificat mortuos, 4. *sent. dist. 9. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. in corp. & q. 80. art. 4. ad 5.*

60. *Quær.* An ad digne, & fructuose sumendam Eucharistiam, ultra probationem conscientiæ a peccato mortali, requiratur etiam munditia a peccatis venialibus?

Resp. Div. Th. Peccata venialia dupliciter accipi possunt: uno modo prout sunt præterita: alio modo prout sunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum huius Sacramenti; potest enim contingere, quod aliquis post multa peccata venialia commissa devote accedat ad hoc Sacramentum, & plenarie huius Sacramenti consequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt huius Sacramenti effectum, sed in parte; quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest, cum distractiones variæ ipsam devotionem impediant, & peccata venialia virtutum actum tollant: ita quod aliquis augmentum actualis gratiæ non consequatur, quia effectus huius Sacramenti, ut dicetur infra, non solum est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam quædam refectio spiritualis & actualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus. Unde ille, qui cum actu venialis peccati ad hoc Sacramentum accedit habitualiter quidem manducat spiritualiter, quia non tollitur augmentum spiritualis gratiæ, & charitatis; sed non actualiter, quia impeditur actualis refectio dulcedinis; nec tamen reatum peccati mortalis incurrit, sed forte reatum venialis peccati, ex hoc quod imparatus accedit, 3. *p. q. 79. art. 8. & 4. sent. dist. 12. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3.*

Ad hoc igitur ut homo digne ad Sacramentum Eucharistiæ accedat, ultra munditiam conscientiæ, requiritur erectio mentis ad Deum per actualem devotionem, 4. *sent. dist. 9. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2.*

Concil. Trid. *Sess.* 13. *cap.* 7. inquit: *Cavere quisquis debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad hoc Sacramentum percipiendum accedat.*

61. *Quær.* Nedum peccatum, & indevotio impediant dignam sumptionem Eucharistiæ, sed etiam corporalis immunditia?

Resp. Div. Th. Primo, & principaliter, ut dictum est, peccatum impedit perceptionem Sacramenti; secundo indevotio, atque hebetudo mentis; tertio corporalis immunditia: & hæc tria possunt concurrere maxime in pollutione nocturna, & ideo distinguendæ sunt pollutionum differentiæ. Quandoque pollutio provenit ex causa extrinseca, spirituali, scilicet ex dæmonum illusione, qui phantasmata commovere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum sequitur; quandoque vero provenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet ex præcedentibus cogitationibus: aliquando autem ex causa intrinseca corporali, vel ex superfluitate, sive debilitate naturæ, sive etiam ex superfluitate cibi, vel potus: quælibet autem harum trium causarum potest, & sine peccato, & cum peccato veniali, vel mortali existere. Si sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem huius Sacramenti, ita scilicet quod homo sumendo sit reus Corporis, & Sanguinis Domini; ex quadam vero congruentia impedit quantum ad duo, quorum unum semper accidit, scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam Sacramenti non decet ad altare accedere; nisi forte talis immunditia esset perpetua, vel diuturna; sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid huiusmodi. Aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit. Hoc autem impedimentum, quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, puta cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium pro eo, quod Sacerdos alius deest ipsa necessitas compellit. Si vero sit cum peccato mortali impedit ex necessitate sumptionem huius Sacramenti salutaris. Ideo considerandum est utrum in causa pollutionis possit inveniri peccatum præcedens, & quia cogitationi de propinquo est delectatio, & delectationi consensus. Unde etiam in dubio potest verti; utrum sequens pollutio ex peccato acciderit? Si autem ex cibo præcedenti, aut potu acciderit, idem est iudicium, & de pollutione, quæ ex turpi cogitatione processit, nisi in tantum, quod non ita de facili accidit peccare mortaliter in sumptione cibi, sicut in cogitatione turpi. Et quia non ita de facili potest percipi ex qua causa contingat, ideo tutius est semper abstinere, nisi necessitas incumbat: debet abstinere, ut dicunt, usque ad viginti quatuor horas, qua in tali spatio natura deordinata per corporalem immunditiam, & mentis habetudinem, reordinatur, 4. *sent. dist.* 9. *q.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. & 3. *p. q.* 80. *art.* 7. *promiscue.*

62. *Quær.* An actus coniugalis impediat accessum ad Eucharistiam?

Resp. Div. Th. Coitus coniugalis si sit sine peccato, puta si fiat causa prolis generandæ, vel causa reddendi debitum, non alia ratione impedit sumptionem huius Sacramenti; nisi sicut dictum est de pollutione nocturna, quæ accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem. Ratione cuius *Hieronym.* dicit, & habetur *dist.* 33. *q.* 4. *Cap. Scientis.* Si panes propositionis ab his, qui uxores tetigerant comedi non poterant; quanto magis panis, qui de Cœlo descendit, non potest ab his, qui coniugalibus paulo ante vacavere amplexibus, violari, atque contingi? Non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, vacare carnalibus operibus non debemus. Sed quia hoc secundum congruitatem, & non secundum necessitatem est intelligendum. *Gregor.* dicit, quod talis est suo iudicio relinquendus. Si vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere, tunc prohiberi debet, ne accedat ad Sacramentum, 3. *p. q.* 80. *art.* 7. *ad* 2.

63. *Quær.* An Leprosis, & similibus interdicatur sacra communio?

Resp. Div. Th. Deus vere diligit corporalem munditiam, ut ait *Glos.* super illud *Deut.* 23. Habentis locum extra castra, & immunditiam odit, secundum quod pertinet ad reverentiam, vel irreve-

vetentiam Sacramenti. Sed cibus Eucharistiæ cum non sit corporis, sed mentis cibus, magis in eius sumptionem consideranda est dispositio mentis quam corporis. Et ideo distinguendum est in immunditia corporali tantum; puta in lepra, vel in fluxu sanguinis, quia aut est perpetua, aut diuturna, vel est temporalis, & cito purgabilis. Si quidem sit perpetua, vel diuturna, tunc nullo modo propter hoc quis abstinere debet, ne propter immunditiam corporis perdatur fructus mentis; sicut accidit in leprosis, & in patientibus fluxum sanguinis, vel feminis; & ideo si ex devotione mentis non propter irreventiam cum immunditia corporali aliquis accedat, Deus acceptat. Si autem sit temporalis, & facile expurgabilis, tunc si aliquis in mente sit bene dispositus sumere pariter non prohibetur: quamvis etiam possit ad tempus laudabiliter abstinere propter reverentiam tanti Sacramenti. Interdicitur tamen Sacerdoti leproso facultas in publico celebrandi coram Populo propter horrorem, ut habetur *Clem.* 3. *extra de Cleric. ægrot. vel debil. Cap. Tua nos*. Tamen secrete bene potest ex devotione celebrare, nisi sit adeo corruptus, quod ministerium sine periculo explere non possit. Leprosus tamen ad Sacerdotium promoveri non debet, 4. *sent. dist.* 9. *q.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 3. *per totum*.

64. *Quær.* An præter peccatum mortale, & præter voluntatiam immunditiam etiam cibus, & potus præassumptus impediat sumptionem huius Sacramenti?

Resp. Div. Th. Aliquid impedit sumptionem huius Sacramenti dupliciter: uno modo secundum se, sicut peccatum mortale, quod habet repugnantiam ad significationem huius Sacramenti, ut supra dictum est; alio modo propter prohibitionem Ecclesiæ; & sic impeditur aliquis a sumptione huius Sacramenti post cibum, & potum assumptum; primo quidem sicut *Aug.* dicit *Epist.* 118. *cap.* 6. In honorem, & in reverentiam tanti Sacramenti, ut scilicet in os hominis intret, nondum aliquo cibo, & potu infectum, sed quasi novum, & purum reservetur; secundo propter significationem, nam Christus, & charitas eius debet primo fundari in cordibus nostris, secundum illud *Matth.* 6. Quærite primum Regnum Dei; tertio propter devotionem, & attentionem, quæ ex cibis acceptis impediri posset, fumis a stomaco ad caput ascendentibus, & propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingit ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur, sicut *Apost.* dicit *prim. Corinth.* 11. Alius quidem esurit, alius autem ebrius est, 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *in corp.* & 4. *sent. dist.* 8. *q.* 1. & 4. *quæstiunc.* 1. *in corp.* & *promiscue*.

65. *Quær.* Quale sit ieiunium quod prærequiritur ante sumptionem Sacramenti Eucharistiæ?

Resp. Div. Th. Duplex est ieiunium, scilicet naturæ, & Ecclesiæ. Ieiunium naturæ, dicitur ieiunium ieiunii, quo quis ieiunus dicitur ante cibum sumptum illa die, & importat privationem cuiuscumque præsumpti per modum cibi, & potus, etiamsi pluries postea eadem die comesturus sit. Ieiunium autem Ecclesiæ, quod dicitur ieiunium ieiunantis secundum modum ab Ecclesia institutum ad carnis afflictionem, & hoc ieiunium manet etiam post unicam comestionem. Potus vini, aut aquæ, & etiam electuaria huiusmodi ieiunium non solvunt; quamvis aliquo modo nutriant; nisi electuaria in fraudem ieiunii sumantur. Ad debitam ergo sumptionem Dominici Corporis non sufficit hoc ieiunium Ecclesiæ, sed requiritur ieiunium naturæ propter reverentiam Sacramenti. Secundum communem sententiam ea omnia quæ per modum cibi, & potus, & etiam aquæ, vel medicinæ inquantumcumque parva quantitate, impediunt a perceptione Eucharistiæ, nec refert utrum aliquid huiusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se, aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi, vel potus. Reliquiæ tamen cibi remanentes de vespere in ore si mane postmodum transglutiantur, non impediunt sumptionem huius Sacramenti, quia non traiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ; & eadem est ratio de guttis aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ: similiter dicendum est de eructationibus, quia ea, quæ interius geruntur, sine exterioris cibi sumptione non videntur solvere ieiunium naturæ, nec impedire

Eu-

Eucharistiæ sumptionem: tamen propter reverentiam, nisi necessitas incumbat, potest abstinere, 4. *sent. dist.* 8. *q.* 1. *art.* 4. *questiunc.* 2. & 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *ad* 4. *promiscue*.

66. *Quær.* An etiam moribundis cibus, & potus impediat sumere Eucharistiam?

Resp. Div. Th. Ab hac regula generali excipiuntur infirmi, qui statim communicandi sunt etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne contingat sine viatico ex hac vita transire: quia necessitas non habet legem. Unde dicitur *de consecr. dist.* 2. *Cap. Præsbyter:* Præsbyter infirmum statim communicet, ne sine communione moriatur, & ideo oportet hostias consecratas pro infirmis conservare, *q.* 83. *ad* 11. 3. *p. q.* 80. *art.* 4. *in corp.* & 4. *sent. dist.* 8. *q.* 1. *art.* 4. *questiunc.* 1. *promiscue*. Immo in casu quo postquam Sacerdos consecravit, aliquis infirmetur ad mortem, & instanter petat Corpus Christi in ultima necessitate constitutus, potest dare Infirmo petenti partem hostiæ consecratæ, si desint particulæ. Pars vero hostiæ in calicem missa non debet dari in supplementum communionis, quia panem intinctum non porrexit Christus nisi Iudæ proditori, 4. *sent. dist.* 12. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 1. & 3. *p. q.* 83. *art.* 5. *ad* 9.

67. *Quær.* A quo tempore debeat quis esse ieiunus, ut possit celebrare, vel communicare?

Resp. Div. Th. Dictum est, quod hoc Sacramentum, prius quam alii cibi sumantur debet in os Christiani intrare, sed hoc est intelligendum quantum ad eumdem diem, licet principium diei secundum diversos diversimode sumatur. Nam quidam a meridie, quidam ab occasu, quidam a media nocte, quidam ab ortu solis diem incipiunt; Ecclesia tamen Romana diem a media nocte incipit. Et ideo si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi, vel potus, non potest eadem die hoc sumere Sacramentum, potest vero, si ante mediam noctem, nec refert utrum post cibum, vel potum assumptum dormiret, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem præcepti; refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter insomnietatem, vel indigestionem, ex quibus si mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem huius Sacramenti, 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *ad* 5.

68. *Quær.* Quid debeat agere Sacerdos quando dum celebrat missam advertit se non esse ieiunus?

Resp. Div. Th. Si Sacerdos post consecrationem inceptam recolit se aliquid comedisse, vel bibisse nihilominus debet perficere Sacramentum: si vero ante consecrationem, tutius putarem, in casu manducationis, quod missam inceptam desereret, nisi grave scandalum timeretur, 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 2.

69. *Quær.* An statim post missam, vel post communionem possit sumi cibus?

Resp. Div. Th. Debet esse aliqua mora inter sumptionem huius Sacramenti, & reliquos cibos. Unde & in missa oratio gratiarum actionis post communionem dicitur, & communicantes etiam suas privatas orationes dicunt. Et ideo oportet esse aliquod intervallum, inter sumptionem Eucharistiæ, & aliorum ciborum. Secundum tamen antiquos Canones aliter erat dispositum decretum; sed nunc est abrogatum, 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *ad* 6. & 4. *sent. dist.* 8. *q.* 1. *art.* 4. *questiunc.* 3. *in corp.*

70. *Quær.* Quare ea, quæ possunt reverentiam, & devotionem impedire prohibentur magis ante sumptionem Sacramenti, quam post?

Resp. Div. Th. Sacramentum post sui sumptionem immediate effectum proprium causat; & ideo oportet actualiter in ipsa sumptione cor hominis in devotione persistere, sed post perceptionem sufficit quod habitu devotio teneatur, quia non potest semper in actu esse; & ideo ea quæ possunt hunc actum impedire prohibentur magis ante sumptionem Sacramenti, quam post. Ad quam nos præparari oportet per mentis, & corporis munditiam, & per linguæ, & sensuum refrænationem, & per nostrarum passionum continentiam, & moderationem. Hanc enim devotionem facit ipsum Sacramentum percipi cum effectu, 4. *sent. dist.* 8. *q.* 1. *art.* 4. *questiunc.* 3. *ad* 3. & *Opusc.* 64. *cap.* 17. & *Opusc.* 58. *cap.* 15. & 16. *promiscue*.

71. *Quær.* Quinam sit effectus proprius huius Sacramenti?

Resp. Div. Th. Effectus huius Sacramen-

men-

menti debet considerari primo quidem principaliter ex eo, quod in hoc Sacramento continetur, quod est Christus, qui sicut in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiæ, secundum illud *Io.* 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est; ita in homine Sacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur secundum illud *Io. 6* Qui manducat me vivet propter me: deinde consideratur effectus huius Sacramenti ex modo quo traditur per modum cibi, & potus; & ideo omnem effectum, quem cibus, & potus materialis facit quantum ad vitam corporalem (quod scilicet sustentat, auget, reparat, & delectat) hoc totum facit hoc Sacramentum quantum ad vitam spiritualem. Restat igitur, ut cum ipsum Sacramentum realiter sumitur, quod gratia augeatur, & vita spiritualis perficiatur. Et tunc non solum habitum gratiæ, & virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum secundum illud Apostoli: Charitas Christi urget nos, inde anima spiritualiter reficitur, spiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ: secundum illud *Cant.* 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Et licet corpus non sit immediatum subiectum gratiæ, ex anima tamen redundat effectus eiusdem gratiæ ad corpus, dum in præsenti exhibimus membra nostra arma iustitiæ Deo. Et in futuro corpus nostrum sortietur incorruptionem, & gloriam animæ. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum, 3. *p. q.* 79. *art.* 1. *per totum*.

72 *Quær.* An effectus huius Sacramenti sit remissio, & præservatio a peccatis?

Resp. Div. Th. Quicumque habet affectum, & conscientiam peccati mortalis habet in se impedimentum percipiendi effectum huius Sacramenti, ut supra dictum est. Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati, perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam, & affectum non habet, quia forte non fuit sufficienter contritus, sed devote, & reverenter accedens consequitur per hoc Sacramentum gratiam, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati. Competit vero huic Sacramento ut remittantur peccata venialia. Res autem huius Sacramenti est charitas non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad fervorem actus, ratione cuius peccata venialia tolluntur: maior est virtus charitatis, cuius est hoc Sacramentum, quam venialium peccatorum. Unde charitas tollit per suum actum peccata venialia. Unde *Inn. III.* dicit, & habetur, 4. *de Sacro mysterio Altaris cap.* 44. Hoc Sacramentum venialia delet, & cavet mortalia, tamquam spiritualis cibus, & medicina, 3. *p. q.* 79. *art.* 3. *&* 4. *promiscue*.

Concil. Trid. *Sess.* 13. *Cap.* 2. inquit: *Salvator noster sumi voluit hoc Sacramentum, tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur. Pignus propterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & fælicitatis*. Unde *Canon.* 5. ait: *Si quis dixerit vel præcipuum fructum Sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios fructus provenire; anathema sit*.

73. *Quær.* An per hoc Sacramentum tota pœna peccati remittatur?

Resp. Div. Th. Hoc Sacramentum simul est sacrificium, & Sacramentum: rationem sacrificii habet in quantum offertur: rationem autem Sacramenti in quantum sumitur. Et ideo effectum Sacramenti habet in eo, qui sumit, effectum autem sacrificii in eo, qui offert, vel in his, pro quibus offertur. Si igitur consideratur ut Sacramentum, habet effectum dupliciter: uno modo directe ex vi Sacramenti: alio modo quasi ex quadam concomitantia. Directe ad quem est institutum; non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum. Sed quia hæc unitas fit per charitatem, ex cuius fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ, pœnæ scilicet non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis, & fervoris. Inquantum vero est sacrificium habet vim satisfactivam, sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Unde Dominus dicit *Luc.* 21. De vidua quæ obtulit duo æra, quod plus omnibus misit. Quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna: & hoc

hoc contingit non ex defectu sacrificii, & virtutis Christi, quæ est infinita, sed ex defectu devotionis humanæ, 3. *p. q. 79. art. 5. per totum.*

74. *Quær.* Quid sit Missa, & unde dicatur?

Resp. Div. Th. Missa dicitur quasi transmissa, eo quod populus fidelis per ministerium Sacerdotis, qui mediatoris vice fungitur inter Deum, & hominem preces, & vota, & oblationes Deo transmittit; vel quia per Angelum Sacerdos, preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem; vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo, 4. *sent. dist.* 13. *&* 3. *p. q.* 83. *art.* 4. *ad* 9.

75. *Quær.* Quomodo hoc Sacramentum dicatur simul sacrificium, & quomodo prosit etiam aliis non sumentibus?

Resp. Div. Th. Hoc Sacramentum, non solum est Sacramentum, sed etiam est sacrificium (ut supra dictum est) inquantum in hoc Sacramento repræsentatur passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo, ut dicitur *ad Ephes.* 5. habet rationem sacrificii: inquantum vero in hoc Sacramento traditur invisibilis gratia sub visibili specie habet rationem Sacramenti; oblatio pertinet ad rationem sacrificii: sumentibus, quidem prodest & per modum Sacramenti, & per modum sacrificii, inquantum pro salute eorum offertur: Unde in Canon. Missæ dicitur: Memento Domine famulorum, famularumque tuarum. Utrumque modum proficiendi Dominus expressit *Matth.* 26. *&* *Luc.* 25. Qui pro vobis, scilicet sumentibus, & pro multis, scilicet aliis, effundetur in remissionem peccatorum, 3. *p. q.* 79. *art.* 7. *in corp.*

Concil. Trid. *in Sess.* 25. *in decret. de Purgatorio* inquit: *Animas in Purgatorio detentas potissimum acceptabili Altaris Sacrificio iuvari.*

Concil. Trid. *Sess.* 22. *Cap.* 2. inquit: *In hoc Divino sacrificio, quod in Missa peragitur, non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, & satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite offertur.*

76. *Quær.* An sint tot Sacramenta vel sacrificia, quot sunt Missæ, & quid si plures hostiæ ab uno Sacerdote consecrantur in una Missa?

Resp. Div. Th. Si Sacerdos plures hostias consecrat in una Missa non multiplicatur effectus huius Sacramenti, quia non est nisi unum sacrificium, nihil enim est plus virtutis in multis hostiis consecratis, quam in una, cum sub omnibus, & sub una, non sit nisi totus Christus. Unde nec si aliquis simul in una Missa maiorem hostiam, vel multas hostias consecratas sumat, participat maiorem effectum Sacramenti. In pluribus vero Missis multiplicatur effectus sacrificii, & Sacramenti, quia multiplicatur sacrificii oblatio, 3. *p. q.* 79. *art.* 7. *ad* 3.

Concil. Triden. *Sess.* 22. *cap.* 1. *&* 2. inquit: *In Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile sicut hominum natura exigit relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit.*

77. *Quær.* An quotidie debeat Missa celebrari?

Resp. Div. Th. Secundum *Innocentium* quinque de causis quotidie Missa in Ecclesia celebratur; primo, quia oportet semper esse paratam medicinam contra quotidiana peccata; secundo, ut lignum vitæ semper sit in medio paradisi; tertio, ut nobis quotidie Christus uniatur sacramentaliter, & nos ei spiritualiter; quarto, ut sit apud nos vigil memoria passionis; quinto, ut vero agno, loco typici, quotidie utamur, 4. *sent. dist.* 13. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 3.

Adest error Wicleffi, & Sectariorum sæcul. 14. *Non est fundatum in Scriptura, quod Christus Missam ordinaverit.*

Et Conc. Trid. *Sess.* 22. *cap.* 6. *Missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus qui ad Corpus Christi pertinent celebrentur.*

Et in *Decret de observandis in celebratione Missæ*, scilicet: *Vivifica illa hostia qua Deo Patri reconciliati sumus in altari per Sacerdotes quotidie immolatur.*

78. *Quær.* An liceat plures Missas ab uno, una die celebrare?

Resp. Div. Th. Sufficit Sacerdoti unam Missam

Missam in una die celebrare, sicut habetur *de consecr. dist.* 1. *cap. Sufficit*, ex Decret. *Alexandri Papæ*, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit, & valde fœlix est, qui unam digne celebrare potest: qui vero pro pecunia, aut adulationibus sæcularium una die præsumunt plures celebrare Missas, non æstimo evadere damnationem. Et *extra de celebr. Missar. in decret. lib.* 3. *tit.* 41. *cap. Consuluisti*, dicit *Innocentius III.* quod excepto die Nativitatis Dominicæ (nisi causa necessitatis suadeat) sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam celebrare, 3. *p. q.* 73. *art.* 2. *ad* 5.

79. *Quær.* Quare in die Nativitatis Domini liceat ter Missam celebrare?

Resp. Div. Th. In die Nativitatis plures Missæ celebrantur propter triplicem Christi Nativitatem; quarum una est æterna, quæ quantum ad nos est occulta. Et ideo una Missa canitur in nocte, in cuius introitu dicitur: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Alia est temporalis; sed spiritualis, qua scilicet Christus oritur tamquam lucifer in cordibus nostris, ut dicitur 2. *Petri* 1. & propter hoc cantatur Missa in aurora, in cuius introitu dicitur: Lux fulgebit hodie super nos. Tertia est Christi nativitas temporalis, & corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex utero virginali carne indutus, & ob hoc cantatur tertia Missa in clara luce, in cuius introitu dicitur: Puer natus est nobis. Licet e converso posset dici, quod nativitas æterna est in plena luce. Secundum nativitatem corporalem ad literam natus est de nocte, 3. *p. q.* 83. *art.* 2. *ad* 2.

80. *Quær.* An aliquoties in anno teneatur Sacerd s celebrare?

Resp. Div. Th. Dictum est superius, Sacerdoti etiam si non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare, sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis festis; ut habetur *de consecrat. dist.* 2. *cap. Et si non frequentius*, saltem ter in anno, scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini. Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramentum ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione huius Sacramenti sacrificium offertur. Ad quod Sacerdos obligatur ex ordine iam suscepto. Nam Sacerdotibus præceptum est, *Hoc facite in mei commemorationem*, eo magis tenetur ex cura sibi commissa celebrare populo, & Sacramenta præbere, maxime diebus festivis, ut habetur in *lib. de Eccl. Dogm. cap.* 53. 3. *p. q.* 82. *art.* 10. *&* 4. *sent. dist.* 12. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 1.

81. *Quær.* Quando auditur Missa ex præcepto, vel ex devotione, æque valeat Missa mali, ac boni Sacerdotis?

Resp. Div. Th. In Missa duo est considerare, scilicet ipsum Sacramentum, quod est principale, & orationes, quæ in Missa fiunt: quantum ergo ad Sacramentum non minus valet Missa Sacerdotis mali, quam boni, quia utrobique idem conficitur Sacramentum. Oratio vero, quæ fit in Missa potest considerari dupliciter: uno modo inquantum habet efficaciam ex devotione Sacerdotis orantis, & sic non est dubium, quod Missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa; alio modo inquantum oratio in Missa profertur a Sacerdote in persona totius Ecclesiæ, inquantum ad hoc est fructuosa etiam oratio Sacerdotis peccatoris in Missa, in quibus gerit personam Ecclesiæ. Absolute vero Missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa, & hoc habetur in *Decretis q.* 1. *cap. Ipsi Sacerdotes*. Quanto Sacerdotes fuerint digniores, tanto facilius in necessitatibus pro quibus clamabunt, exaudiuntur, 3. *p. q.* 82. *art.* 6. *&* 4. *sent. dist.* 13. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 5.

Concil. Triden. *Sess.* 22. *in Decret. de observandis, & evitandis in celeb. Missæ*, decernit, ut irreverentia evitetur: *Prælati singuli in suis Diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignaro Sacerdoti Missas celebrare liceat; neminem preterea, qui publice, & notorie criminosus est, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant.*

82. *Quær.* An liceat ab excommunicatis, aut peccatoribus Missam audire, & Communionem recipere?

Resp. Div. Th. Sacerdotes si sint hæretici, vel schismatici, vel excommunicati, vel etiam peccatores, quamvis habeant potestatem consecrandi Eucharistiam, (ut supra dictum est) non tamen ea recte utuntur, sed peccant utentes. Quicumque autem communicat alicui in

peccato, ipse particeps peccati efficitur: & ideo non licet a prædictis communionem accipere, aut eorum Missam audire. Differt tamen inter prædictas sectas: nam hæretici, & excommunicati, sunt per sententiam Ecclesiæ exequutione consecrandi privati, & ideo peccat quicumque eorum Missam audit, vel ab eis accipit Sacramenta. Sed non omnes peccatores sunt per sententiam Ecclesiæ exequutione huius potestatis privati; & sic quamvis sint suspensi quantum ad se ex sententia Divina, non tamen quantum ad alios ex sententia Ecclesiæ. Et ideo usque ad sententiam Ecclesiæ licet ab eis communionem accipere, & eorum Missam audire. Unde concubinarii Sacerdotes, puta non sunt vitandi, nisi sint notorii; & dicuntur notorii, vel propter sententiam, ut dictum est, vel propter confessionem in iure factam, vel per rei evidentiam, sicut quando est ita manifestum, quod nulla potest tergiversatione cælari, quod si sustinentur a Prælatis, propter hoc non excusatur, quia hoc est propter negligentiam, vel propter miseriam, vel defectum ipsorum Prælatorum, qui non sunt ausi corrigere, cum in se multa corrigenda cognoscant; vel etiam aliquando propter timorem. Unde quicumque a tali fornicario publico audit Missam, peccat mortaliter; eo magis si eum induceret ad celebrandum, quia hoc esset provocare eum ad peccatum mortale, 3. *p. q.* 82. *art.* 9. *&* 4. *sent. dist.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 3. *& quodlib.* 11. *art.* 8.

83. *Quær.* An sit saltem adoranda hostia consecrata hæreticorum, & schismaticorum, & quomodo regulariter semper sit hostia adoranda?

Resp. Div. Th. Hostia a talibus Sacerdotibus consecrata est adoranda, & si reservetur, licite potest sumi a Sacerdote legitimo, quia solum refugimus culpam indigne ministrantium. Est tamen regulariter hostia adoranda, cum conditione scilicet si est rite, & recte consecrata, non tamen oportet, quod hæc conditio semper sit actu explicita, sed sufficit, quod habitu quis teneat illam, 3. *p. q.* 82. *art.* 9. *ad* 1. *&* 3. *sent. dist.* 9. *art.* 2. *ad* 6.

84. *Quær.* Quo loco sit celebranda Missa, & quibus utensilibus?

Resp. Div. Th. Regulariter hoc Sacramentum celebrari debet in domo, per quam significatur Ecclesia, extra Ecclesiam enim non est locus veri sacrificii; quæ communiter consecratur, tum ad repræsentandam sanctificationem, quam Ecclesia consequuta est per passionem Christi; tum etiam ad significandam sanctitatem, quæ requiritur ab his, qui hoc Sacramentum suscipere debent. Unde sicut habetur *de consecr. dist.* 1. *cap. Nullus Presbyter*. Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat nisi in consecratis ab Episcopo locis. Propter necessitatem tamen potest hoc Sacramentum peragi in domibus non consecratis, vel violatis, rasis parietibus, vel signis illius loci violati, puta si in ea mortuorum cadavera infidelium sepulta sunt; totum hoc de consensu Episcopi, ut in eadem distinctione legitur. Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit celebranda esse censemus, non tamen sine altari portatili. *De consecr. dist.* 1. *cap. Missarum*; Ecclesia, & altare, & huiusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiæ susceptivæ, sed quia adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem per quam apta redduntur divino cultui, ut scilicet homines devotionem quamdam percipiant. Unde & quidam dicunt probabiliter, quod per ingressum Ecclesiæ consecratæ homo consequitur remissionem peccatorum venialium. Consecratio Ecclesiæ non iteratur; *de consecrat.* 1. *cap.* Ecclesiis Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiusquam semine pollutæ fuerint. Consecratio altaris repræsentat sanctitatem Christi; consecratio domus, sanctitatem totius Ecclesiæ. Altaria si non sint lapidea chrismatis unctione non consecrentur, neque Sacerdotali benedictione, *de consecrat. dist.* 1. *cap. Altaris*. Quod quidem competit, & significationi huius Sacramenti: tum, quia altare significat Christum; dicitur autem 1. *Cor.* 10. Petra autem erat Christus: tum etiam, quia Corpus Christi in sepulchro lapideo fuit reconditum. Consecratur Altare cum Reliquiis Sanctorum, quorum vita abscondita est cum Christo in Deo. Unde in eadem *dist.* 1. *cap. Placuit*. Placuit, ut altaria, in quibus nullum Corpus, aut Reliquiæ Martyris conditæ probantur, ab Episcopis, qui eiusdem locis præsunt, si fieri potest evertantur. Postmodum autem statutum est, ut Calix cum

Pa-

Patena sive ex auro omnino, sive ex argento fiat, vel saltem stanеus habeatur: de ære autem, aut ex auricalcho non fiat, quia hoc vini virtute æruginem parit, pariterque vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, seu vitreo calice præsumat Missam cantare; quia scilicet lignum porosum est, & Sanguis consecratus in eo remanet: vitrum autem fragile est, & posset fractionis periculum imminere, & eadem ratio est de lapide: & ideo propter reverentiam Sacramenti statutum est, & habetur *de consecrat. dist.* 1. *cap. Vasa*, ut ex prædictis materiis calix fiat. Corporale tamen fit de panno lineo, ut habetur *de consec. dist.* 1. *cap. Consulto*. Consulto statuimus, ut sacrificium altaris non in serico panno, aut intincto quisquam celebrare Missam præsumat, sed in panno lineo ab Episcopo consecrato, sicut Corpus Christi in sindone linea, & munda sepultum est. Competit etiam pannus lineus propter sui munditiam ad significandam conscientiæ puritatem, 3 *p. q.* 83. *art.* 3. *per totum promiscue*.

Concil. Trid *Sess.* 22. *de observan. & evitan.* decernit, *Ne Ordinarii patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum cultum dedicata oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium a secularibus, aut regularibus quibuscumque peragi*.

Idem Concil. *Sess.* 22. *Can.* 7. *Si quis dixerit ceremonias, vestes, & exteriora signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis: anathema sit*.

85. *Quer.* Quo tempore, & qua hora celebrandum est?

Resp. Div. Th. Communiter loquendo Missa debet dici in die, & non in nocte, quia hoc Sacramentum ad tempus gratiæ pertinet, quod per diem significatur. *Roman.* 13. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. In medio noctis incipit dies naturalis secundum Ecclesiam, non autem dies artificialis, in qua solum licet celebrare; dies tamen iudicatur non solum ab ortu solis, sed ex quo incipiunt solis signa manifestari per aliquam aeris illustrationem. Unde possunt Missæ celebrari in prima parte diei propter aliquam necessitatem, ut dicitur *de consec. dist.* 1. *cap. Necesse est*. In duobus noctibus Missa decantatur propter privilegium illarum noctium; scilicet in Nativitate, quando Christus natus est: & in nocte Resurrectionis circa principium. Solemnis autem Missæ celebratio tribus horis instituta est fieri: scilicet in tertia diebus festis: in sexta diebus profestis: in nona diebus ieiuniorum. Sed quando fiunt ordinationes, Missa potest cantari etiam post nonam, & præcipue in Sabbato Sancto, quia ordines pertinent ad diem Dominicam, & etiam ut diligentior fiat præparatio differtur quantum differri potest ante prandium. Privatæ autem Missæ possunt dici a mane usque ad tertiam, vel etiam usque ad nonam diebus ieiuniorum, 4. *sent. dist.* 13. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 4. & 3. *p. q.* 83. *art.* 2. *ad* 3.

Concil. Trid. *Sess.* 22. *in decr. de observ. & evitand. in celebr. Missæ*, inquit: *Caveant ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias ceremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti, ac laudabili usu receptæ fuerint*.

Debita hora celebrandi est etiam illa, quæ ex privilegio prævenitur ab ortu solis a Summo Pontifice si sit concessum, & est laudabili usu receptum, maxime urgente necessitate.

86. *Quer.* An si omittantur supradicti ritus valida sit consecratio; sicut si paramenta desint?

Resp. Div. Th. Remotis his, quæ non sunt de essentia rei, nihilominus res manent. Unde cum huiusmodi ritus, & quantum ad determinationem horæ, vel loci, vel indumentorum non sint de essentia Sacramenti, sed de solemnitate; si omittantur, nihilominus consecratum est sacrificium, dummodo adsint ea, quæ sunt de essentia Sacramenti; scilicet ordo, & intentio ex parte consecrantis, & materia, & forma ex parte consecrati: tamen graviter peccat, qui aliter facit, & esset degradandus, 4. *sent. dist.* 13. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 6.

87. *Quer.* An sine ministro Sacerdos possit consecrare?

Resp. Div. Th. In solemni celebratione Missæ plures debent adesse, ut habetur *de consecrat. dist.* 2. *cap. Hoc quoque*

statutum est. Hoc quoque statutum est, ut nullus Præsbyterorum, Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus. In Missis tamen privatis sufficit unum habere ministrum, qui gerit personam totius populi Christiani, ex cuius persona Sacerdoti pluraliter respondet, 3. *p. q.* 83. *art.* 5. *ad* 12.

88. *Quær.* Pro quibus Missa debet celebrari?

Resp. Div. Th. Sicut passio Christi prodest quidem omnibus quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ, sed effectum non habet nisi in illis, qui passioni Christi coniunguntur per fidem, & charitatem; ita & hoc sacrificium, quod est memoriale Dominicæ passionis non habet effectum nisi in illis, qui coniunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem. Unde & *Aug.* dicit *in lib. de anima, & eius orig. ad Renatum*: Quis offerat Corpus Christi nisi pro his, qui sunt membra Christi? Unde & in Canone Missæ non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam. Illis, qui sunt intra Ecclesiam prodest plus, vel minus secundum modum devotionis, 3. *p. q.* 79. *art.* 7. *ad* 2.

89. *Quær.* An Missa a Sacerdote etiam existente in peccato, prosit mortuis?

Resp. Div. Th. In suffragiis, quæ fiunt per malos, duo possunt considerari: primum ipsum opus operatum, scilicet sacrificium Altaris; & quia nostra Sacramenta ex se ipsis efficaciam habent absque opere operantis, & quantum ad hoc suffragia per malos facta in sacrificio Missæ defunctis prosunt. Alio modo quantum ad opus operantis sic distinguendum est, quia operatio peccatoris, ut est eius, nullo modo meritoria esse potest nec sibi, nec aliis. Alio modo inquantum est alterius, inquantum gerit Sacerdos personam totius Ecclesiæ; & sic suffragia talis Sacerdotis, quamvis sit peccator, prosunt defunctis; quia agit ut instrumentum alterius, & opus ministerii est magis principalis agentis. Unde quamvis ille qui agit ut instrumentum, non sit in statu merendi, actio tamen potest esse meritoria ratione principalis agentis. Sicut si servus in peccato existens opus misericordiæ, puta eleemosynam faciat ex præcepto domini sui charitatem habentis; unde si aliquis in charitate decedens præcipiat sibi Missas, & suffragia fieri, illa valent defuncto, quamvis illi per quos fiunt, in peccato existant. Magis tamen valerent si in charitate essent, quia tunc ex duobus partibus opera illa meritoria essent, 4 *sent. dist.* 41. *q.* 2. *artic.* 1. *quæstiunc.* 3.

90. *Quær.* An per unam Missam possint omnes liberari animæ Purgatorii; an magis plures prosint?

Resp. Div. Th. Quamvis virtus Christi, quæ est in Sacramento Eucharistiæ sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quod illud Sacramentum ordinatur. Unde non oportet, quod per unum altaris sacrificium tota pœna eorum, qui sunt in purgatorio expietur; sed eis pro quibus fiunt specialiter valent. Sicut etiam nec per unum sacrificium, quod aliquis homo offert liberatur a tota satisfactione debita pro peccatis. Unde & quandoque plures Missæ in satisfactionem unius peccati iniunguntur. Credibile tamen est, quod per divinam misericordiam si aliquid de specialibus suffragiis supersit his, pro quibus fiunt, ut scilicet eis non indigeant, aliis dispensetur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant. Deus tamquam iustus commetietur impotenti possibilitatem. Et nihil tamen prohibet divites quantum ad aliquid; scilicet ad maiora suffragia Missarum; esse melioris conditionis, quam pauperes, sicut quantum ad expiationem pœnæ; sed hoc quasi nihil est comparatum possessioni Regni Cœlorum, in qua pauperes meliores sunt conditionis. *Luc.* 6. Beati pauperes, quia vestrum est Regnum Dei, 4. *sent. distinct.* 45. *art.* 4. *ad* 3.

91. *Quær.* An mortuis detrimentum sit exequutio sacrificii Missæ, & suffragiorum si retardetur?

Resp. Div. Th. Si moriens disponit Missas dici, & aliqua suffragia sibi fieri, præmium suffragiorum plene consequitur ante etiam quam fiant, quantum ad efficaciam suffragii, quæ erat ex opere operante principalis agentis; sed quantum ad efficaciam ex opere exequentis non consequitur fructum antequam suffragia fiant. Non enim est inconveniens, quod aliquis defraudetur per culpam alterius in temporalibus; pœna autem Purgatorii temporalis est; quamvis quantum ad æter-

nam

nam retributionem nullus defraudari possit, nisi per propriam culpam, 4. *sent. dist.* 45. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 4.

Adest Prop. 43. damn. ab Alex. VII. scilicet; *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.*

Unde Concil. Trid. *Sess.* 25. *in decret. de Purgator.* inquit: *Curent Episcopi ut fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet, sacrificia, aliaque pietatis opera, quæ a fidelibus pro defunctis fieri consueverunt pie, & devote fiant: & quæ pro illis in testatorum fundationibus vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a Sacerdotibus, & aliis qui hoc præstare tenentur, diligenter, & accurate persolvantur.*

92. *Quær.* An Missa de requie magis prosit defunctis, quam Missa de vivis?

Resp. Div. Th. Missæ suffragium continet duo, scilicet orationem, & sacrificium: ex parte igitur sacrificii oblati Missa æqualiter prodest defuncto de quocumque dicatur; & hoc est præcipuum quod fit in Missa; sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem devotionem, vel eius, qui dicit Missam, vel eius, qui facit dici, vel iterum per intercessionem Sancti cuius suffragium in Missa imploratur, 4. *sent. dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 5.

93. *Quær.* An liceat pro Missa accipere stipendium?

Resp. Div. Th. Facere pactionem de Missa celebranda est simoniacum semper. Si tamen Sacerdos non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio Missam dicere, potest accipere denarios, sicut conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ. Secundum ordinationem Ecclesiæ, ex consuetudine approbatam, non tamquam pretium, ut dictum est mercedis, sed tamquam stipendium necessitatis. Unde *Aug.* dicit *in lib. de Pastor. cap.* 2. Præsbyteri accipiant sustentationem necessitatis a populo; mercedem dispensationis a Deo. Sicut serum devotione aliquid detur Ecclesiæ pro anniversario, Ecclesia tenetur celebrare pro illis, 4. *sent. dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *ad* 4. *quæstiunc.* 2. *ad* 1. & 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *in corp.*

Prop. damn. ab Alex VII. scilicet: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque pro decret. Urb. VIII.*

Prop. 9. *Post Decret. Urb. VIII. Potest Sacerdos cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

Et prop. 10. *Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam contra fidelitatem etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Unde Concil. Trid. *Sess.* 22. *cap. de observ., & evit. in celeb. Missæ* inquit: *Ordinarii, conditiones, pacta, necnon importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino probibeant.*

94. *Quær.* Quid agendum in defectibus occurrentibus in celebratione Missæ?

Resp. Div. Th. Periculis, seu defectibus, circa Sacramentum Eucharistiæ contingentibus, dupliciter potest occurri, uno modo præveniendo, ne scilicet periculum accidat; alio modo subsequendo, ut scilicet id quod accidit, emendetur, vel exibendo remedium, vel saltem per pœnitentiam eius, qui negligenter egit circa hoc Sacramentum, 3. *p. q.* 83. *art.* 6.

95. *Quær.* Quid agendum sit si Sacerdos præoccupetur morte, seu gravi infirmitate dum actu celebrat?

Resp. Div. Th. Supra iam dictum est, si sit ante consecrationem Corporis, & Sanguinis Domini non oportet, ut per alium suppleatur. Si vero incepta sit consecratio, debet Missæ celebritas per alium expleri, ut habetur in *Decretis* 7. *q.* 1. *cap. Nihil.* 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 1.

96. *Quær.* Quid agendum si Sacerdos post consecrationem recordetur de aliquo peccato gravi, vel de aliqua censura, vel se non esse ieiunum?

Resp. Div. Th. Si Sacerdos post consecrationem inceptam recordatur se aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perficere Sacramentum. Similiter si re-

recordatur se peccatum aliquod commisisse, debet pœnitere cum proposito confitendi, & satisfaciendi, & sic non indigne, sed fructuose sumere Sacramentum. Et eadem ratio est si meminerit se excommunicationi cuicumque subiacere, debet enim assumere propositum humiliter absolutionem petendi, & sic per invisibilem Pontificem Iesum Christum absolutionem consequetur quantum ad hunc actum: si autem ante consecrationem alicuius prædictorum sit memor, tutius reputarem maxime in casu manducationis, & excommunicationis quod Missam inceptam deserat, nisi grave scandalum timeretur; regula est, ubi difficultas occurrit semper est accipiendum illud, quod habet minus de periculo, 3. *p. q.* 83. *art. 6. ad* 2.

97. *Quær.* Quid agendum si venenum deprænhenderit esse immixtum in calicem, vel musca, sive aranea ceciderit?

Resp. Div. Th. Si musca, vel aranea in calice ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprænhenderit esse immixtum, debet effundi, & abluto calice denuo aliud vinum apponi consecrandum. Si vero aliquid eorum post consecrationem acciderit, debet animal caute capi, & diligenter lavari, & comburi, & ablutio cum cineribus in sacrarium mitti. Si vero venenum ibi esse deprænhenderit immixtum, nullo modo debet sumere, nec aliis dare, ne calix vitæ vertatur in mortem. Sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquiis conservari. Et ne Sacramentum remaneat imperfectum, debet alium vinum apponere in calicem, & denuo resumere a consecratione Sanguinis, & sacrificium perficere, 3. *p. q.* 83. *art. 6. ad* 3.

98. *Quær.* Quid agendum si in celebratione Missæ Sacerdos advertat non apposuisse vinum, aut aquam in calice?

Resp. Div. Th. Si Sacerdos ante consecrationem Sanguinis, & post consecrationem Corporis percipiat, aut vinum, aut aquam non esse in calice, debet statim apponere, & consecrare. Si vero post consecrationem calicis advertit, quod aqua desit, debet nihilominus procedere, quia impositio aquæ non est de necessitate Sacramenti: debet tamen puniri ille, ex cuius negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet aqua vino iam consecrato immisceri, quia sequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte. Si vero percipiat post verba consecrationis, quod vinum non fuerit positum in calice, sed puta aquam, vel acetum, vel cervisiam, & hoc percipiat ante sumptionem Corporis, debet, deposita aqua, vel alio liquore, si ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, & resumere a verbis consecrationis Sanguinis; si vero hoc percipiat post sumptionem hostiæ consecratæ, aliam hostiam apponere debet iterum consecrandam simul cum Sanguine; quod ideo dico, quia si diceret solum verba consecrationis Sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi, sicut dicitur in Concilio Toletano 7. *Can.* 1. *vel* 2. *secundum aliquos Codices*: perfecta videri non possunt sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur. Si vero inciperet a consecratione Sanguinis, & repeteret omnia verba consequentia, non competeret, nisi adesset hostia consecrata, cum in illis verbis occurrant quædam dicenda, & fienda non solum circa Sanguinem, sed etiam circa Corpus. Et debet in fine iterum sumere hostiam consecratam, & Sanguinem, non obstante etiam, si prius sumpserit aquam, vel acetum, vel cervisiam, quæ erant forte in calice: quia præceptum de perfectione Sacramenti maioris ponderis est, quam præceptum, quod hoc Sacramentum a ieiunis sumatur, 3. *p. q.* 83. *art. 6. ad* 4.

99. *Quær.* Quid agere debet Sacerdos si non recolat se dixisse verba consecrationis, vel ea, quæ in Missa dicuntur?

Resp. Div. Th. Si Sacerdos non recolat se dixisse aliqua eorum, quæ dicere debuit, non debet ex hoc mente perturbari: non enim qui multa dicit recolit omnium, quæ dixit. Si vero Sacerdoti probabiliter constet aliqua omisisse, si non sunt de necessitate Sacramenti, non debet resumere invertendo ordinem sacrificii, sed ulterius procedere. Si vero sunt de necessitate Sacramenti sicuti est forma, resumatur a forma consecrationis, & cætera per ordinem reiterentur, 3. *p. q.* 83. *art. 6. ad* 5.

100. *Quær.* Quid agendum si labatur hostia in calice propter frigus, vel fortuito?

Resp. Div. Th. Si propter frigus Sacerdoti dilabatur hostia in calicem, sive ante

te fractionem, sive post, in hoc casu si non potest ritum Ecclesiæ implere, vel de ipsa fractione, vel etiam de hoc, quod sola tertia pars mittatur in calicem, horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit de necesse aliquid reiterare circa celebrationem huius Sacramenti, *3. p. q. 83. art. 6. ad 6.*

101. *Quær.* Quænam sint pœnæ statutæ a Sacris Canonibus, si per negligentiam effunditur Sanguis, vel corrumpantur species propter diuturnitatem renovationis Sacramenti, vel aliquid huiusmodi accidat propter malam custodiam?

Resp. Div. Th. Si per negligentiam aliquid de Sanguine stillaverit in tabulam, quæ terræ adhæret, vulgo la predella, lingua lambetur, & tabula radetur. Si vero non fuerit tabula, terra radetur, & igni consumetur, & cinis intra altare condatur; & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat; si autem super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla pervenerit, decem diebus pœniteat. Si usque ad tertium novem diebus pœniteat. Si usque ad quartum viginti diebus pœniteat, & linteamina, quæ stilla tetigerit, tribus vicibus lavet minister calice subtus posito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur; posset etiam sumi in potum a ministro, nisi propter abominationem dimitteretur; quidam autem ulterius partem illam linteaminum incidunt, & comburunt, & cinerem in altari, vel sacrario reponunt. Hoc totum habetur *de consecrat. dist. 2. cap. Si per negligentiam*. Subditur etiam ibidem ex pœnitentiali *Beda, cap. Si quis per ebrietatem*. Præsbyter si quis per ebrietatem, vel voracitatem Echaristiam evomerit, quadraginta diebus pœniteat; si Laicus, Clerici, vel Monachi, seu Diaconi, & Præsbyteri septuaginta diebus pœniteant. Episcopus nonaginta; si autem infirmitatis causa evomerint, septem diebus pœniteant; & in eadem *distinct. 2.* legitur ex *Concilio Arelat. cap.* Qui bene non custodierint Sacramentum, & mus, vel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inventa fuerit, triginta diebus pœniteat. Et eadem pœnitentia videtur dignus Sacerdos, per cuius negligentiam hostiæ consecratæ putrefiunt, prædictis autem diebus debet pœnitens ieiunare, & a communione cessare. Pensatis autem conditionibus negotii, & personæ potest minui, vel addi ad pœnitentiam prædictam; hoc tamen observandum est, quod ubicumque species integræ inveniuntur, sunt reverenter conservandæ, vel etiam sumendæ, quia manentibus speciebus, manet ibi Corpus Christi; ea vero, in quibus inveniuntur, si commode fieri potest, sunt comburenda, cinere in sacrario recondito, sicut de rasura tabulæ in initio dictum est, *3. p. q. 83. art. 6. ad 7.*

102. *Quær.* Quinam fuerunt errores circa hoc Sacramentum Eucharistiæ?

Resp. Div. Th. Fuerunt circa hoc Sacramentum multi errores, quorum primus est eorum, qui dicunt, quod in hoc Sacramento non est verum Corpus Christi, sed tantum significative; auctor erroris eius dicitur fuisse Berengarius (postea Calvinus, & moderni hæretici) contra quos dicitur: Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus. Secundus est error Arrodinicarum, qui offerunt in Sacramento hoc panem, & caseum, dicentes a primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium celebratum fuisse, contra quod est, quia Dominus huius Sacramenti institutor, panem, & vinum suis discipulis dedit. Tertius est error Cathafrigarum, & Preputiatorum, qui de infantis sanguine immiscentes cum farina, panemque inde facientes, quod magis est simile sacrificii dæmonum, quam sacrificii Christi. Quartus est error Aquariorum, qui aquam solam in sacrificiis offerunt. Quintus est error Ophicarum, qui serpentem Christum esse æstimantes, habent unum colubrum assuetum panes lingua lambere, atque ita eis velut Eucharistiam sanctificare. Sextus est Præputiatorum, qui tantum dant mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur. Septimus est error Pauperum de Lugduno, qui dicunt quemlibet iustum hominem posse conficere hoc Sacramentum. Octavus est error quorumdam, qui dicuntur Adamani, qui imitantes nuditatem Adæ, nudi mares, fæminæque conveniunt,

niunt, nudi lectionem audiunt, nudi orant, Sacramenta nudi celebrant; contra quos dicitur 1. *Corinth.* 14. Omnia honeste, & secundum ordinem fiant in vobis, *Opusc.* 5. *de Ecclesiæ Sacramentis*.

103. *Quær.* Quinam est Epilogus omnium præcipuarum quæstionum de Eucharistia?

Resp. Div. Th. Tertium igitur Sacramentum est Eucharistiæ, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, modica aqua permixtum, ita quod aqua transeat in vinum. De alio autem pane quam tritici, & alio vino, quam de vite non potest hoc confici Sacramentum. Forma autem huius Sacramenti sunt ipsa verba Christi dicentis. *Hoc est Corpus meum*. Et; *Hic est calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Minister autem Sacramenti huius est Sacerdos, neque aliquis alius potest Corpus Christi conficere. Effectus autem huius Sacramenti duplex est, quorum primus consistit in ipsa consecratione Sacramenti: nam virtute prædictorum verborum panis convertitur in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem; ita tamen quod totus Christus continetur sub speciebus panis, quæ remanent sine subiecto; & totus Christus continetur sub speciebus vini, & sub qualibet parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione facta est totus Christus. Alius vero effectus huius Sacramenti, quem in anima digne sumentis fa it, est adunatio hominis ad Christum; sicut ipse dicit *Io.* 6. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in eo. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius unitur; dignum est, quod hoc Sacramentum sumentibus digne gratia augeatur. Sic igitur in hoc Sacramento est aliquid, quod est Sacramentum tantum, scilicet ipsa species panis, & vini, & aliquid, quod est res, & Sacramentum; scilicet Corpus Christi verum, & aliquid, quod est res tantum; scilicet unitas Corporis mystici; idest Ecclesiæ, quam hoc Sacramentum & significat, & causat; sic ipse Salvator dicit ad Patrem, volo Pater, quod fideles sint unum nobiscum, sicut unum nos sumus: ut *extra de Trin. & fide Cath. cap. Damnamus*. Nec debet solum istud Sacramentum ministrari per Episcopum, vel per Præsbyterum: potest enim (de commissione) per Diaconum ministrari, ut *de consecr. dist.* 2. *cap. Pervenit, & q.* 3. *dist. cap. Præsente, cap. Diaconus*. Est enim Sacramentum necessitatis, saltem in voto, sicut baptismus, & pœnitentia; unde dicitur viaticum a Sanctis Patribus, ut 26. *q. cap. Qui recedunt:* quia maxime dari debet moribundis, sicut viatoribus transeuntibus: ut *extra de pœnitentia, & remis. cap. Quod vitæ*. Unde Sacerdos debet esse sollicitus, ut post pœnitentiam receptam communicet infirmum, ut sine communione non recedat, ut *extra de pœnitentia, & remis. cap. Deus qui Ecclesiam*. Idemque Sacerdos debet servare Eucharistiam, & habere paratas hostias consecratas pro infirmis communicandis, *de consecr. dist* 2. *cap. Præsbyter*. Et quando ibit Sacerdos ad communicandum, portet plures hostias in eundo, & redeundo, ut populus se inclinans aderet verum Corpus Christi, quod portatur manibus Sacerdotis. Portet illud Sacerdos publice, honeste, & honorifice ante pectus indutus veste Sacerdotali, cum reverentia, & timore, præcedente ministro cum lumine. Doceat autem Sacerdos populum in Ecclesia, quod quando levatur Corpus Christi Domini, & portatur ad infirmum omnes se reverenter inclinent flexis genibus adorantes, ut *extra de celebr. Miss. cap. Sane*. Reponat postea sacram Eucharistiam in loco clauso, & consignato clavi, ut non possit aliqua temeraria manu extrahi, ut *extra de custodia Euch. cap.* 1. Curet etiam hostias consecratas reponere loco decenti, ubi non marcescant, & si locus esset adeo humidus, recenseat eas, & revolvat frequenter, quia ex hac causa Sacerdos potest etiam in tempore generalis interdicti semel in hebdomada celebrare, ianuis tamen clausis, campanis non pulsatis, interdictis, & excommunicatis exclusis, ut *extra de sent. excom. cap Permittimus*. Quod si marcescant, & veterascant, iam desineret esse Corpus Christi, ut *de consecr. dist.* 2. *cap. Qui bene*. Unde talis hostia non debet dari communicanti. Item debet dari Corpus Christi ieiuno stomaco ante cibum in honorem tanti Sacramenti, *de consecr. dist.* 2. *cap. Li-*

Liquido. Si vero timeatur de morte, potest dari quandocumque ante, & post. Quando vero oportet Sacerdos veteres hostias renovare, & consecrare de novo, sumat hostias veteres ieiuno stomaco post missam celebratam, antequam sumat ablutionem digitorum. Illud etiam faciat quando supersunt hostiæ consecratæ communicationi populi; ut *de consecr. dist.* 2. *cap. Tribus gradibus*. Caveat autem Sacerdos, ut nunquam porrigat hostiam non consecratam, quia non debet populum deludere; ut *extra de celeb. Miss. cap. De homine*. Habeat Sacerdos stolam ad collum, quando communicat, *ut* 23. *dist. cap. Ecclesiastica*. Si vero aliquis sit infirmus, ita quod non possit hostiam totam sumere, Sacerdos frangat hostiam, & sumat inde aliquam particulam, & det infirmo aliam particulam, quia pro qualibet parte sumitur Corpus Christi, quia in hoc Sacramento manet totum integrum, sive plus, sive minus quis percipiat, omnes æqualiter integerrime sumunt generaliter, & specialiter unusquisque; *de consecr. dist.* 2. *cap. Qui manducat*. Si vero aliqui pueri de Parochia Sacerdotis venerint ad communicandum, & tantæ adhuc innocentiæ sint, quod nullo adhuc gravati sint gravi peccato, & sint tantæ discretionis, & compunctionis, quod sumant cum aliqua reverentia, & timore, potest Sacerdos dare eis Corpus Christi post aliqualem confessionem, quæ inducit in illis devotionem, & assuefactionem confitendi: quia licet non habeant actualem discretionem confitendi, & conferendi, tamen in ipsis operatur Sacramentum, cum non inveniat obicem malitiæ in eis, ut *extra de Bapt. & eius effect. cap. Maiores in fine*. Si autem indiscreti fuerint, & malitiosi, utpote in quibus malitia excedit ætatem, non debet Sacerdos indiscrete talibus dare Corpus Christi. Si Sacerdos sit suspensus, vel excommunicatus, aut interdictus, in hoc casu peccat Sacerdos in conferendo, & peccat ille, qui scienter recipit ab eo. Si vero probabiliter ignoret, de facto, non peccat, ut *extra de Cleric. interdict. vel excom. cap. Minist. Apostol.* Si vero Sacerdos ligatus sit minori excommunicatione tantum, peccat Sacerdos in conferendo, sed non peccat ille, qui recipit, quia in hoc casu Sacerdos, & si sit remotus a perceptione Sacramentorum, non tamen a collatione, ut *extra de cleric. interdict. vel ex minori tali celeb. Opusc.* 3. *de Eccles. Sacr. & opusc.* 65. *de officio Sacerdotis*.

TRACTATUS XXV.

De Pœnitentiæ Sacramento.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit Pœnitentia, an sit simul virtus, & Sacramentum?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Dicit *Hieron.* super illud *Isa.* 3. Peccatum suum quasi Sodoma; quod secunda tabula post naufragium est pœnitentia, qua pœnitens dolet de malo commisso, inquantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Pœnitentia est virtus, & Sacramentum, inquantum per pœnitentiam homo recipit gratiam curantem peccati vulnus, pœnitentia potest esse Sacramentum: inquantum autem per habitum infusum ordinatur ad actum rectum, sic est virtus; pertinet autem ad rationem rectam, ut aliquis doleat de quo dolendum est, & eo modo, & fine quo dolendum est, quod quidem observatur in pœnitentia; nam pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis, cum intentione removendi ea: unde ex hoc pœnitentia est virtus. Est etiam Sacramentum; nam *Greg.* dicit & habetur in *Decret.* 1. *quæst.* 1. *cap. Multi sacularium*; Sacramentum est, cum res gesta ita fit, ut aliquid significative accipiamus, quod sancte accipiendum est, in pœnitentia ita res gesta fit, quod aliquid sanctum significatur: tam ex parte pecca-

toris pœnitentis, quam ex parte Sacerdotis absolventis: nam peccator pœnitens, per ea, quæ facit, & dicit, ostendit cor suum a peccato recessisse, similiter etiam Sacerdos per ea, quæ agit, & dicit circa pœnitentem significat opus Dei remittentis peccata. Et ex hoc pœnitentia est Sacramentum. Unde manifestum est, quod pœnitentia, quæ in Ecclesia agitur est simul virtus, & Sacramentum, *3. p. q. 84. art. 5. & 4. sent. dist. 14. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 1. & iterum. 3. p. q. 84. artic. 1. in corp. & quæst. 85. artic. 5. in corp.*

Error Petri Oxomensis in sæcul. 15. 1479. *Non a Christo instituta, sed ab hominibus invecta est Confessio Sacramentalis.*

Conc. Trid. *Sess. 6. de iustif. cap. 14.* inquit: *Etenim pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus Sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit, Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Hinc enim iustificationis modus est lapsis reparatio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt. Eaque contineri non modo cessationem a peccatis, & eorum detestationem, verum etiam eorumdem Sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem.*

Et *Sess.* 14. de Pœnitentia *cap. 1. Porro nec ante adventum Christi pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue instituit cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.*

Unde *Can.* 1. ait: *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere, & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum: anathema sit.*

2. *Quær.* An principium pœnitentiæ sit ex timore?

Resp. Div. Th. De pœnitentia loqui possumus dupliciter; uno modo quantum ad habitum, & sic immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus: non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus. Alio modo possumus loqui de pœnitentia, quantum ad actus, quibus Deo operanti cooperamur. Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud *Thren. ultim.* Converte nos Domine, & convertemur: secundus actus est motus fidei: tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur: quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi: quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum se ipsum, & non iam propter supplicia: sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. Peccatum igitur primo incipit homini displicere (maxime peccatori) propter supplicia, quæ respicit timor servilis, quam propter Dei offensam, vel peccati turpitudinem. Unde patet quod actus pœnitentiæ a timore servili procedit, sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato: a timore autem filiali sicut ab immediato, & proximo principio; quod pertinet ad charitatem, *3. p. q. 85. art. 5. in corp. & ad 1.*

Concil. Trid. *Sess. 6.* de iustif *cap. 6.* inquit: *Disponuntur peccatores ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti fide ex auditu concipientes libere moventur in Deum, & dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur fidentes Deum, sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per pœnitentiam: de hac dispositione scriptum est: Timor Domini expellit peccatum, Eccl. 2.*

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 2. ait: *Ad novitatem vitæ, & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exi-*

exigente iustitia pervenire nequaquam possumus.

Et *Seß.* 14. *Cap.* 4. inquit; *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Deo impetrarunt.*

3. *Quær.* An pœnitentia spectet ad iustitiam?

Resp. Div. Th. Pœnitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo, quod doleat de malo perpetrato (ad hoc enim sufficeret charitas) sed ex eo, quod pœnitens dolet de peccato commisso, inquantum est offensa Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ non fit per solam cessationem offensæ; sed exigitur ulterius quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterutrum commissis; sicut & retributio, nisi quod recompensatio est ex parte eius, qui offendit, (utpote cum satisfatione) retributio autem est ex parte eius, in quem est offensa commissa; utrumque autem ad materiam iustitiæ pertinet, quia utrumque est commutatio quædam. Sciendum tamen est, quod secundum *Philosop.* 5. *Eth.* Dupliciter dicitur iustum; scilicet simpliciter, & secundum quid, simpliciter quidem est inter æquales, puta inter cives; iustum autem secundum quid dicitur, quod est inter illos, quorum unus est sub potestate alterius, sicut servus sub domino, filius sub patre, & tale iustum consideratur in pœnitentia. Cum medium iustitiæ sit æqualitas, quæ constituitur inter æquales, inter quos est iustitia simpliciter. In quibusdam autem non potest perfecta æqualitas constitui simpliciter propter alterius excellentiam, sicut inter patrem, & filium, inter Deum, & hominem. Unde in talibus ille, qui est deficiens, debet facere quidquid potest: nec tamen hoc erit sufficiens simpliciter, sed solum secundum acceptationem superioris, 3. *p. q.* 85. *art.* 3. *in corp. & ad* 2.

Concil. Trid. *Seß.* 14. *Cap.* 8. inquit: *Sanæ Divinæ iustitiæ ratio exigere videtur, & divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, velut iniurii, & contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.* Et infra ait: *Sanctificatio enim est ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.*

4. *Quær.* An peccata sint propria materia huius Sacramenti?

Resp. Div. Th. Duplex est materia, proxima, & remota; materia proxima huius Sacramenti sunt actus pœnitentis, cuius materia sunt peccata, quibus dolet, & quæ confitentur, & pro quibus satisfacit; remota materia pœnitentiæ sunt peccata non acceptanda, sed detestanda, & destruenda. Quamvis vero pœnitentia sit de quolibet peccatorum genere, principaliter autem ad deletionem peccati mortalis hoc Sacramentum est institutum. De peccatis autem venialibus est quidem pœnitentia propria inquantum sunt nostra voluntate facta; non tamen contra hæc principaliter est hoc Sacramentum institutum, 3. *p. q.* 84. *art.* 2. *in corp. & ad* 3.

Concil Trid. *Seß.* 14. *Cap.* 5. inquit: *Cum universa mortalia peccata etiam cogitationis homines iræ filios, & Dei inimicos reddant. Necesse est omnium etiam veniam a Deo quærere.*

Et *Seß.* 14. *Cap.* 3. ait: *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio.*

5. *Quær.* Quænam sit forma Sacramenti pœnitentiæ?

Resp. Div. Th. Sacramentum pœnitentiæ non consistit in consecratione alicuius materiæ, sed magis in remotione cuiusdam materiæ, scilicet peccati; prout peccata dicuntur esse materia pœnitentiæ (ut supra dictum est.) Talis enim remotio significatur, & fit a Sacerdote, cum dicitur *Ego te absolvo*. Ista forma assumitur ex ipsis verbis Christi, quibus Petro dixit; Quodcumque solveris super terram. *Matth.* 16. Et tali forma Ecclesia utitur in Sacramentali absolutione, quia quamvis solus Deus per auctoritatem a peccato absolvit, & peccatum remittit, Sacerdotes etiam utrumque faciunt per ministerium, inquantum scilicet verba Sacerdotis in hoc Sacramento operantur effective quod significant, virtute Divina. Nam virtus divina est quæ interius operatur in omnibus Sacramentalibus signis, sive sint res, sive sint verba;

ba; tamen Sacerdos sicut minister vere Sacramentaliter absolvit, & ostendit hominem esse absolutum, non solum significative, sed etiam effective; nec loquitur de re incerta, dicendo: *Ego te absolvo*, quia habet certum effectum ex virtute passionis Christi, licet possit impediri ex parte recipientis. Nec Sacerdos indiget speciali revelatione sibi facta, nec pœnitens, sed sufficit generalis revelatio fidei, scilicet quorum remiseritis peccata remittuntur eis, *Io.* 20. 3. *p. q.* 84. *art.* 3. *per totum promiscue*.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 3. inquit: *Docet præterea Sancta Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsa vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c.*

6. *Quær.* An per pœnitentiam omnia peccata etsi gravissima deleantur?

Resp. Div. Th. Quod peccatum per pœnitentiam tolli non possit, potest contingere dupliciter; uno modo quia aliquis de peccato pœnitere non posset; alio modo quia pœnitentia non posset delere peccatum. Primo modo non possunt per pœnitentiam deleri peccata dæmonum, & etiam hominum damnatorum, quia sunt in termino, & confirmati in malo, ita quod non potest eis displicere peccatum inquantum est culpa, sed solum displicet eis pœna quam patiuntur. Tale autem non potest esse aliquod peccatum hominis viatoris, cuius liberum arbitrium flexibile est ad bonum, & ad malum; unde dicere, quod aliquid peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est. Primo quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. Secundo quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri potest cor cuiuscumque peccatoris ad pœnitendum: Secundum illud *Prov.* 21. Cor Regis in manu Dei, & quodcumque voluerit vertet illud. Quod autem secundo modo pœnitentia non possit delere peccatum, scilicet non possit per veram pœnitentiam aliquod peccatum remitti, est etiam erroneum: primo quia derogaret divinis promissis. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor *Ezech.* 18. quia etiam repugnat Divinæ misericordiæ, de qua dicitur, *Ioel.* 2. Quod benignus, & misericors est, & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia: vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet: secundo quia derogaret virtuti passionis Christi per quam pœnitentia operatur, sicut & cætera Sacramenta; Cum scriptum sit 1. *Io.* 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum nostris, sed etiam totius mundi. Unde simpliciter dicendum est, quod omne peccatum in hac vita per pœnitentiam veram deleri potest, 3. *p. q.* 86. *art.* 1. *in corpor. &* 3. *p. q.* 84. *art.* 10.

Error Sectariorum sæcul 4. qui asserebant; *Apostatas a fide non esse ad pœnitentiam admittendos, sed remissionem criminis istius soli Deo reservandum esse.*

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 1. inquit: *Quoniam Deus dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, vitæ remedium contulit. Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis beneficium mortis Christi applicatur. Unde Propheta ait: Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.*

7. *Quær.* An pœnitentia sit omnino necessaria ad salutem post peccatum mortale?

Resp. Div. Th. Aliquid est necessarium ad salutem dupliciter; uno modo absolute; alio modo ex suppositione: absolute quidem necessarium est ad salutem illud, sine quo nullus salutem consequi potest, sicut gratia Christi, & Sacramentum baptismi. Ex suppositione autem est necessarium Sacramentum pœnitentiæ, quod quidem est necessarium non omnibus, sed peccatoribus, quia necessarium ad salutem peccatoris, quod peccatum removeatur ab eo, quod quidem non potest fieri sine pœnitentiæ Sacramento, in quo operatur virtus passionis Christi per absolutionem Sacerdotis simul cum opere pœnitentis, qui cooperatur gratiæ ad destructionem peccati. Sacramentum autem pœnitentiæ, quod perficitur per officium Sacerdotis ligantis, & solventis, sine eo potest Deus peccatum remittere; sicut Christus per potestatem excellentiæ remisit mulieri adulteræ, *Io.* 8. & peccatrici, *Luc.* 7. Impossibile tamen est peccatum actuale mortale sine interiori pœnitentia remitti, loquendo de pœniten-

tia,

tia, quæ est virtus. Cum enim peccatum sit Dei offensa, eodem modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commissam. Non autem contingere potest, quod Deus remittat offensam alicui absque aliqua immutatione voluntatis eius. Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad bonum commutabile; unde requiritur ad remissionem Divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic mutetur, convertatur ad Deum, cum detestatione conversionis prædictæ, & proposito emendæ; quod pertinet ad rationem pœnitentiæ secundum quod est virtus, unde habetur *Luc.* 8. Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis, 3. *p q.* 84. *art.* 5. *& q.* 86. *art.* 2. *promiscue*.

Lutherus & Calvinus, & Sectarii, Sæcul. 15. Negant necessitatem Sacramenti pœnitentiæ. Et Anglicani Sæcul. 16. asserunt: *Is, cui semel remissa sunt peccata non peccant amplius.*

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 1. inquit: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent quovis tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessaria, unde Propheta Ezech.* 18. *ait, Convertimini, & agite pœnitentiam; & Dominus etiam dixit: nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis.*

Et *Cap.* 2. inquit: *Est autem hoc Sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium.*

8. *Quær.* An possit remitti unum peccatum sine alio?

Resp. Div Th. Impossibile est per pœnitentiam unum peccatum sine alio remitti. Primo quia peccatum remittitur inquantum tollitur Dei offensa per gratiam; omne autem peccatum mortale contrariatur gratiæ, & excludit eam: unde impossibile est, quod unum peccatum sine alio remittatur. Secundo quia peccatum mortale non potest sine vera pœnitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum inquantum est contra Deum, inquantum dicit aversionem a bono incommutabili ex hac parte habet rationem offensæ, quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus; unde non potest esse vere pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum quia est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ) sequeretur quod de omnibus peccatis pœniteret. Unde sequitur, quod impossibile est unum peccatum per pœnitentiam remitti sine alio, 3. *p. q.* 86. *art.* 3.

9. *Quær.* An pœnitentia possit esse continua, & durare debeat usque ad finem vitæ?

Resp. Div. Th. Duplex est pœnitentia, scilicet interior, & exterior: interior quidem pœnitentia est, qua quis dolet de peccato commisso, & talis pœnitentia debet durare usque ad finem vitæ; semper enim debet homini displicere quod peccavit, si enim placeret peccasse iam ex hoc ipso peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet. Pœnitentia vero exterior est, qua quis exteriora signa doloris ostendit, & verbo tenus peccata sua confitetur Sacerdoti absolventi. Et talis pœnitentia non oportet quod duret usque ad finem vitæ, sed usque ad determinatum tempus, secundum mensuram peccati; quia vera pœnitentia non solum removet peccata præterita, sed etiam præservat hominem a peccatis futuris, ne scilicet iterum incidat in peccatum. Et per hoc non excluditur continuitas pœnitentiæ, non secundum actum, sed secundum habitum, actu quidem impossibile est; quod homo continue pœniteat, quia necesse est, quod actus pœnitentis sive interior, sive exterior interpoletur ad minus somno, & aliis quæ ad necessitatem corporis pertinent. Debet enim saltem homo in proposito gerere quod semper peccata præterita displiceant, 3. *p. q.* 84. *art.* 8. *&* 9. *promiscue*.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 4. inquit: *Et certe qui illos sanctorum clamores consideravit: Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & alios huiusmodi generis facile intelliget eos vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.*

10. *Quær.* Quisnam recidivus iudicetur, & quisnam vere pœnitens, & capax iterum Sacramenti?

Resp. Div. Th. Pœnitere est anteacta deflere peccata, & flenda non committe-

re vel actu, vel proposito. Ille enim est irrisor, & non pœnitens, qui simul dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit iterum se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem genere peccati. Quod autem aliquis postea peccet, vel actu, vel proposito, non excludit quin prima pœnitentia vera fuerit: nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem, sicut enim vere cucurrit, qui postea sedet, ita vere pœnituit, qui postea peccat, 3. *p. q.* 84. *art.* 10. *ad* 4.

11. *Quær* An Sacramentum pœnitentiæ debeat iterari?

Resp. Div. Th. Circa pœnitentiam quidam erraverunt, dicendo non posse hominem per pœnitentiam secundo consequi veniam peccatorum, quorum quidam, scilicet Novatiani, hoc intantum extenderunt, ut dicerent post primam pœnitentiam, quæ agitur in baptismo, peccantem non posse per pœnitentiam iterato restitui. Alii vero fuerunt hæretici, ut *Aug.* dicit in libro *de vera, & falsa pœnitentia cap.* 5. Qui post baptismum dicebant quidem esse utilem pœnitentiam, non tamen pluries, sed semel tantum. Illi errabant circa æstimationem peccati; putabant enim adeo grave esse peccatum, quod aliquis committit post veniam impetratam, quod non sit possibile ipsum remitti. In quo quidem errabant ex parte peccati, quod potest esse & gravius, & levius quam fuerit primum peccatum remissum; & multo magis contra infinitatem Divinæ misericordiæ, quæ superat omnem numerum, & magnitudinem peccatorum. Hanc misericordiam ostendit *Matth.* 18. Petro quærenti quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, usque septies? Respondit Iesus, non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Unde manifestum est quod pœnitentia pluries est iterabilis, 3. *p. q.* 84. *art.* 10. *in corp.*

Error Novatianorum sæcul. 3. *Post primam pœnitentiam quæ agitur in Baptismo, peccans non potest iterato per pœnitentiam restitui.*

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 1. *&* 2. ait: *Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tamquam hereticos explosit atque condemnavit; nam per Sacerdotum sententiam, non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum Sacramentum pœnitentes confugerint, possunt liberari.*

12. *Quær.* An peccatum veniale possit remitti sine pœnitentia?

Resp. Div. Th. Sicut enim peccatum mortale remitti non potest quamdiu voluntas peccato adhæret: ita etiam nec peccatum veniale; quia manente causa manet effectus. Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur; sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit habitualis displicentia, quam habet per habitum charitatis, sed requiritur saltem virtualis displicentia; puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum, ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se commisisse, etiam si actu de illo non cogitaret: quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem disquisitionem, ulterius pœnitentia de peccatis mortalibus requirit quod homo proponat abstinere ab omnibus, & singulis peccatis mortalibus; sed ad pœnitentiam peccatorum venialium solum requiritur, quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas huius vitæ non patitur, debet tamen habere propositum se preparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia. Nullo modo tamen veniale peccatum remittitur in eo, qui est in peccato mortali, quia remissio culpæ cuiuscumque nunquam fit, nisi per virtutem gratiæ, quam peccatum mortale excludit totaliter, 3. *p. q.* 87. *art.* 1. *in corp. & ad* 1. *& ad* 4. *per totum.*

Concil. Trid. *Sess. 6. Can.* 23. inquit: *Si quis dixerit hominem posse peccata omnia venialia vitare: anathema sit.*

13. *Quær.* An remissa culpa, tollantur omnes reliquiæ peccati, & omnis reatus pœnæ?

Resp. Div. Th. In peccato mortali sunt duo,

duo, scilicet aversio ab incommutabili bono, & conversio ad commutabile bonum. Culpa peccati mortalis remittitur, inquantum tollitur per gratiam aversio mentis a Deo, & per consequens simul tollitur reatus pœnæ æternæ. Sublato autem eo, quod est ex parte aversionis inordinatæ, cum hanc contingat esse sine illa; sicut est in peccatis venialibus; & ideo nihil prohibet quin remissa culpa remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quandoque debilem dispositionem utpote per unum actum causatam, quandoque autem fortiorem causatam per multos actus; quæ dispositiones dicuntur peccati reliquiæ. Remanent tamen debilitatæ, & diminutæ, ita quod homini non dominentur, & hoc magis, ut dictum est per modum dispositionum, quam per modum habituum. Quare non statim per primum actum pœnitentiæ, quo remittitur culpa, solvitur etiam reatus totius pœnæ temporalis, sed completis omnibus pœnitentiæ actibus. Nam ad gratiam pertinet primo operari in homine, iustificando ipsum a peccato, & cooperari homini ad recte operandum. Remissio culpæ, & reatus pœnæ æternæ pertinet ad gratiam operantem, sed remissio reatus pœnæ temporalis pertinet ad gratiam cooperantem, inquantum scilicet homo cum auxilio divinæ gratiæ, & libero arbitrio participat virtutem passionis Christi, patienter pœnas tollerando, & sic absolvitur etiam a reatu pœnæ temporalis, 3. *p. q.* 86. *art.* 4. *&* 5. *promiscue*.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 8. inquit: *Sancta Synodus declarat falsum omnino esse: & a verbo Dei alienum culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur*.

Et *Can.* 12. ait: *Si quis dixerit: totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo; anathema sit*.

14. *Quer.* Quomodo opera virtutum mortificentur per peccatum, & reviviscant per gratiam?

Resp. Div. Th. Sicut opera peccatorum transeunt actu, & manent reatu; ita opera in charitate facta, postquam transeunt actu manent merito in Dei acceptatione, & secundum hoc mortificantur; inquantum impeditur homo per peccatum mortale, ne consequatur suam mercedem. Unde dicitur *Ezech.* 18. *Si avertit se iustus a iustitia sua, omnes iustitiæ eius, quas fecerat non recordabor*. Hoc autem impedimentum tollitur per pœnitentiam, inquantum per eam remittuntur peccata, & sic opera prius mortificata, per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam æternam, quod est ea reviviscere, quia remoto impedimento ex parte hominis, Deus implet ex parte sua illud, quod opera merebantur. Impossibile tamen est, quod opera mortua, scilicet in peccato mortali sine charitate facta fiant viva per pœnitentiam sequentem, propter defectum eiusdem charitatis, & gratiæ, sicut principii, 3. *p. q.* 89. *art.* 4. 5. *&* 6. *promiscue*.

Concil. Trid. *Sess.* 6. *Cap.* 16. ait: *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta vitam æternam ullo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint) consequendam vere promeruisse censeantur*.

15. *Quer.* Quænam sint partes pœnitentiæ?

Resp. Div. Th. In pœnitentia fit compensatio offensæ secundum voluntatem peccantis, & secundum arbitrium Dei, in quem peccatur; ideo contritio, confessio, & satisfactio ponuntur partes pœnitentiæ: nam requiritur ex parte pœnitentis, primo voluntas recompensandi, quod fit per contritionem; secundo quod se subiiciat arbitrio Sacerdotis, loco Dei, quod fit in confessione; tertio quod recompenset secundum arbitrium Ministri Dei, quod fit in satisfactione; & dicuntur partes integrales, ex quibus perfectio pœnitentiæ integratur; nam quamvis peccatum perficiatur in consensu cordis; ad perfectionem tamen pœnitentiæ requiritur nedum contritio cordis, sed & confessio oris, & satisfactio operis. Nec valet, quod contritio secundum essentiam sit in corde, & pertineat ad totam interiorem pœnitentiam, virtualiter autem implicat propositum confitendi, & satisfaciendi, ut dicetur infra, 3. *p. q.* 90. *art.* 2. *per totum promiscue*.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 3. ait: *Contritio, Confessio, & satisfactio, quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti ad plenam, & perfectam pec-*

catorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.

16. *Quær.* Quid est contritio?

Resp. Div. Th. Contritio est dolor de peccatis assumptus cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Actus contritionis est actus virtutis, & est pars Sacramenti pœnitentiæ. Unde in hac definitione ponitur genus, scilicet dolor, & obiectum, scilicet pro peccatis, & electio, quæ requiritur ad actum virtutis in hoc, quod dicit assumptus, sed inquantum est pars Sacramenti additur cum proposito confitendi. Alia etiam est definitio, quæ definit contritionem contrahens ad specialem virtutem, scilicet ad pœnitentiam. Dicit enim, quod pœnitentia est dolor voluntarius pro peccato puniens, quod dolet commisisse; & est dolor remittens peccatum, ut dicit *Aug.* vel ut ait *Gregor.* est annichilans peccatum, inter spem, & timorem, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *in corp.*

Error Io. Wicleffi, & Sectariorum in sæcul. 14. *Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est superflua, & inutilis.*

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 4. ait; *Contritio animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam hic contritionis actus necessarius.*

17. *Quær.* Quid sit attritio, & per quid distinguatur a contritione, & an sufficiat in Sacramento pœnitentiæ ad delectionem culpæ?

Resp. Div. Th. Attritio non dicit accessum ad perfectam contritionem, sed significat quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; contritio autem perfectam dicit displicentiam & per talem contritionem dimittitur peccatum si antequam absolvatur, habeat hoc Sacramentum in voto. Quando scilicet proponit se subiicere clavibus Ecclesiæ, iam enim virtus clavium operatur in eo, & consequitur remissionem culpæ. Si quis tamen in ipsa absolutione incipit conteri imperfecte, & claves Ecclesiæ habere in voto, in ipsa absolutione Sacerdotis culpa ei dimittitur per gratiam, quæ infunditur in hoc Sacramento, sicut in aliis Sacramentis novæ legis. Unde contingit, quod aliqui non perfecte contriti, virtute clavium gratiam contritionis consequuntur: & sic dolor attritionis potest pertinere ad contritionem inquantum est pars Sacramenti; & idem est de aliis Sacramentis novæ legis, in quibus gratia confertur, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. *ad* 3. *& quodlib.* 4. *art.* 10. *in corp. & promiscue.*

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 4. ait: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat spe veniæ; S. Synodus declarat donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat, & quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.*

18. *Quær.* An sit expediens in contritione descendere ad singula pœnarum genera?

Resp. Div. Th. Tenetur contritus in generali velle pati magis quamcumque pœnam, quam peccare; In speciali descendere ad hanc pœnam, vel ad illam quis non tenetur, quin immo stulte faceret, si quis se ipsum vel alium, puta pœnitentem sollicitaret super huiusmodi particularibus pœnis. Manifestum est enim, quod sicut delectabilia plus movent in particulari considerata, quam in communi; ita terribilia plus terrent, si in particulari considerentur, & aliqui sunt, qui maiori in tentatione non cadunt, qui forte minori caderent. Sicut si aliquis audiens adulterium, non incitatur ad libidinem, sed si per considerationem descendit ad singulas illecebras magis moveretur. Et similiter aliquis non refugeret pati mortem pro Christo; sed si descenderet ad considerandum singulas pœnas magis retraheretur: & ideo descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem, & præbere occasionem peccandi, *quodlib.* 1. *art.* 9.

19. *Quær.* Quando quis teneatur conte-

teri, & habere propositum confessionis?

Resp. Div. Th. Cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur; scilicet quando peccata memoriæ occurrunt, eum præcipue in articulo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione, novum peccatum oporteat eum incurrere, puta sicut cum tenetur ad celebrandum, si desit copia Sacerdotis, saltem conteri teneatur, & habere propositum confitendi, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. *in corp. & quodlib.* 4. *art.* 10.

Unde Concil. Trid. *Sess.* 13. *Cap.* 7. decrevit: *Si desit copia confessoris, si Sacerdos absque prævia confessione contritus celebraverit, quamprimum confiteatur.*

Nota quod adest Prop. dam. ab Alex. VII. *Illa particula quamprimum intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

20. *Quær.* An contritio sit de solo peccato actuali præterito?

Resp. Div. Th. In omni actuali peccato duritia quædam est voluntatis, quæ non legi Dei cedit, vel eam transgrediendo, vel præter eam agendo: & propter hoc si debeat peccatum curari, oportet per contritionem comminuentem remittatur; ideoque respicit tantum peccatum præteritum, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3.

21. *Quær.* An de peccato oblito teneatur quis conteri?

Resp. Div. Th. Aliquod peccatum potest esse oblitum dupliciter, aut ita quod in generali in memoria maneat, sed non in speciali; & tunc debet homo recogitare ad inveniendum peccatum, quia de quolibet peccato mortali homo tenetur specialiter conteri. Si autem invenire non possit, sufficit de eo conteri secundum quod in notitia tenetur, & debet homo non solum de peccato, sed de oblivione eius dolere, quæ ex negligentia contingit. Si autem peccatum omnino a memoria excidit, tunc ex impotentia faciendi excusatur a debito, & sufficit generalis contritio de omni eo, in quo Deum offendit, sed quando impotentia tollitur, sicut cum ad memoriam peccatum revocatur, tunc tenetur homo specialiter conteri, & debet habere propositum confitendi si aliquid memoriæ occurrat, quod confessus non sit, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *ad* 2. *& art.* 1. *ad* 7. *& q.* 28. *de veritate art.* 5. *ad* 3.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 4. inquit: *Declarat Sancta Synodus hanc contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris odium continere.*

22. *Quær.* An requiratur contritio ad venialis peccati remissionem, & quomodo?

Resp. Div. Th. Peccatum veniale non dimittitur quandiu voluntas manet in illo; ipsam autem recedere voluntatem ab eo, quod prius volebat, est displicere ei quod voluit, & ideo peccatum veniale sine contritione non dimittitur. Omnis quippe dolor de peccato in habente gratiam est contritio. Contritio tamen potest accipi tripliciter, vel actu, vel habitu, vel medio modo, habitu non sufficit, alias peccatum veniale cum gratia esse non posset; nec requiritur semper actualis contritio, quia sequeretur, quod peccatum, quod quis in memoria, vel in cogitatione non habet, remitti non posset: ideo dicendum, quod requiritur contritio medio modo, quia scilicet, & si actu peccatum non displiceat explicite, displicet tamen implicite, quia ex virtute actus, quem agit, sequeretur displicentia explicita si cogitationem illud ferretur. Pariformiter in contritione de venialibus non exigitur propositum non peccandi venialiter, sicut in contritione de mortali exigebatur, quia mortalia sunt in potestate nostra ut vitentur non solum singula, sed etiam omnia singillatim. Venialia autem etsi singula vitari possint non tamen omnia, quod ex infirmitate naturæ contingit. Sufficit, quod displiceat ei & peccatum præteritum, & infirmitas, qua ad peccatum veniale inclinatur: quamvis ab eo omnino immunis esse non possit, 4. *sent. dist.* 16. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *in corp. & ad* 2. *& q.* 28. *de verit. art.* 8. *in corp.*

23. *Quær.* An dolor possit esse nimius, & an quælibet contritio & si parva deleat omnem culpam?

Resp. Div. Th. Contritio, ut sæpe dictum est habet duplicem dolorem; unum

rationis; alium habet in sensu. Contritio ex parte doloris, qui est in ratione, scilicet displicentiæ, quo peccatum displicet inquantum est offensa Dei, non potest esse nimia, sicut nec amor charitatis; sed quantum ad dolorem sensibilem potest esse nimia, sicut etiam externa corporis afflitio, & propter hoc dicitur, *Rom.* 12. Rationabile obsequium vestrum. E contra dolor rationis potest esse adeo parvus, quod non sufficiat ad rationem contritionis, ut si minus displiceret ei peccatum, quam debeat displicere separatio a fine; parvitas tamen doloris in sensu non impedit rationem contritionis, quia non se habet essentialiter ad contritionem, sed quasi ex accidenti ei adiungitur, & iterum non est in nostra potestate. Sic ergo dicendum quod quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet etiam magnorum peccatorum; ut si unus haberet tantum de dolore pro maiori, quam alius habet pro minori, sufficeret ad remissionem culpæ, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *in corp. & art.* 5. *quæstiunc.* 3. *in corp. & promiscue.*

24. *Quær.* An tanta possit esse contritio, ut non solum deleat culpam, sed etiam quamcumque pœnam?

Resp. Div. Th. Intensio contritionis potest attendi dupliciter; uno modo, ex parte charitatis, quæ displicentiam causat, & sic contingit tantum intendi charitatem in actu, quod contritio inde sequens merebitur non solum culpæ amotionem, sed etiam absolutionem ab omni pœna. Alio modo ex parte doloris sensibilis, quem voluntas in contritione excitat, & quia illa, pœna etiam quædam est, tantum potest intendi, quod sufficiat ad deletionem pœnæ, & culpæ. Nullus tamen potest esse certus, quod contritio sua sit sufficiens ad deletionem pœnæ, & culpæ, ideo tenetur semper confiteri, & satisfacere; maxime cum contritio vera non fuerit, nisi propositum confitendi habuisset annexum, quod debet ad effectum duci etiam propter præceptum, quod est de confessione datum. Nam ante votum confessionis Paradisus clausus erat peccanti mortaliter, quamvis postea per contritionem votum confessionis importantem apertus sit, etiam ante confessionem actualiter factam: non tamen obstaculum reatus est totaliter remotum ante confessionem, & satisfactionem, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *in corp. & ad* 1. *& quæstiunc.* 3. *ad* 2.

Concil. Trid. *Sess.* 6. *Can.* 30. inquit: *Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti culpam ita remitti & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis assolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit: anathema sit.*

Et *Sess.* 14. *Can.* 12. *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo: anathema sit.*

25. *Quær.* An gaudium de contritione minuat displicentiam?

Resp. Div. Th. Gaudium, quod de dolore pœnitens habet non minuit displicentiam, sed auget secundum quod omnis operatio augetur per propriam delectationem, ut dicitur *Eth.* 10. Sicut qui delectatur in addiscendo aliquam scientiam melius addiscit; & similiter qui gaudet de displicentia vehementius displicentiam habet. Sed bene potest esse, quod illud gaudium temperet dolorem ex ratione in partem sensitivam resultante, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 3.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 3. inquit: *Sane res, & effectus huius Sacramenti quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis conscientiæ pax, ac securitas cum vehementi Spiritus consolatione consequi solet.*

26. *Quær.* An qui protrahit pœnitentiam in finem vitæ possit conteri?

Resp. Div. Th. Deus nulli gratiam denegat; unde quandiu manet homini usus liberi arbitrii in hac vita, in qua nondum est confirmatum ad malum, potest se præparare ad gratiam, ut supra dictum est, de peccatis dolendo, & gratiam remissionis peccatorum consequitur. Et si aliquis in scripturis veniam non est consequutus, est quia non habuit veram pœnitentiam, quia non ex amore iustitiæ de peccatis commissis dolebat, sed ex timore pœnæ, quam expectabat, vel quam sustinebat. Et hoc etiam multis in fine pœnitentibus contingit: quia non est facile, ut affectus, quem homo toto tem-

po-

pore vitæ suæ inclinavit in aliquid, subito ad contrarium retrahat, quia ut plurimum in fine vitæ pœnitens non dimittit peccata, sed a peccatis dimittitur: nec tamen est impossibile, quia liberum arbitrium non cogitur ex habitu acquisito, nec providentiæ Dei potest terminus præfigi, per quam in extremo vitæ, veræ pœnitentiæ motus inspiratur quandoque, 4. *sent. dist.* 20. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1.

27. *Quær.* An maior, aut minor debeat esse contritio sicut maior, aut minor gravitas, & numerus est peccatorum?

Resp. Div. Th. De hoc debet homo conteri quod debuit vitare, sed homo debet magis vitare unum peccatum, quam aliud, ergo contritio debet esse magis de uno, scilicet graviori, quam de alio; quia ratio doloris est maior in uno, quam in alio; scilicet offensa Dei, qui ex magis inordinato actu magis offenditur. Similiter etiam maiori culpæ maior pœna debetur ut dicitur *Deut.* 25. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Sed in contritione peccati plagæ commensurantur, quinimmo contritio habet propositum satisfaciendi annexum, & quamvis actualiter distinctio intentionis respondens diversis peccatis inveniri non possit, tamen qui dolet de hoc, quod Deum offendit, de diversis implicite dolet diversimode, secundum quod plus, vel minus per ea Deum offendit, 3. *p. q.* 3. *suplem. art.* 3. *per totum*.

28. *Quær.* In quo præcipue perficiatur Pœnitentiæ Sacramentum?

Resp. Div. Th. Pœnitentia inquantum est Sacramentum, præcipue in confessione perficitur, quia per eam homo Ministris Ecclesiæ se subdit, qui sunt Sacramentorum dispensatores; contritio enim, (ut toties dictum est) votum confessionis annexum habet, & satisfactio pro iudicio Sacerdotis, cui fit confessio taxatur, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 5. *quæstiunc.* 1. *in corp.*

29. *Quær.* Quid sit Confessio Sacramentalis?

Resp. Div. Th. In actu confessionis plura consideranda occurrunt; primo ipsa substantia actus, sive genus eius, quod est manifestatio quædam; secundo de quo fit, scilicet peccatum; tertio cui fit, scilicet Sacerdoti; quarto causa eius, scilicet spes veniæ; quinto effectus eius, scilicet absolutio a culpa, & a parte pœnæ, & obligatio ad aliam partem exsolvendam. Unde *Aug. in lib. de vera, & falsa pœn. cap.* 10. definit Confessionem; scilicet, Confessio est per quam morbus latens spe veniæ aperitur; in quo tangitur & substantia actus in apertione, & de quo fit confessio, cum dicitur morbus latens, & causa in spe veniæ. *Gregorius* etiam dicit *Hom.* 40. *super cap.* 16. *Luc.* Quod confessio est peccatorum detestatio, & ruptio vulneris: quidam vero dicunt, quod confessio est legitima coram Sacerdote peccatorum declaratio: quidam autem sic; Confessio est Sacramentalis delinquentis accusatio ex erubescentia, & per claves Ecclesiæ satisfactoria obligans ad peragendam pœnitentiam iniunctam. In omnibus istis definitionibus tanguntur aliqua de illis conditionibus supra assignatis, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *per totum*.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 5. inquit: *Cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necesse est omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confessione a Deo quærere: si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.*

30. *Quær.* An Confessio sit de iure naturæ, vel de iure positivo Divino?

Resp. Div. Th. Ad confessionem veri debito modo faciendam ubi oportet, & cui oportet in genere inclinat ratio naturalis, & secundum hoc confessio est de iure naturali, aliquis ore confitetur, quod corde tenet. Sed determinatio circumstantiarum quando, & quomodo, & quid confiteri oporteat, & cui, hoc est ex institutione iuris divini. Et sic patet, quod ius naturale inclinat ad confessionem mediante iure divino. Unde præceptum de confessione non est ab homine puro institutum, quamvis sit a Iacobo promulgatum: Confitemini alterutrum peccata vestra, *Iac.* 5. sed a Deo institutionem habuit, quamvis expressa institutio non legatur, tamen quædam præfiguratio ipsius invenitur in hoc, quod Ioanni confitebantur peccata, qui baptismo ipsius ad gratiam Christi præpara-

bantur *Io. cap.* 3. Et in hoc etiam quod Dominus Sacerdotibus leprosos transmisit, *Luc.* 17. Qui novi testamenti Sacerdotium significabantur, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 5. *ad* 2. *& art.* 2. *questiunc.* 2. *in corp. & ad* 1.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 5. inquit: *Universa Ecclesia semper intellexit institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem.*

Prop. damn. Petri Oxomensis. *Non a Christo Domino, sed ab hominibus invecta est Confessio Sacramentalis.*

31. *Quer.* An Confessio sit de necessitate salutis?

Resp. Div. Th. Ad gratiæ infusionem consequendam ordinata sunt Ecclesiæ Sacramenta ante quorum susceptionem vel actu, vel proposito, sive voto, aliquis gratiam non consequitur, sicut in baptismo patet, & similiter est de confessione; & ideo confessio est de necessitate salutis eius, qui post baptismum in peccatum actuale mortale cecidit, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *questiunc.* 1. *in corp. & ad* 1.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 5. decernit: *Confessionem omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam existere.*

Et *Can.* 6. inquit: *Si quis negaverit Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure divino: anathema sit.*

32. *Quer.* An omnes teneantur ad Confessionem?

Resp. Div. Th. Ad confessionem dupliciter obligamur, uno modo ex iure divino ex hoc ipso quod est medicina, & secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt post baptismum. Alio modo ex præcepto iuris positivi, & sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ edita in Concilio Generali Lateranen. sub *Inn. III. Can.* 21. *in decr. lib.* 5. *tit.* 38. *de pœnit. & remiss. cap.* 12. *omnes utriusque sexus.* Quia quamvis ex vi Sacramenti, scilicet de iure Divino, non tenetur aliquis venialia confiteri, ex institutione Ecclesiæ tenetur quando non habet alia, quæ confiteatur, quia quamvis homo in hac vita mortali; naufragium evadere possit, quod est peccatum mortale, non tamen evadere potest veniale, quibus ad naufragium disponitur, contra quæ etiam pœnitentia ordinatur, & ideo manet pœnitentiæ locus etiam in illis, qui non mortaliter peccant, & per consequens confessionis, ut quilibet peccatorem se recognosceret, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei ad præcavendum naufragium, tum ut cum maiori reverentia ad Eucharistiam accedatur, tum etiam, ut Ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant: vel potest dici secundum quosdam, quod ex ex *decret.* prædicta non obligantur nisi illi, qui habent peccata mortalia, & secundum hoc ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium, sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se Sacerdoti repræsentet, & se ostendat absque conscientia mortalis esse, & hoc pro confessione reputabitur, 3. *p. in supl. q.* 6. *art.* 3. *per totum promiscue, &* 4. *sent dist.* 16. *q.* 2. *art.* 2. *questiunc.* 3. *ad* 3. *& dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *questiunc.* 3. *in corp. & art.* 3 *questiunc.* 5. *ad* 4. *promiscue.*

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Can.* 8. inquit: *Si quis dixerit ad confessionem non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Christifideles iuxta magni Concil. Later. constitutionem, semel in anno: anathema sit.*

Et *Cap.* 5. inquit: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christifideles confiterentur quod iure divino necessarium, in institutum esse intellexerat. Sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent impleretur.*

33. *Quer.* An Papa possit cum aliquo dispensare, ne confiteatur?

Resp. Div. Th. Sicut Papa non potest dispensare ut aliquis sine Baptismo salvetur, ita nec quod salvetur sine Confessione secundum quod obligat ex ipsa vi Sacramenti; sed potest dispensare in confessione secundum quod obligat ex præcepto Ecclesiæ, ut possit aliquis diutius confessionem differre, quam ab Ecclesia institutum sit. Et excusabitur a pœna, ut non privetur debita sepultura, si morte fuerit præventus, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *questiunc.* 5. *in corp.*

34. *Quer.* An quis teneatur post peccatum statim confiteri, vel an possit differ-

ferre, & quomodo, & quando confessionem?

Resp. Div. Th. Cum propositum in voto confitendi sit annexum contritioni, ut supra dictum est, tenetur aliquis ad hoc propositum quando ad contritionem tenetur, scilicet quando peccata memoriæ occurrunt, cum præcipue in articulo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione peccatum eum oportet incurrere, sicut cum teneatur ad celebrandum, si desit copia Sacerdotis, saltem conteri tenetur, & habere propositum, sive votum confitendi. Absolute tamen qui est in peccato non tenetur statim conteri contritione, quæ delet peccatum: alioquin peccator per singula momenta peccaret, quamvis debeat habere non placentiam de peccato, statim ac occurrit memoriæ, quia ex eo quod placeret peccatum, iam quis rursus peccaret. Eo magis contritus non tenetur statim confiteri, ita quod peccet si secus agat; quamvis periculosum sit differre. Quare aliis dicunt, quod tenetur contritus ad statim confitendum debita opportunitate oblata secundum rectam rationem: nec obstat, quod decretalis terminum præfigat, ut semel in anno confiteatur, quia Ecclesia non indulget dilationem, sed prohibet negligentiam in maiori dilatione; unde per Decretalem illam non excusatur a culpa dilationis quantum ad forum conscientiæ, sed excusatur a pœna, quantum ad forum Ecclesiæ, ut non privetur debita sepultura, si morte preventus fuerit ante tempus illud. Sed hoc videtur nimis durum, quia præcepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum, quod tempus necessitatem urgentem adducit; & ideo non oportet, quod si statim oblata opportunitate non confiteatur, etiam si maior opportunitas non expectetur, aliquis peccet mortaliter, quia sic etiam, puta si non daret aliquis eleemosynam de superfluo, quandocumque pauper offeratur, peccaret mortaliter, quod falsum est: sed tenetur quando ex articulo temporis necessitas confessionis inducitur, nec hoc est ex indulgentia Ecclesiæ, quod non teneatur ad statim, sed ex natura præcepti affirmativi, quod licet obliget semper, non tamen obligat ad semper, sed loco, & tempore. Laudabile tamen est, quod peccator quam citius commode potest peccatum suum confiteatur, quia per Sacramentum pœnitentiæ confertur gratia, quæ hominem reddit magis firmum ad resistendum peccato. Unde dico, quod differre confessionem usque ad tempus ab Ecclesia præfinitum per se loquendo licitum est. Sed per accidens vero fieri potest illicitum, puta si immineat aliquis articulus, in quo confessio requiratur, puta si immineat mortis articulus, vel necessitas accipiendi Eucharistiam, ad quam nullus post peccatum mortale, nisi confessus accedere debet, copia Sacerdotis oblata, & necessitate non urgente, aut necessitas accipiendi Sacrum Ordinem, vel aliquid huiusmodi, vel si aliquis propter contemptum confessionem differat. 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. *in corp. & quodlib.* 1. *art.* 11. *in corp. & promiscue per totum.*

35. *Quær.* Utrum singula numero peccata mortalia sint confitenda?

Resp. Div. Th. De necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata mortalia confiteatur, quæ in memoria habet, quod si non facit, non est confessio, sed confessionis simulatio; quia contritio est in conspectu Dei, qui uno intuitu omnia videt, sed confessio fit homini, cui sigillatim oportet omnia exponi, & propterea oportet, quod de omni peccato mortali quod memoriæ occurrit, doleat; nam in medicina corporali oportet, quod medicus non solum unum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi, eo quod unus morbus ex adiunctione alterius aggravatur; sic unum peccatum per se consideratum non ita demonstrat malam dispositionem peccantis, sicut quando cum pluribus aliis consideratur, quia in unum peccatum aliquis quandoque ex ignorantia, vel infirmitate labitur, sed multitudo peccatorum demonstrat malitiam peccantis. Unde sicut non esset contritio, nisi quis de omnibus contereretur, ita non esset confessio, nisi quis de omnibus, quæ memoriæ occurrunt, confiteatur, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. *per totam.*

Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. Et *Can.* 7. inquit: *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem omnium pec-*

catorum, necessarium non esse iure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia quorum memoria, cum debita diligenti premeditatione habentur etiam occulta, & que sunt contra duo ultima Decalogi precepta: anathema sit.

36. *Quer.* Nedum peccata numero, sed etiam in specie sint confitenda, & circumstantias trahentes ad aliam speciem?

Resp. Div. Th. Homo non confitetur peccatum suum, nisi speciem confiteatur peccati, quæ cognosci non potest nisi per circumstantias trahentes in aliud genus, ex quibus peccatum specificatur. Circumstantiæ autem dicuntur in aliud genus trahere, quæ specialem repugnantiam important ad aliquod præceptorum divinæ legis; sicut furtum simplex repugnat huic præcepto. Non furtum facies: si autem furtum in loco sacro committatur, habet iam repugnantiam ad aliud præceptum, quod est in veneratione sacrorum, & sic additur nova species peccati. Unde consequens est, quod addat aliam repugnantiam ad legem Dei: ideo & novam deformitatem peccati mortalis habebit, quod ex necessitate confiteri tenebitur etiam circumstantiæ peccati carnalis, quæ in aliam speciem trahunt semper sunt confitendæ, quia gratia, quæ in Sacramentum datur restaurat si quæ inclinatio ex talium cogitatione proveniat, *opusc.* 12. *art.* 6. & 4. *sent. dist.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 5. *ad* 4.

Prop. 58. damn. ab *Inn. XI. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.*

Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. *Colligitur preterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, que speciem peccati mutant.*

Prop. 25. damn. ab Alex. VII. *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis precepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

37. *Quer.* An circumstantiæ non mutantes speciem sint in confessione aperiendæ; sicut & peccata venialia?

Resp. Div. Th. Circumstantias vero non aggravantes, quæ in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, sive etiam sint aggravantes, dummodo non trahant ad aliud genus peccati, non credo quod aliquis teneatur confiteri; tamen eadem confiteri perfectionis est. Quod autem dixi circumstantias aggravantes, quod non trahunt ad aliud genus peccati non esse de necesse confitendas, non est referendum ad numerum peccatorum, quem aliquis confiteri tenetur, quia iam non est unum peccatum, sed plura, *opusc.* 12. *artic.* 6. & 4. *sent. dist.* 16. *q.* 3 *art.* 2.

38. *Quer.* An peccata venialia sint confitenda de necesse, ut remittantur?

Resp. Div. Th. Confessio ad hoc necessaria est ut pœnitens satisfactionem accipiat secundum modum delicti. Peccato autem veniali non debetur pœna satisfactoria taxata, quia pœna illa est proportionata pœnæ peccati mortalis, a quo peccatum veniale in infinitum distat. Unde per solam contritionem internam peccatum veniale remitti potest, & quod aliqua satisfactio exterius iniungatur hoc est magis ad devotionem excitandam, vel contritionem, quam ad satisfaciendum: Et ideo ad confessionem venialium non tenemur, neque necessitate absoluta ad salutem, quia sic nec de eis pœnitere, nec evitare tenemur; nec etiam ex necessitate, quæ est ex suppositione finis, scilicet remissionis; quia etiam sine confessione vel actu, vel proposito existente possunt venialia remitti; tamen perfectionis est ea confiteri, quia quantum ad peccata mortalia est præceptum, sed quantum ad venialia est consilium. 4. *sent. dist.* 16. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3.

39. *Quer.* An in confessione sit exprimenda persona complicis?

Resp. Div. Th. De expressione personæ cum qua aliquis peccavit, videtur mihi, quod non sit in confessione facienda quando potest vitari. Primo quidem, quia prodere crimen alterius, & lædere famam, est peccatum, quod maxime vitandum est in confessione, per quam quis quærit præterita peccata delere. Secundo in confessione est credendum peccatori confitenti & pro se, & contra se, sed contra alium nullo modo est ei credendum, alioquin daretur multis occasio fictæ confessionis, & fraudolentæ infamationis. Et ideo si potest speciem peccati confiteri non innotescendo personam, cum qua peccavit, peccat eam exprimendo, si vero speciem peccati exprimere non posset, nisi exprimendo personam, cum

qua

qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, necesse est, ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam. Sed si fieri potest, debet quærere talem Confessorem. qui personam sororis pœnitus non cognoscat, *opusc.* 12. *art.* 6. & 4. *sent. dist.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 5. *ad* 5.

40. *Quær.* An sit confitendum peccatum dubium?

Resp. Div. Th. Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente, quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter discrimini se committens, & similiter periculose se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri, non tamen debet asserere illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, & iudicium Sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram, & lepram. 4. *sent. dist.* 21. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 3.

41. *Quær.* An sint confitendæ occasiones aliis datæ ad peccandum?

Resp. Div. Th. In confessione explicandæ sunt occasiones datæ aliis ad peccandum, quia omnium peccatorum homo est particeps, quibus occasionem præbuit malitiose, vel non malitiose. Unde confiteri debes si malitiose, & ignoranter dedisti alicui occasionem peccandi, nec nominare debes directe, vel indirecte personam, cui dedisti causam, sed sola occasio est dicenda, peccatum vero quod factum est ab alio occasione tui potest dici explicite, quando est notum confessori, non illum, qui fecit, alioquin dic solum qualitatem delicti, sic dicendo, feci fieri tale peccatum quoddam mortale, vel grave propter talia verba, quæ dixi, aut propter tale malum exemplum, quod dedi; item si habuisti turbationem cum proximo in itinere, vel in aliquo opere, aut propter socium dixisti male officium, non debes dicere socius meus turbavit me in tali facto, aut dixi male officium propter defectum socii mei, quia sic accusas socium, in cuius notitiam Confessor potest venire: dic ergo turbationem habui cum aliquo propter meam superbiam, quia ipsi dixi verba iniuriosa, & ipsum provocavi ad dicendum mihi. Et si est ex illius culpa, dic habui turbationem quamdam propter impatientiam meam, quia nolui superare aliqua verba ab eo dicto, vel dixi male officium cum aliquo, & dicente mihi conscientia, ut redicerem, propter pigritiam meam non redixi, *opusc.* 64. *cap.* 14.

42. *Quær.* An oblivio, & ignorantia in confessione excuset a peccato?

Resp Div. Th. Ignorantia iuris non excusat a peccato, quia ipsa peccatum est; sed ignorantia facti excusat. Unde aliquis de hoc, quod non confitetur peccata, quæ nescit esse peccata propter ignorantiam iuris divini, non excusatur a fictione. Excusaretur autem si nesciret esse peccata propter ignorantiam particularis circumstantiæ, puta si cognosceret uxorem alienam, quam credit esse suam. Oblivio de actu peccati habet ignorantiam facti; ideo excusat a peccato fictionis in confessione; nec fructum absolutionis, & confessionis impedit, 4. *sent. dist.* 21. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 4.

43. *Quær.* An quis possit confiteri peccatum, quod non commisit?

Resp. Div. Th. Per confessionem debet pœnitens se Confessori manifestare; ille autem, qui aliud de se Sacerdoti loquitur, quam sua conscientia habet, non se Sacerdoti manifestat, sed magis occultat, & ideo non est idonea confessio; sed ad hoc, quod sit idonea, requiritur, quod os cordi concordet, & solum os accuset, quod conscientia tenet, 4. *sent. dist.* 21. *q.* 2. *art.* 3. *in corp.*

44. *Quær.* An possit quis per aliam personam, sive per scriptum confiteri?

Resp. Div. Th. Homo ita tenetur ad confessionem peccatorum, sicut ad confessionem fidei, sed confessio fidei ore est facienda, ut patet *Rom.* 10. ergo & confessio peccatorum. Nam qui per se ipsum peccavit, debet per se ipsum pœnitere, scilicet confiteri propria voce, quia sicut in Baptismo ad significandam interiorem ablutionem assumitur illud elementum, cuius est maximus usus in abluendo, scilicet aqua, ita in actu Sacramenti confessionis ad manifestandum assumitur ille actus, quo maxime consuevimus manifestare; scilicet proprium verbum. Alii autem modi sunt inducti ad supplementum istius, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *quæstiunc.* 3. *in corp.*

45. *Quær.* Quomodo mutus, & ignarus linguæ confiteri possit?

Resp.

Resp. Div. Th. In eo, qui usum linguæ non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguæ, sufficit, quod per scriptum, aut nutum, aut interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus quam possit, & ideo quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *quæstiunc.* 3. *ad* 2.

46. *Quær.* An sine confessione aliquis sit capax absolutionis, & quid si sit moribundus?

Resp. Div. Th. Non est tradendum in consuetudinem, ut aliquis, exemplo Domini, absque confessione, & pœnæ inflictione quemquam absolvat. In articulo vero mortis non est imponenda pœnitentia, sed innotescenda, ut possit per amicos, & eleemosynas expiari. Et propositum habeat complendæ, si evadat. Et interim est confortandus ex divina misericordia, ne in desperationem cadat. *Super cap.* 8. *Ioann.* & 4. *sent. dist.* 20. *in expositione literæ.*

47. *Quær.* An peccata omissa ex oblivione obligent ad iterandam totam confessionem, & quid si voluntarie quis omittat?

Resp. Div. Th. Quidam dicunt, quod quando aliquis recordatur eorum, quæ prius oblitus fuit, debet iterum etiam ea, quæ confessus fuerat confiteri, & præcipue si non potest eumdem habere, cui ante confessus fuerat, qui omnia cognoscit, ut totius culpæ quantitas uni Sacerdoti innotescat. Sed hoc non videtur necessarium, quia peccatum habet quantitatem ex se ipso, & ex adiunctione alterius. Peccatorum autem, de quibus confessus est, manifestavit quantitatem suam, quam ex ipsis habet. Ad hoc autem, quod Sacerdos utramque quantitatem huius peccati, cuius fuerat oblitus, cognoscat, sufficit, quod hoc peccatum confitens dicat explicite, & alia in generali dicendo, quod cum alia multa confiteretur, huiusmodi oblitus fuit. De necessitate enim confessionis est, quod solum omnia peccata confiteatur, quæ in memoriam post diligens examen veniunt; quod si non faceret, non esset confessio, sed confessionis simulatio, & tunc teneretur etiam ea, quæ confessus fuerat iterum confiteri, 4. *sent dist.* 17. *q.* 3. *artic.* 4. *quæstiunc.* 2. & *ad* 3.

Recolatur prop. 11. damn. ab Alex. VII. scilicet: *Peccata in Confessione omissa ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

48. *Quær.* Quænam sint conditiones, quæ reddunt validam, & bonam confessionem?

Resp. Div. Th. Confessio habet conditiones sexdecim, quæ a Magistris assignantur his versibus:

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Dictarum conditionum quædam sunt de necessitate confessionis, quædam de bene esse ipsius. Ex propria ratione huius actus, qui est confessio, de necesse habet, quod sit manifestativa, quæ quidem manifestatio impediri potest, primo per falsitatem, & quantum ad hoc dicitur fidelis, idest vera. Secundo per obscuritatem, & contra hoc dicitur nuda, ut non involvatur obscuritate verborum. Tertio dicitur simplex, ut non recitet in confessione nisi quod ad quantitatem peccati pertinet, alios non accusando quantum fieri potest. Quarto dicitur integra, ut non subtrahatur aliquid de his, quæ manifestanda sunt. Oportet etiam ex parte confitentis, quod sit confessio parere parata, per comparationem ad Sacerdotem. Quod sit secreta, quantum ad conditionem fori, in quo de occultis conscientiæ agitur. Reliqua sunt de bene esse confessionis, maxime quod sit frequens, ac accelerata, ut scilicet statim confiteatur, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *quæstiunc.* 4. & 3. *p. sup. q.* 9. *art.* 4.

49. *Quær.* Quomodo debet esse vera confessio?

Resp. Div. Th. Confessio debet esse vera, ita quod nulla falsitas dicatur scienter, nec aliquod dubium affirmetur, sed certa, ut certa, & dubia, ut dubia sunt dicenda. Unde ante confessionem diligenter quisque se ipsum examinet, & dicat primo omnia vitiosa, & gravia, quæ pro certo noverit se fecisse, ita quod sub humilitatis specie, aut causa quacumque nullatenus men-

mentiatur. Sed postea possunt dici generalia, & levia, quæ non possunt specialiter explicari, sed potius expedit ea quotidie delere cum lacrymis. *Opuscul. 64. cap. Vera.*

50. *Quær.* Quomodo debeat esse pura, & simplex?

Resp. Div. Th. Confessio debet esse pura, quia peccata debent simpliciter dici absque duplicitate, & excusatione, sicut homo credit ea manifesta esse coram Deo; nec debent verba dici palliantia, aut cooperientia, vel minuentia peccatum: vitanda sunt igitur superflua, & excusatoria verba. Similiter non debet dici, quod cadat in infamiam alicuius, aut quod possit præbere Confessori occasionem turbationis contra aliquem, aut materiam contemnendi. Unde si expediret nominare peccata alterius, confitendo propria, tunc taliter explicentur, quod Confessor nullo modo possit intelligere personam, cum qua peccasti; nec possit venire in notitiam complicis in peccato; sicut si dedisti Petro occasionem peccandi, cum peccavit, non debes nominare, sed sufficit tibi dicere: fui causa committendi tale peccatum cuidam personæ. *Opusc. 64. cap. Pura.*

51. *Quær.* Quomodo debeat esse integra Confessio?

Resp. Div. Th. Confessio debet esse integra (ut supra dictum est) ut omnia peccata, quæ habes in memoria, aut quæ oblitus fueras confiteri, & modo recordaris, integre confitearis, nec dicas partem uni Confessori, & partem alteri, quia nullo modo debes dividere: hoc faciunt illi, qui timent despici a Confessore, vel reputari minus boni, plus timentes humanam verecundiam, quam divinam offensam: similiter si oblitus es quando confiteris aliqua peccata, & postea die sequenti, vel alia die recordaris, si potes, debes recurrere ad eumdem Confessorem, ut confitearis, si potes habere copiam, aut alium, alioquin tibi sufficit bona voluntas: quod si non ex oblivione, sed ex malitia, & verecundia oblitus es, vel omisisti confiteri aliquod peccatum, teneris recurrere ad primum Confessorem, & si vis recurrere ad alium, teneris confiteri omnia peccata prius confessa, confessione facta, & teneris confiteri de mendacio, aut simulatione, quam commisisti. Item confessio debet esse plena, quia debet continere circumstantias aggravantes mutantes peccata, quæ sunt locus, in quo peccasti, quia gravius est peccare in Ecclesia, aut in loco sacro, quam in domo, & gravius est cogitare aliquod inhonestum, puta quando dicis Missam, quam quando scribis, & gravius est respicere, vel tangere animo impudico corpus hominis sub pannis, quam manum, aut pedem, quia magis libidinosa delectatio est ibi. Unde non sufficit dicere tetigi Bertam impudice, sed oportet dicere locum corporis, si tetigisti pedem, aut manum supra pannos, vel ad nudum, & dicas modum, si ore, manu, &c. Gravius est dicere, & facere aliquid coram eo, qui potest ex hoc sumere occasionem peccandi, quam illud facere, aut dicere occulte. Considerandum est tempus, in quo peccasti, quia gravius est caveri a Missa, vel otiari in die Dominico, quam alio die. Gravius est in magna solemnitate, quam alio tempore. Similiter maius est peccatum, ubi maior mora contrahitur, sive sit delectatio corporalis, sive mentalis, sive iram, sive odium teneas per mensem, & annum; & diligenter est mora examinanda in peccato cogitationis, quia videndum est si in ipsa mora ratio succumbat sensualitati consentiendo in opus voluntate deliberata si posset, & tunc non est minor culpa quam si peccatum opere complevisset, quia sic voluntas pro facto reputatur. Si autem succumbat ratio consentiendo in delectationem sensualitati tantum, quam non vult in opus procedere, sed vult tantum interius in delectatione voluptari, tunc licet ibi non sit plenus consensus, tamen est ibi peccatum mortale, sicut dicit *Aug.* sed est minus grave, quam primum, ubi est consensus in delectationem, & in opus. Expedit conscientiæ facere prædictam examinationem in quibuscumque cogitationibus vitiosis, morose multum pertractis: & quia gravius est facere quodcumque peccatum cum corde, aut cum aliquo sensu corporis bis, quam semel; ideo si potes recordari, debes specificare vices cogitationum malarum, aut motus libidinosos in carne, & voluntatem faciendi aliquod peccatum, aut quoties iterasti, puta respicere in faciem alicuius propter delectationem visus; aut quoties turbasti ali-

aliquem, aut murmurasti, & sic de aliis: quod si non es memor de numero, dic bona fide, secundum quod iudicas te toties iterasse peccata. Cogitationes igitur vitiosæ procuratæ, & cum delectatione receptæ, omnes sunt explicandæ, sicuti etiam intentiones malitiosæ; quantum potest homo, quantum ad quantitatem, moram, & vices, & qualitatem, & conditionem personæ, ut supra dictum est. Cogitationes vero quantumcumque malæ, & vitiosæ, si non sunt studiose procuratæ, nec cum delectatione receptæ, nec cum mora servatæ in corde, nec dedisti occasionem veniendi, sed subito venerunt, & recesserunt, & displicentiam habuisti in illis, & statim quando sensisti, ut potuisti, expulisti, aut expellere procurasti, occupando te in sancta cogitatione; tales, dico, non sunt confitendæ, quia non solum in illis homo non offendit, sed multum meretur tamquam pugil pugnator, & victor. Unde *Hieronym.* Ille prædicatur beatus, qui statim ut cœpit cogitare, cogitatus interficit, & allidir ad petram, idest Christum. Nam de talibus cogitationibus, quibus sic resistitur dicit *Apost.* 1. *Cor.* 10. Quod Deus facit cum tentatione proventum. *Opusc.* 64. *cap.* 3. 4. 5. 6. 7. *&* 8. *promiscue. Videatur in fonte.*

Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. inquit: *Constat, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ sinus, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus; Ab occultis meis munda me Domine.*

52. *Quær.* An recidivus teneatur exponere in confessione peccata, per absolutionem deleta, ut Confessarius cognoscat statum pœnitentis?

Resp. Div. Th. In confessione est aliquid exponendum dupliciter; uno modo directe; & sic peccata dimissa recidivans nullo modo confiteri tenetur, nec in generali, nec in speciali cuicumque confiteatur. Alio modo indirecte, sicut illud sine quo sciri non potest debitus satisfaciendi modus. Multa enim expediunt ad spiritualem salutem recidivanti, quæ non sunt necessaria innocenti: ut scilicet circa eum maior cautela adhibeatur; & per hunc modum tenetur recidivans notificare peccata dimissa quantum sufficit, ut si ipse, puta frequenter lapsum carnis passus est ex aliqua occasione, illa occasio præscindatur per satisfactionem, sine qua sufficiens remedium adhiberi non potest, 4. *sent. dist.* 22. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *in corp*

Recolatur prop. 58. damn. ab Inn. XI. videlicet: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.*

53. *Quær.* Quinam sit minister Sacramenti Pœnitentiæ, & quid sit potestas clavium?

Resp. Div. Th. Solus Sacerdos, qui habet ministerium super Corpus Christi verum, qui scilicet consecrare Eucharistiam potest, est minister Sacramenti pœnitentiæ, & ei soli facienda est sacramentalis confessio, quæ ministro Ecclesiæ debet fieri. Nam potestas, quam habet Sacerdos supra Corpus Christi mysticum, dependet ex potestate, quam habet super Corpus Christi verum. Ad iudiciariam autem potestatem duo requiruntur, scilicet auctoritas cognoscendi de culpa, & potestas absolvendi, vel condemnandi; & hæc duo dicuntur claves Ecclesiæ, scilicet scientia discernendi, & potentia ligandi, & ligandi & solvendi, quas Dominus Petro commisit, iuxta illud *Matt.* 16. Tibi dabo claves Regni Cœlorum; non autem sic intelligitur Petro commisisse, ut ipse solus haberet, sed ut per eum derivarentur ad alios. Et hæc potestas metaphorice clavis dicitur, quæ est clavis Ecclesiæ ministerii. Huiusmodi autem claves a Passione Christi efficaciam habent, per quas scilicet Christus nobis aperuit ianuam Regni Cœlestis. Unde peccantibus post baptismum salus esse non potest, nisi clavibus Ecclesiæ se subiiciant, vel actu confitendo, & iudicium ministrorum subeundo, vel saltem huius rei propositum habendo, ut impleatur tempore opportuno. Quare Regni Cœlestis ostium clauditur per peccatum, & potestas, qua tale obstaculum removetur, dicitur clavis. In Ministris igitur Ecclesiæ, qui sunt dispensatores Sacramentorum, po-

potestas manet ad prædictum obstaculum removendum, non propria virtute, sed virtute divina, & passionis Christi: & hæc potestas metaphorice, ut dictum est, dicitur clavis Ecclesiæ, scilicet clavis Ecclesiæ ministerii. Et idem est clavis Inferni, & Cœli, quia ex hoc ipso, quod alicui aperitur unum, clauditur alterum; dicitur tamen Regni Cœlestis, quia denominatur a digniori. Propterea hoc pacto definitur ex *Hieronym.* super illud *Matth.* 16. *& lib.* 1. *de pœniten. cap.* 2. Quod sit potestas ligandi, & solvendi, qua Ecclesiasticus iudex dignos recipere, & indignos excludere debet a Regno; & hoc ius ligandi, atque solvendi solis Sacerdotibus concessum est, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *&* 4. *contra gentes cap.* 72. *& iterum* 4. *sent. dist.* 18. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *& dist.* 19. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 1.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 6. inquit: *Circa ministrum huius Sacramenti, declarat Sancta Synodus, falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos, & Sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt.*

Unde *Can.* 10. inquit: *Si quis dixerit non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis; sed omnibus, & singulis Christifidelibus esse dictum, quæcumque ligaveritis super terram erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo: anathema sit.*

Recolatur proposit. damn. a S. Pio V. 56. 57. & 58. Michaelis Baii, scilicet: *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis; sed a solo Deo ..... Ministerio Sacerdotis solum reatus tollitur.*

54. *Quær.* An omnes Sacerdotes habeant potestatem, & usum clavium?

Resp. Div. Th. Omnis potestas spiritualis datur cum aliqua consecratione, & ideo clavis cum Ordine datur, sed executio clavis indiget materia debita, quæ est plebs subiecta per iurisdictionem, & ideo antequam quis iurisdictionem habeat, habet claves, sed non habet actum clavium, quia habet clavem ligatam, ut dicunt Iuristæ; quia non habet materiam, cui nulla cura committitur. 4. *sent. dist.* 18. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 2. *& quodlib.* 12. *art.* 30.

Concil. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 7. ait: *Quoniam natura, & ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.*

Itidem Conc. Trid. *Sess.* 23. *de reform. cap.* 15. ait: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit Sancta Synodus nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium audire, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat.*

55. *Quær.* An Prælatus malus habeat usum clavium?

Resp. Div. Th. Cum homo sit tantum instrumentaliter agens in usu clavium, quantumcumque per peccatum sit gratia privatus, per quam fit remissio peccatorum; nullo tamen modo privatur usu clavium, quia Deus novit ex malis bona elicere, & per malos etiam multa bona facere; quia totum ad ipsius honorem cedit, 4. *sent. dist.* 19. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Can.* 10. inquit: *Si quis dixerit Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere; anathema sit.*

56. *Quær.* An hæretici, schismatici, & excommunicati habeant usum clavium?

Resp. Div. Th. In omnibus prædictis manet clavium potestas, quantum ad essentiam, sed usus impeditur ex defectu materiæ. Cum enim usus clavium prælationem in utente requirat respectu eius, in quem utitur, ut supra dictum est, propria materia, in quam exercetur usus clavium est homo subditus: & quia per ordinationem Ecclesiæ unus subditur alteri, ideo etiam per Ecclesiæ Prælatos potest subtrahi alicui ille, qui erat ei subditus. Unde cum Ecclesia hæreticos, schismaticos, & alios huiusmodi privet, subtrahendo subditos vel simpliciter, vel quantum ad aliquid, quantum ad hoc, quo privati sunt, non possunt usum clavium habere, 4. *sent. dist.* 19. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *in corp.*

57. *Quær.* An Sacerdos approbatus possit

sit uti clavi, quam habet in quemlibet hominem?

Resp. Div. Th. Dictum est, quod ad absolutionem a peccato requiritur duplex potestas, scilicet potestas ordinis, & potestas iurisdictionis. Prima potestas est æqualiter in omnibus Sacerdotibus, & quantum est de se, se extendit ad omnes absolvendos, non autem secunda. Propter hoc, sicut in cœlesti hierarchia sub Potestatibus, qui indistincte præsunt, ponuntur Principatus, qui singulis provinciis distribuuntur, & sub his Angeli, qui singulis hominibus in custodiam deputantur; ita debet esse in Prælatione Ecclesiæ militantis, ut apud aliquem esset prælatio indistincte in omnes, & sub hoc essent alii, qui super diversos distinctam potestatem acciperent. Et quia usus clavium requirit aliquam prælationis potestatem, per quam ille, in quem usus clavium communicatur, efficitur materia propria illius actus, ut supra dictum est; ideo ille, qui habet indistinctam potestatem super omnes, (*sicuti est Papa*) potest uti clavibus in quemlibet. Illi autem, qui sub eodem distinctas potestates acceperunt, non in quoslibet possunt uti clavibus, sed in eos tantum, qui eis in sortem venerunt, nisi in necessitatis articulo, ubi nemini Sacramenta sunt deneganda, 4. *sent. dist.* 19. *q.* 1. *artic.* 3. *quæstiunc.* 1.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 7. inquit: *Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices Max. pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare: hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Verumtamen ne in hac ipsa occasione aliquis pereat, decernit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: extra quem articulum Sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis; ad superiores, & legitimos Iudices pro beneficio absolutionis accedant.*

Et *Can.* 11. ait: *Si quis dixerit, Episcopos non habere ius reservandi sibi casus, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reservatis vere absolvat: anathema sit.*

Vide infra prop. 4. & 12. damn. ab Alexand. VII.

58. *Quær.* An Sacerdotes, qui habent determinatam potestatem super aliquos, possint ab omnibus peccatis absolvere; an aliquando nonnulla reserventur a Prælatis?

Resp. Div. Th. Potestas ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda: sed quia ad usum huius potestatis, ut toties dictum est, requiritur iurisdictio, quæ a maioribus in inferiores descendit; ideo potest superior aliqua sibi reservare, in quibus inferiori iudicium non committat; alias de quolibet peccato potest simplex Sacerdos iurisdictionem habens, absolvere. Sunt autem quinque casus, in quibus oportet, quod simplex Sacerdos ad Superiorem pœnitentem remittat. Primus est, quando est solemnis imponenda pœnitentia, quia eius minister proprius est Episcopus. Secundus est, de excommunicatis, quos inferior Sacerdos non potest absolvere. Tertius, quando invenit irregularitatem contractam, pro cuius dispensatione debet ad Superiorem recurrere. Quartus, de incendiariis. Quintus, quando est consuetudo in aliquo Episcopatu, quod enormia crimina ad terrorem Episcopo reserventur, quia consuetudo dat, vel aufert in talibus potestatem, 4. *sent. dist.* 19. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2.

59. *Quær.* An clavis iurisdictionis tradatur aliquando aliis quam Sacerdotibus?

Resp. Div. Th. Clavis est duplex; una quæ se extendit ad ipsum Cœlum, immediate removendo impedimenta introitus in Cœlum per dimissionem peccati, & hæc vocatur clavis ordinis; & hanc soli Sacerdotes habent, quia ipsi soli ordinantur populo in his, quæ directe sunt ad Deum. Alia clavis est, quæ non directe se extendit ad ipsum Cœlum, sed mediante militante Ecclesia, per quam aliquis ad Cœlum vadit, dum per eam aliquis excluditur, vel admittitur ad consortium Ecclesiæ militantis per excommunicationem, & absolutionem, & hæc vocatur clavis iurisdictionis in foro causarum: & ideo hanc etiam non Sacerdotes habere possunt, sicuti Archidiaconi, & Clerici, sicut

ficut & Capitulum, & alii, qui excommunicare possunt. Mulier vero, quia est in statu subiectionis, ipsa non potest habere aliquam iurisdictionem spiritualem, quia secundum *Philos.* 8. *Eth.* Corruptio urbanitatis est quando ad mulieres pervenit dominium. Unde mulier non habet neque clavem ordinis, neque clavem iurisdictionis. Sed mulieri, puta Abbatissæ, committitur aliquis usus clavium, ficut habere correptiones in subditas mulieres, propter periculum, quod imminere posset, si viri mulieribus cohabitarent, 4. *sent. dist.* 19. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 3.

Hic recolatur Prop. 12. damn. ab Alexand. VII. scilicet: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

Et Prop. 4. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ quoscumque seculares ab hæresi occulta absolvere, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

60. *Quær.* An inferior possit uti clavibus in superiorem?

Resp. Div. Th. Episcopus potest iurisdictionem extendere in quem voluerit, & propter hoc etiam potest alteri dare potestatem in se ipsum, quia quamvis Episcopus, quem simplex Sacerdos absolvit, sit superior eo simpliciter, tamen est inferior eo inquantum se ei, ut peccatorem, Sacerdoti subiecit; unde in foro conscientiæ potest ei committere suam absolutionem, qua ipse uti non potest in se ipsum, quia sibi ipsi subiectus esse non potest, 4. *sent. dist.* 19. *q.* 2. *artic.* 3. *quæstiunc.* 3.

61. *Quær.* Quid requiratur ad rectum usum clavium in Confessore?

Resp. Div. Th. Quia per clavem Iudex Ecclesiasticus recipit dignos, & excludit indignos; ideo Confessor indiget iudicio discretionis, quo idoneitatem iudicat, & ipso receptionis actu, & ad utrumque eorum potestas quædam, sive auctoritas requiritur. Non enim dare possumus, nisi quod in potestate habemus, & secundum hoc duæ claves distinguuntur, quarum una pertinet ad iudicium de idoneitate eius, qui est absolvendus, & alia ad ipsam absolutionem; & hæ duæ claves non distinguuntur in essentia auctoritatis, cum clavis potius dicatur auctoritas actum scientiæ exercendi: nam clavis, quæ dicitur potestas ligandi, & solvendi est, quæ immediate serram aperit peccati; sed clavis, quæ dicitur scientia, ostendit cui aperienda sit clavis illa. Unus actus alium præsupponit; unde actus iudicii sine utroque bene fieri non potest: & ideo auctoritas iudicandi, quæ clavis est, sine scientia non potest sine peccato accipi. Ponuntur autem multæ aliæ conditiones, quæ ad Confessorem requiruntur, ut confitentes alliciat, quæ his versibus continentur:

Confessor dulcis, affabilis, atque suavis,
Prudens, discretus, mitis, pius, atque benignus.

4. *sent. dist.* 18. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiun.* 3. *per totam, & dist.* 17. *in expos. Tex.*

62. *Quær.* An Confessio sit facienda proprio Sacerdoti, & quis sit proprius Sacerdos?

Resp. Div. Th. Contritio, confessio, & satisfactio sunt pœnitentiæ partes, quæ sunt actus pœnitentis; actus autem nostri, cum in nobis principium habeant, non possunt nobis ab alio dispensari, nisi per imperium. Unde oportet, quod ille, qui dispensator huius Sacramenti constituitur, sit talis, qui possit imperare aliquod agendum. Imperium non competit alicui in alium, nisi qui habet super eum iurisdictionem; & ideo de necessitate Sacramenti est, non solum ut Minister habeat ordinem, sed etiam, ut supra dictum est, quod habeat iurisdictionem; & ideo sicut ille, qui non est Sacerdos non potest hoc Sacramentum conferre, ita nec ille, qui non habet iurisdictionem, & propter hoc oportet, sicut Sacerdoti, ita & proprio Sacerdoti confessionem fieri; cum enim Sacerdos non absolvat nisi ligando ad aliquid faciendum, ille solus potest absolvere, qui potest per imperium ad aliquid ligare; quare *extra de pœnitentiis, & remiss.* dicit *Inn. in Concilio Generali:* Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem in anno confiteatur proprio Sacerdoti. Sacerdos vero proprius non solum est parochialis, sed etiam Episcopus, vel Papa. Unde proprium hic non accipitur secundum quod dividitur contra commune, sed secundum quod dividitur contra alienum. Unde qui est confessus, puta Episcopo suo, vel cuicumque habenti vicem eius, con-

confessus est proprio Sacerdoti, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *artic.* 3. *quæstiunc.* 4. *&* *Opusc.* 19. *cap.* 4.

Concilium Trid. *Sess.* 23. *cap.* 15. *Decernit Sancta Synodus; potest quis confessionem secularium audire, si parochiale beneficium, aut ab Episcopis idoneus iudicetur, & approbationem obtineat.*

63. *Quær.* An quis possit audire confessiones auctoritate superioris Prælati, contra voluntatem proprii Sacerdotis, vel inferioris Prælati?

Resp. Div. Th. Aliqui dicunt, quod nullus potest etiam auctoritate superioris Prælati absolvere subditum inferioris Prælati contra voluntatem ipsius; puta non potest auctoritate Episcopi contra voluntatem Parochialis aliquem absolvere; sed hoc est erroneum, quia ad absolvendum requiritur potestas Sacerdotalis, & iurisdictio. Episcopus autem immediatam iurisdictionem in omnes habet. Unde Episcopus potest omnium confessiones audire, etiam contra voluntatem Præsbyteri parochialis, & similiter etiam ille, cui Episcopus committit, & multo magis si Papa committit. Tamen Archiepiscopus, qui non habet immediatam iurisdictionem in omnes sui Archiepiscopatus, nisi ex appellatione, vel tempore visitationis, non posset alicui dare licentiam, vel auctoritatem audiendi confessiones contra voluntatem Episcopi Diœcesani suffraganei. Igitur cum Episcopus possit audire confessiones in parochia non requisito Sacerdote, hoc idem poterit alius ex eius commissione. Idem ad hoc facit consuetudo Romanæ Ecclesiæ, quam accedentes a Pœnitentiariis Papæ quicumque Sacerdotes literas impetrant, ut eis confiteantur. Item Legati Papæ, & eorum Pœnitentiarii confessiones audiunt non petita licentia a Parochialibus, & etiam auctoritate Papæ ubique confessiones audire, & aliis committere possunt sine licentia Sacerdotum Parochialium. *Quodlib.* 12. *artic.* 31. *& opusc.* 19. *cap.* 4. *per totum.*

64. *Quær.* An Regulares, & Monachi possint confessiones audire?

Resp. Div. Th. *Gregorius* dicit *ex Registro lib.* 5. *cap.* 127. *ad Candidum Episc.* Apostolico moderamine, & pietatis officio a nobis constitutum est, quod Sacerdotibus Monachis Apostolorum figuram tenentibus, liceat prædicare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata solvere; Monachis inquam, qui iurisdictionem habent, quibus alicuius Parochiæ cura est commissa; de quibus aliqui dicebant, quod hoc ipso, quod Monachi erant, non poterant absolvere, & pœnitentias iniungere, quod falsum est. Ex auctoritate Papæ, & Episcopi, Monachis, & aliis Religiosis licet etiam confessiones audire. *Et in cap. Sunt tamen nonnulli*, dicit Bonifacius Papa: Credimus Sacerdotibus Monachis ligandi, solvendique officium Deo operante administrari, quia quanto quisque celsior est, tanto & erit potentior. Nec valet obiicere, quod Monachus cum ordinatur non accipit exequutionem officii, nisi cum cura plebis sibi committitur, ut 16. *q.* 1. *cap. Placuit*; & *in cap. Interdicimus*. Nam potestas ordinis Sacerdotalis ad duo ordinatur; & primo, & principaliter ad Corpus Christi verum consecrandum; & huius potestatis exequutionem statim, cum ordinatur, accipit. Secundario ordinatur ad Corpus Christi mysticum per claves Ecclesiæ, quæ sibi committuntur, & huius potestatis exequutionem non recipit, nisi cura ei committatur, vel nisi auctoritate alterius habentis curam hoc agat. Per illa igitur Decreta, quæ inducuntur, nihil aliud ostenditur, nisi quod Religiosi non possunt propria auctoritate confessiones audire: non autem excluditur quin possint audire ex auctoritate Papæ, vel Episcopi, ut manifeste habetur 16. *q.* 1. *cap. Pervenit*. Nec etiam quod Religiosi sint minus idonei ad huiusmodi quam sæculares, ut patet 16. *q.* 1. *Sunt tamen nonnulli*. Unde cum privilegium Principis non debeat alicui esse inutile, ut iura dicunt, oportet quod ex hoc ipso quod Papa committit alicui officium, quod ille habeat exequutionem officii quicumque sit, quia Religiosi tales non sunt quasi utentes sua potestate, sed aliena sibi commissa, 4. *sent. dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 4.

Concil. Trid. *Sess.* 23. *cap.* 15. *Decernit Sancta Synodus nullum Regularem posse confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nisi ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus iudicetur, vel approbationem obtineat.*

Re-

Recolatur prop. 20. damn. ab Alex. VIII. scilicet, *Confessiones apud Religiosos factæ plerumque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ*. *Itidem & 21.*

Error Wicleffi, & Av. de Poliaco. *Aliquis confessus fratribus, seu viris religiosis habentibus licentiam audiendi confessiones, tenetur eadem peccata iterum confiteri proprio Parocho.*

65. *Quær.* An potestas iurisdictionis de facili committi debeat alteri a proprio Sacerdote, qui gregi præest?

Resp. Div. Th. Cum iurisdictionis potestas non sit commissa alicui homini in favorem suum, sed in utilitatem plebis, & ad honorem Dei, ideo si superioribus Prælatis expedire videtur ad salutem plebis, & ad honorem Dei promovendum, quod aliis, quæ sunt iurisdictionis, committant, in nullo fit præiudicium inferioribus Prælatis, nisi illis, qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, & gregi præsunt, non ut oves pascant, sed ut ab eis pascantur. Quare peccaret Sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri, quia multi sunt infirmi, qui potius sine confessione morerentur, quam proprio Sacerdoti confiterentur. Unde illi, qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens sibi ipsis, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *artic.* 3. *quæstiunc.* 4. *ad* 6. *& quæstiunc.* 5. *ad* 1.

66. *Quær.* An Sacerdos Parochialis debeat credere suo subdito dicenti se alteri esse confessum, & absolutum, & an teneatur iterum confiteri, ut det ei Eucharistiam, maxime tempore Paschatis?

Resp. Div. Th. In foro iudiciali creditur homo contra se, sed non pro se. In foro autem pœnitentiæ creditur homini pro se, & contra se. Est ergo distinguendum, quod dupliciter potest esse impedimentum a perceptione Eucharistiæ. Si enim sit impedimentum ad forum iudiciale pertinens, puta excommunicatio, non tenetur Sacerdos suo subdito credere, quem excommunicatum novit, nisi ei de absolutione constet. Si autem sit impedimentum, quod ad forum pœnitentiæ pertineat, scilicet peccatum, tenetur ei credere, & iniuste agit si deneget Eucharistiam ei, qui præbuit se confessum, & absolutum ab eo, qui absolvere potuit, vel auctoritate Apostolica, vel auctoritate Episcopi. Nec valet dicere, quod spiritualis Pastor vultum pecoris sui debet diligenter agnoscere: quia rector Ecclesiæ debet vultum pecoris sui agnoscere dupliciter: uno modo per sollicitam exterioris conversationis considerationem, qua invigilare debet super gregem sibi commissum, considerando exterius vitam eius: & in hac cognitione non oportet, quod credat subdito, sed certitudinem facti in quantum potest inquirat. Alio modo per confessionis manifestationem: & quantum ad hanc cognitionem non potest maiorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat, quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius: quia in foro confessionis, ut dictum est, creditur homini & pro se, & contra se. Et ideo ad hanc cognitionem sufficit, quod credat subdito dicenti, se alteri absolvere valenti confessum fuisse, & sic talis cognitio pecoris per privilegium alicui indultum de confessione audienda non impeditur. Et ideo si aliquis pœnitentiario Episcopi, vel alteri ab Episcopo commissionem habenti, sive auctoritate Apostolica, confessus fuerit, cum sint sibi dimissa peccata, & quo ad Deum, & quo ad Ecclesiam, non tenetur ea iterum confiteri proprio Sacerdoti. Et propter statutum Ecclesiæ de confessione facienda proprio Sacerdoti semel in anno, eodem modo se debet habere, sicut ille qui habet solum venialia. Talis enim debet solum venialia confiteri, ut quidam dicunt, vel se præsentare proprio Sacerdoti, & profiteri se esse a peccato mortali immunem, & Sacerdos in foro conscientiæ ei credere tenetur. Bonum esset tamen, quod ille, qui auctoritate Episcopi confessionem audit induceret pœnitentem, quod confiteatur proprio Sacerdoti; non quia prius frustra confessus fuisset; sed quia quanto plus confitetur, tanto plus de pœna ei remittetur, & posset fieri, ut ab omni pœna liberaretur. Si noluerit tamen, non tenetur: *Quodlib.* 1. *art.* 12. *&* 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 4. *&* 5. *per totam.*

67. *Quær.* Quid debeat agere pœnitens, quando timet sibi, vel Sacerdoti proprio periculum ex confessione?

Resp. Div. Th. Electio discreti Sacerdotis

tis non est nobis commissa ut nostro arbitrio facienda. Sed in casibus, in quibus timet pœnitens periculum sibi, vel Sacerdoti ex confessione, si forte Sacerdos esset minus idoneus ad apponendum peccato salutare remedium, vel quando Sacerdotis ignorantia posset hominem inducere in errorem, debet recurrere ad superiorem, & de licentia superioris debet alium confessarium petere prudentiorem, puta si propter malitiam Sacerdotis ipse revelat confessiones, vel incitat ad malum sollicitando. Quod si licentiam habere non possit, idem est iudicium, quod de illo, qui non habet copiam confessarii: nec in hoc transgreditur aliquod præceptum Ecclesiæ quia præcepta iuris positivi non se extendunt ultra intentionem præcipientis, quæ est finis præcepti; hæc autem est charitas: nec iterum fit aliqua iniuria Sacerdoti, quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur auctoritate, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 4. *ad* 3. *&* *ad* 5. *&* *iterum* 4. *sent. dist.* 21. *in expositione literæ.*

Adest recens Bulla de Sollicitatione Bened. XIV. quæ incipit: *Sacramentum pœnitentiæ*, die 1. Iunii 1741. ampliando Bullam Greg. XV. 30. Aug. 1622. quæ incipit: *Universi Dominici gregis curam*, & addendo præter pœnas alias a iure statutas, perpetuam inhabilitatem ad celebrationem Missæ; ex Decr. S. Universalis Inquisitionis edito de mandato Sanctissimi, die 5. Augusti 1745. Reservat tamen Papæ absolutionem eorum, qui falso de Sollicitatione Confessarios accusant.

Recolatur proposit. 67. Mich. Molinos damn. ab Innocen. XI. *Dicere, quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quod peccatum sit id non facere: est manifesta deceptio, quia Ecclesia non iudicat de occultis.*

Et prop. 7. damn. ab Alex. VII. *Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis ita est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.*

68. *Quær.* An Confessor possit complicem absolvere?

Resp. Div. Th. In tali casu, nec Sacerdos debet audire confessionem, puta mulieris, cum qua peccavit de illo peccato, sed deberet ad alium remittere, nec illa deberet ei confiteri, sed deberet licentiam petere ad alium eundi, vel ad superiorem recurrere, si ille licentiam denegaret, tum propter periculum, tum quia est minor verecundia; si tamen absolveret, absoluta esset, 4. *sent. dist.* 19. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad* 1.

Adest Bulla Benedicti XIV. quæ facultatem adimit Confessariis, ne absolvere audeant complices, quæ incipit: *Sacramentum pœnitentiæ*, eman. die 1. Iunii 1741. & Constitutio, quæ incipit: *Apostolici muneris*, die 5. Aug. 1745.

69. *Quær.* An fraterna correctio debeat præcedere denunciationem, puta in causa sollicitationis?

Resp. Div. Th. Tribus modis in criminibus procedi potest; primo per inquisitionem, quam debet præcedere clamorosa insinuatio; quæ locum accusationis tenet. Secundo per accusationem, quam debet præcedere inscriptio. Tertio per denuntiationem simplicem, quam debet præcedere fraterna correctio. Verbum enim Domini, qui ait *Matth.* 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum, intelligitur quando agitur per viam meræ denunciationis, non quando agitur per viam denunciationis, quæ simul est accusationis, quia tunc non agitur solum de correptione delinquentis, sed ad punitionem propter bonum commune conservandum, quod iustitia deficiente periret. Hoc modo sunt denunciandi, & accusandi sollicitantes in confessione, 4. *sent. dist.* 35. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 6

70. *Quær.* An sit inconveniens, quod sint plures, qui habeant iurisdictionem in foro pœnitentiali super eamdem plebem; & cui tenetur quis obedire?

Resp. Div. Th. Inconveniens esset si duo æqualiter super eamdem plebem constituerentur, sed quod duo, quorum unus alio principalior est super eamdem plebem constituatur, non est inconveniens, & secundum hoc super eamdem plebem sunt Sacerdos Parochialis, Episcopus, & Papa, qui habent suos pœnitentiarios; & principalior est pœnitentiarius Papæ, quam Episcopus, & pœnitentiarius eius. & quam Sacerdos Parochialis. Unde tenetur magis obedire pœnitens Papæ & eius pœnitentiario, quam Episcopo, & magis pœnitentiario Episcopi, quam Parocho, & magis Parocho, quam coadiutori eius, si contingat eos esse discordes circa admini-

ni-

nistrationem Sacramenti pœnitentiæ, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 5. *ad* 3.

71. *Quær.* An Prælati possint sibi eligere confessarium?

Resp. Div. Th. Quia Prælatis incumbit Sacramenta dispensare, quam non nisi mundi tractare debent: ideo concessum est eis a iure, quod possint sibi eligere proprios confessores, quia quantum ad hoc, sunt eis superiores; sicut etiam unus medicus, ab alio curatur, non inquantum est medicus, sed inquantum est infirmus, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 4. *ad* 4.

72. *Quær.* An quilibet Sacerdos possit absolvere a venialibus?

Resp. Div. Th. In foro confessionis aliquis potest superiorem vel æqualem de venialibus absolvere, quia venialia ex quibuslibet Sacramentis gratiam conferentibus, remittuntur, & quia venialium remissio sequitur potestatem Ordinis, 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 3.

„ Adest Decretum Inn. XI. sub die 12. „ Februarii 1679. prohibens, ne imposterum simplices Sacerdotes absolvant absque iurisdictione a venialibus.

73. *Quær.* An in articulo mortis quilibet Sacerdos habeat iurisdictionem?

Resp. Div. Th. Quia Ecclesia acceptat ut quilibet Sacerdos absolvere possit in articulo mortis, ideo ex hoc ipso secundum quid usum iurisdictionis habet, quamvis iurisdictione careat 3. *p. q.* 8. *supl. art.* 6. *ad* 1.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 7. inquit: *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.*

74. *Quær.* An Sacerdos sit simul iudex & medicus?

Resp. D. Th. Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi medicus vultum, & iudex causam, quia frequenter quæ pro confusione confitens taceret, interrogatus revelat. Sed tamen in interrogationibus faciendis, ut alibi dictum est, tria sunt attendenda. Primo, ut quilibet peccator interrogetur de peccatis, quæ consueverunt in hominibus illius conditionis abundare, non enim oportet, quod a milite quæratur de peccato Clericorum, aut Religiosorum, aut e converso. Secundo, ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis, quæ omnibus manifesta sunt, de aliis autem adinventionibus peccatorum ita debet a longiquo fieri interrogatio, ut si commisit, dicat, si non commisit, non addiscat. Tertio, ut de peccatis præcipue carnalibus non descendat nimis ad particulares circumstantias, quia huiusmodi delectabilia quanto magis in speciali considerantur, magis ad concupiscentiam nata sunt movere; & ideo potest contingere, ut confessor talia quærens & sibi, & confitenti noceat, 4. *sent. dist.* 19. *in expos. tex.*

Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. inquit: *Dominus noster Iesus Christus e terris ascensurus ad Cælos Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tamquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christifideles ceciderunt.* Et infra, inquit. *Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.*

75. *Quær.* An confessarius teneatur celare sub sigillo ea, quæ audita sunt in confessione?

Resp. Div. Th. In Sacramentis ea, quæ exterius geruntur sunt figura rerum, quæ interius contingunt. Deus autem peccatum per pœnitentiam tegit. Et ideo de necessitate Sacramenti est, quod minister etiam confessionem celet, & tamquam violator Sacramenti peccat, qui revelat. Nam quod sub confessione scitur, est quasi nescitum, cum non sciatur ut homo, sed ut Deus. Et sunt aliæ utilitates huius celationis, quia per hoc homines ad confessionem magis attrahuntur, & simplicius peccata confitentur. Unde nec verbo, nec facto, nec nutu, nec aliquo signo licet revelare confessionem, quia est Sacrilegium; cum effectus pœnitentiæ sit occultatio peccatorum ab oculis Dei viventis, & hæc occultatio significatur per secretum confessionis. Immo tenetur etiam servare sub sigillo confessionis, de quibus pœnitens emendare non est paratus, quia celatio confessionis est instituta propter bonum totius Ecclesiæ; ut homines confidentius ad confessionem accedant, 4. *sent. dist.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. & *quodlib.* 12. *artic.* 16. & *art.* 2. *ad* 2.

76. *Quær.* An ad evitandam censuram, vel

vel aliud malum possit confessarius revelare confessionem, saltem ex præcepto, vel ex dispensatione Summi Pontificis, ad evitandum malum, puta hæresim?

Resp. Div. Th. Præceptum de confessione servanda consequitur ipsum Sacramentum: & ideo sicut præceptum de confessione sacramentali facienda est de iure divino, & non potest aliqua dispensatione, vel iussione humana homo ab eo absolvi, ita nullus ad revelationem confessionis potest ab homine cogi, vel licentiari; ita quod nec Papa potest licentiare confessorem, ut dicat, quia non potest facere ut sciat ut homo, quod solum scit ut Deus. Unde si præcipiatur etiam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quod dicat, si aliquid scit de peccato, non debet dicere, quia debet æstimare, quod intentio præcipientis sit, si sciat ut homo: si etiam exprimeret de confessione interrogans, non debet dicere, nec excommunicationem incurreret, quia non est subiectus superiori suo, nisi ut homo; hoc autem non scit, ut homo, sicut dictum est, sed ut Deus, & absque læsione conscientiæ potest iurare se nescire, quod scit tantum ut Deus. Quod si aliquis in confessione scit aliquem hæreticum, quem non potest inducere ad hoc, quod desistat a corruptione plebis, & similiter, qui sciret per confessionem, affinitatem esse inter aliquos, qui contrahere volunt, aliquod remedium adhibere debet, quantum potest sine confessionis revelatione; sicut monendo eos, qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim: potest etiam dicere Prælato, quod diligentius invigilet super gregem suum; ita tamen, quod non dicat aliquod, per quod verbo, vel nutu confitentem prodat, 4. *sent. dist.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 1. *&* *ad* 2. *& art.* 2. *ad* 1.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Can.* 6. ait: *Si quis dixerit modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi: anathema sit.*

Et *in Cap. Sacerdos* 2. *distinct.* de Pœnit. *Qui hoc fecerit, deponatur, & in arctum Monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam detrudatur.*

77. *Quær.* An dans pœnitentiam publicam pro peccato occulto frangat sigillum?

Resp. Div. Th. Pro peccato occulto Sacerdos pœnam inferens publicam, revelator est confessionis, aut proditor criminis, 4. *sent. dist.* 9. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 1. *in corp.*

78. *Quær.* An saltem Prælatus possit uti scientia Confessionis ad amovendum subditum ab aliquo officio?

Resp. Div. Th. Quod per confessionem auditur nullo modo est manifestandum nec verbo, nec signo, nec nutu, nec etiam aliquid est faciendum, unde in suspicionem peccati aliquis possit devenire. Si ergo amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione auditum, vel ad aliquam probabilem suspicionem habendam de ipso; nullo modo debet Prælatus subditum ab administratione removere; puta si in aliquo Monasterio esset consuetum, quod Priores non amoverentur, nisi propter culpam, manifestaretur peccatum confitentis per remotionem ab administratione. Unde si Abbas hoc faceret, graviter peccaret tamquam confessionis revelator, quia nihil est faciendum in præiudicium confessionis: esset autem præiudicium confessionis, si subditus ab administratione removeretur propter crimen, quod suo Prælato confessus est, quia per hoc alii retraherentur a confitendo. Quare absque læsione conscientiæ debet Prælatus etiam impunitum dimittere peccatum, quod scit ut Deus in confessione, absque aliquo remedio; quia non tenetur adhibere remedium, nisi eo modo, quo ad ipsum defertur malum; unde in his, quæ deferuntur in foro pœnitentiæ, in eodem foro debet quantum potest adhibere remedium, ut potius Abbas admoneat eum in casu prædicto, ut Prioratum resignet, vel eum secreto charitative admonere potest, ut cum instantia peteret cessionem, si hoc videret saluti eius expedire. Si vero per amotionem ab administratione peccatum nullatenus manifestaretur, puta si in aliquo monasterio esset consuetum, quod Abbas pro suo libito de facili aliquos ab administratione removeret, tunc alia occasione accepta potest subditum sibi confessum ab administratione removere, & deberet hoc facere, cum debita tamen caute-

tela; ita quod omnis suspicio vitetur de confessionis revelatione, si talis administratio esset subdito periculosa imposterum; quamvis etiam in hoc casu melius esset, quod eum induceret ad cessionem petendam. Similiter in electionibus, quia ex multis aliis causis aliquis redditur indignus ad prælationis officium, quam ex peccato, sicut ex defectu scientiæ, vel ætatis, vel alicuius huiusmodi, si dignitas esset subdito periculosa, ita tamen, quod omnis suspicio vitetur de confessionis revelatione. Et si periculum non timeatur imposterum, non oportet, quod pro peccato præterito per pœnitentiam deleto eum ab administratione removeat. Sicut etiam *Aug.* dicit *in lib. de Adulter. Coniugiis:* Cur ad hoc deputamus Adulteros, quos credimus pœnitentia esse sanatos, quandoque enim pœnitentes innocentibus meliores sunt, *Quodlib.* 5. *art.* 13. *in corp.* & 4 *sent. dist.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 3. *promiscue.*

Recolatur prop. unica damn. ab Inn. XI. die 18. Novembris 1682. scilicet: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur.*

Et etiam recolatur Decretum Clem. VIII. circa hanc materiam emanatum anno 1594. die 26. Maii, scilicet: *Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint ad exteriorem gubernationem utantur.*

79. *Quær.* Ne dum Confessarius, sed etiam interpres, & consiliarius, & internuntius, qui casu audit, quæ dicta sunt in confessione, & huiusmodi, teneantur ad Sacramentale secretum?

Resp. Div. Th. Sigillum confessionis, quod nihil aliud est quam debitum confessionem celandi, competit Sacerdoti, inquantum est minister huius Sacramenti, sicut clavis est potestas absolvendi: tamen sicut aliquis, qui non est Sacerdos in aliquo casu participat aliquid de actu clavis dum confessionem audit propter necessitatem, quia aliquando aliquis confitetur per interpretem necessitate urgente, & tunc participat de actu sigilli confessionis, & sic tenetur confessionem celare, & si aliquis se Sacerdotem fingeret, ut conscientiam alicuius exploraret, ille etiam peccat, si confessionem revelat, & ille etiam ad quem notitia peccati devenit mediante Sacerdote ex voluntate confitentis simile est de eo, & de interprete, & tenetur celare, quamvis proprie loquendo sigillum confessionis non habeat, ac si in confessione haberet; 4. *sent. dist.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. & *art.* 2. *ad* 4.

80. *Quær.* Ad quæ se extendat sigillum confessionis?

Resp. Div. Th. Sigilllum confessionis directe non se extendit, nisi ad illa, de quibus est Sacramentalis confessio; sed indirecte id, quod non cadit sub Sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet, sicut illa, per quæ posset peccator, vel peccatum deprehendi, etiam illa summo studio sunt celanda, tum propter scandalum, tum propter pronitatem, quæ ex consuetudine accidere posset, 4. *sent. dist.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. & *art.* 2. *ad* 2.

81. *Quær.* An illud, quod quis scit per confessionem, si antea, vel post, alia via dignoscit, possit illud revelare?

Resp. Div. Th. Quidam dicunt, quod illud, quod aliquis audivit in confessione non potest aliquo modo dicere, etiamsi sciat alias sive antea, sive post. Hæc opinio dum nimium sigillo confessionis attribuit, præiudicium veritati, & iustitiæ servandæ facit. Potest enim aliquis ad peccata esse proclivior, si non timeret ab illo accusari, cui confessus est, si coram ipso peccatum iteraret. Similiter multum iustitiæ perire poterit, si testimonium ferre non posset de eo, quod aliquis vidit propter confessionem de hoc factam. Ideo alia opinio est verior, quia illud, quod homo alias scit sive ante confessionem, sive post, quando imminet periculum iustitiæ, & veritatis, non tenetur celare, nec dimitti debet revelatio eius, quod quis in confessione audivit, quantum ad id, quod alias scit ut homo; potest enim protestare se non tenere privatum hoc, dicendo, scio illud, quia vidi. Tenetur tamen celare illud inquantum scit ut Deus, nullo enim casu dicere potest, ego audivi hoc in con-

fessione. Tamen propter scandalum vitandum debet abstinere, nisi necessitas immineat, ne de hoc loquatur, 4. *sent. dist.* 21. *q.* 3. *art.* 3. *per totum*.

82 *Quær.* An de licentia pœnitentis possit Sacerdos peccatum, quod sub sigillo Confessionis habet, alteri prodere?

Resp. Div. Th. Duo sunt, propter quæ Sacerdos tenetur peccatum occultare. Primo & principaliter quia ipsa occultatio est de essentia Sacramenti inquantum scit illud ut Deus, cuius vicem gerit ad confessionem. Alio modo propter scandalum vitandum: potest autem pœnitens facere, ut illud, quod Sacerdos sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo quod facit dum eum licentiat ad dicendum: & ideo si dicat non frangit sigillum confessionis, quia, qui potest aliquid facere per se, potest etiam per alterum facere, sed confitens potest per se peccatum suum, quod fecit, revelare, potest igitur etiam per internuncium Sacerdotem facere, & ex hoc non datur aliqua impunitas malis Sacerdotibus, quia imminet eis probatio, si accusantur, quod de licentia pœnitentis revelaverunt. Tamen Sacerdos debet cavere scandalum dicendo solum quantum sufficit, ne fractor sigilli reputetur, 4 *sent. dist.* 21. *q.* 3. *art.* 2. *per totum*.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 5. inquit: *Christus non vetuit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri; non est tamen hoc divino præcepto mandatum*.

83. *Quær.* Quid sit satisfactio, quæ est ultima pars pœnitentiæ?

Resp. Div. Th. Dupliciter potest satisfactio definiri, uno modo respectu culpæ præteritæ, quam recompensando curat, & sic dicitur, quod satisfactio est iniuriæ, illatæ recompensatio, secundum iustitiæ æqualitatem proportionis. Alio modo potest definiri secundum quod præservat a culpa futura, & definit eam *Aug. in cap.* 54. *de Ecclesiasticis Dogm.* Quod satisfactio est peccatorum causas excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere. Ad duo igitur pœna satisfactoria ordinatur, ad solutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. *in corp.* & 3. *p. supl. q.* 13. *art.* 2.

Unde Conc. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 8. inquit; *Sane & divinæ iustitiæ ratio exigere videtur, & divinam clementiam decet, ne nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur*. Et infra: *Sacerdotes igitur habeant præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem*.

84. *Quær.* An omnes teneantur, etiam si sint perfecte contriti, ad opus satisfactionis complendum?

Resp. Div. Th. Quamvis tota pœna possit per contritionem dimitti, tamen adhuc cuilibet necessaria est satisfactio, tum quia homo non potest esse certus de sua contritione, quod fuerit ad totum tollendum sufficiens; e contra per contritionem consequitur pœnitens perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis; quia liberatur totaliter a reatu peccati, tum quia satisfactio est in præcepto, cum sit pars ultima, in qua pœnitentia consummatur. Unde transgressor constitueretur, si non satisfaceret, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 8. & *dist.* 16. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. *ad* 3. & *ad* 4.

85. *Quær.* Quomodo satisfactio possit expiare pœnam peccati pro offensa divina?

Resp. Div. Th. Satisfactio non sufficeret ad expiandam pœnam peccati ex quantitate pœnæ, quæ in satisfactione imponitur, sed sufficit inquantum est pars Sacramenti, virtutem Sacramentalem habens. Unde in satisfactione non solum est attendenda quantitas pœnæ, sed etiam virtus eius secundum quod est pars Sacramenti, 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 4. & *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 3.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 8. ait: *Neque ita nostra est satisfactio hec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Iesum, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus*.

86. *Quær.* An satisfactio possit dici pretium?

Resp. Div. Th. Satisfactio, qua quis satisfacit, sive pro se, sive pro alio, pretium quoddam dicitur, quo se ipsum, vel alium redimit a peccato, & a pœ-

na,

na. Secundum illud *Dan.* 4. Peccata tua eleemosynis redime, 3. *p. q.* 48. *art.* 4.

87. *Quær.* An Sacerdos possit omnino pro suo arbitrio imponere pœnitentiam absque gravamine suæ conscientiæ?

Resp. Div. Th. Ad actum Clavium requiritur discretio. Sed si esset omnino in voluntate Sacerdotis dimittere, & imponere de pœna quantum vellet, non esset ibi discretio. Non est igitur omnino in arbitrio Sacerdotis; quia pœnæ satisfactoriæ infligendæ, medicinæ sunt. Sicut igitur medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundum arbitrium medici, non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinæ: ita pœnæ satisfactoriæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium Sacerdotis, sed divino instinctu regulatum. Unde *Gregor. dicit, & refertur in Decret. de pænit. dist.* 5. *cap. Falsas*. Falsam pœnitentiam dicimus, quæ non secundum auctoritatem Sanctorum Patrum pro qualitate criminis imponitur; & Sacerdos a divino ordine averteretur, & sic culpam incurreret; quia confessio ad hoc necessaria est, ut pœnitens satisfactionem accipiat secundum modum delicti. Sicut tamen medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ maius periculum oriatur; ita Sacerdos divino instinctu motus, non ex mero arbitrio, non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, iniungit, ne infirmus ex magnitudine pœnæ desperet, & a pœnitentia totaliter recedat. Debet enim taxatio pœnæ considerari quantum ad duo, scilicet ad debitum solvendum, & ad remedium præstandum. Primo quantum ad debitum, & sic quantitas pœnæ radicaliter respondet quantitati culpæ, sed tamen quantum per contritionem plus de pœna dimissum est, tantum per confessionem minus dimittendum restat. Secundo quantum ad remedium, & sic quandoque pro minori peccato maior iniungitur pœna, quia peccato unius difficilius potest resisti, quam peccato alterius; sicut iuveni pro fornicatione imponitur maior pœnitentia, quam seni; vel quia in uno peccatum est periculosius, sicut in Sacerdote, quam in alio: vel quia multitudo magis prona est ad illud peccatum, & ideo per pœnam unius, alii sunt exterrendi. Unde pœna in foro pœnitentiæ quantum ad utrunque taxanda est, sive tamen discrete Sacerdos pœnitentiam iniungat, sive non semper remaneat ad quantitatis pœnam, & si eam hic non explet, a Deo in Purgatorio exigetur, quia quandocumque iniungitur pœnitentia minor condigno, defectus est ex parte imponentis, vel ex parte recipientis: sed quandoque potest esse sine culpa utriusque, sicut quando imponens debitam diligentiam adhibet, & recipiens paratus est ad implendum, ita quod si maior pœnitentia iniuncta est, pœnitens tenetur ea explere ex Sacerdotis iniunctione, qui non solum debitum pœnæ considerat, sed forte peccato remedium adhibet: & si aliquando Sacerdos minorem condigno pœnitentiam iniungit, non semper peccat; tum quia non potest determinate quantitatem pœnæ debitæ cognoscere, quamvis aliquid, consideratis regulis Patrum, determinare possit; tum quia quandoque etiam ex industria, ut supra dictum est, minorem pœnitentiam imponens, plus prodest pœnitenti, quam noceat, qui forte magnitudine pœnæ potest a pœnitentia peragenda impediri propter debilitatem virtutis, & ideo negligit minus damnum, ut maius evitet: & interim paulatim confortatus in eo divinus amor ad plura pœnitentiæ opera peragenda ipsum incitabit propria sponte, quam Sacerdos secundum quantitatem peccatorum iniungere potuisset, 3. *p. supl. q.* 18. *art.* 4. *&* 4. *sent. dist.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *& iterum* 4. *sent. dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *&* 2. *per totum promiscue*.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 8. ait: *Claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent*. Et infra: *Debeant Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis iniungendo,*

do, alienorum peccatorum participes efficiantur, habeant pro oculis, ut satisfactio, quam imponunt non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.

Fusius videatur Concil. Trid. circa hanc materiam.

88. *Quær.* An possit unus pro alieno peccato satisfacere?

Resp. Div. Th. Pœna satisfactoria ad duo, ut dictum est, se extendit, scilicet ad solutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando. Inquantum ad remedium sequentis peccati, sic satisfactio unius non prodest alteri, quia ex ieiunio unius, alterius caro non domatur, nec ex actibus unius, alius bene agere consuevit. Sed quantum ad satisfactionem debiti unus potest pro alio satisfacere; nam charitas magis prodest apud Deum, quam apud homines; apud homines unus potest pro alterius amore debitum eius solvere, ergo multo fortius hoc in divino iudicio fieri potest. In Sacramento tamen pœnitentiæ non est permittendum, ut aliquis pro alio pœnitentiam faciat, quia satisfactio ibi est in præcepto, ut supra dictum est, 4. *sent. dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 3.

89. *Quær.* An Sacerdos possit pœnitentiam iniungere ex arbitrio alieno, vel etiam ex arbitrio ipsius pœnitentis, dicendo quidquid boni feceris?

Resp. Div. Th. Hic est quadruplici distinctione dicendum. Primo enim considerandum est, quod peccator est debitor alicuius satisfactionis dupliciter, uno modo ex iniunctione Sacerdotis; alio modo ex peccato commisso. Unde si contingat, ut supra dictum est, quod Sacerdos minorem satisfactionem imponat pœnitenti, quam sit illa, ad quam obligatur ex quantitate sui peccati, subtracto eo, quod remittitur virtute clavium, & contritionis præcedentis, nihilominus pœnitens ad aliquid ulterius obligatur, quod si in hac vita non perficiet, in Purgatorio, exsolvet, & pœna Purgatorii excedit omnem pœnam huius mundi; ut ait Magister in littera, & pro eadem culpa gravius arcte punietur in purgatorio, quam in hac vita ratione alterius fori; tamen illa aggravatio proportionaliter respondet pœnæ, cuius homo in hac vita reus erat, & hoc debet homo sibi imputare, quia in finem vitæ pœnitentiam distulit ex negligentia, & illuc reservavit sibi pœnam pro culpa accipiendam. Secundo considerandum, quod opus, quod quis facit ex iniunctione Sacerdotis dupliciter valet pœnitenti, uno modo ex natura operis, alio modo ex vi clavium, cum satisfactio sit pars pœnitentiæ, ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus. Tertio considerandum est, quod satisfactio, ut alibi dictum est, ad duo valet, valet enim ad expiationem culpæ præteritæ, & valet ad cautelam culpæ futuræ. Sicut cum homo ieiunat, per hoc præbetur ei remedium contra futuras concupiscentias carnis. Quarto considerandum est, quod Sacerdos potest pœnitenti satisfactionem iniungere vel ex proprio, vel ex consilio alieno. Est ergo dicendum, quod sicut potest Sacerdos iniungere satisfactionem pœnitenti ex arbitrio alieno, ita ex arbitrio ipsius pœnitentis, sicut si dicat facias hoc si potes, & si non potes, facias hoc, & simile videtur cum Sacerdos dicit quidquid boni feceris sit tibi in remissionem peccatorum. Melius tamen est, quod Sacerdos pœnitenti indicet quanta pœnitentia esset sibi pro peccatis iniungenda, & iniungat sibi nihilominus aliquid tollerabiliter ex cuius impletione assuefiat, ut maiora impleat, & hæc præter iniunctionem expressam, accipiunt maiorem vim expiationis ex generali iniunctione, qua Sacerdos dicit, quidquid boni feceris sit tibi in remissionem peccatorum, & quantum ad hoc talis satisfactio est Sacramentalis, inquantum virtute clavium est culpæ commissæ expiativa. *Quodlib.* 3. *art.* 28. & 4. *sent. dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 3.

90. *Quær.* An satisfactio ad hoc, quod valeat, debeat fieri in charitate, & quatenus non valeat, an adveniente gratia satisfactio præcedens incipiat valere?

Resp. Div. Th. Quidam dixerunt, quod postquam omnia peccata per pœnitentiam, & contritionem remissa sunt, si aliquis ante satisfactionem peractam in peccatum decidat, & in peccato existens satisfaciat, quod satisfactio ei valet, ita quod, si in peccato illo moreretur, in-

inferno de illis non puniretur. Sed hoc non potest esse, quia æqualitas in satisfactione ad Deum, non est secundum æquivalentiam, sed magis secundum acceptationem ipsius, & ideo oportet, & si offensa iam sit dimissa per præcedentem contritionem, quod opera satisfactoria sint Deo accepta; quod solum dat eis charitas, & ideo sine charitate opera facta non sunt satisfactoria, quia prior intentio interrupta est per peccatum sequens, & satisfactio quæ consistit in quadam adæquatione pœnæ ad culpam, non est sufficiens nec secundum divinam acceptationem, nec secundum æquivalentiam. Cum omnia bona ex divina liberalitate nobis donentur, & in omnibus illis, quæ gratis dantur prima ratio dandi sit amor, impossibile est, quod aliquis, tale donum sibi faciat qui amicitia caret. Neque dici potest, quod charitas adveniens possit opera satisfactoria extra charitatem facta vivificare, cum non possit ea gratificare apud Deum. Unde generaliter opera extra charitatem facta non sunt meritoria ex condigno, neque æterni, neque temporalis alicuius boni apud Deum. Sed quia divinam bonitatem decet, ut ubicumque dispositionem invenit perfectionem adiiciat, ex merito congrui opera illa valent ad temporalium consecutionem, ad dispositionem ad gratiam, & ad assuetudinem, bonorum operum, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *in corp & q.* 3. *& 4. promiscue.*

91. *Quær.* An oporteat satisfactionem fieri per opera pœnalia, & quænam sint præcipua opera satisfactoria?

Resp. Div. Th. Satisfactio exigitur quod fiat per opera pœnalia. Recompensatio enim offensæ importat adæquationem, quam oportet esse eius, qui offendit, ad eum, in quem offensa, commissa est; adæquatio autem in humana iustitia attenditur per subtractionem ab uno, qui plus habuit iusto, & additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid. Et quamvis Deo nihil possit subtrahi, neque superaddi, tamen peccator quantum in ipso est aliquid Deo subtraxit peccando: unde oportet ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquis subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cædat. Opus autem bonum ex hoc, quod est huiusmodi, non subtrahit aliquid, sed magis proficit ipsum, cuius est; unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit. Et ideo ad hoc, quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut in honorem Dei sit; & pœnale, ut aliquid peccatori subtrahatur. Opera satisfactoria tria sunt principaliter, scilicet eleemosyna, ieiunium, & oratio: Et cum nos non habeamus nisi tria bona, scilicet bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, scilicet exteriora. Ex bonis fortunæ subtrahimus aliquid nobis per eleemosynam; ex bonis corporalibus per ieiunium; ex bonis autem animæ non oportet, quod aliquid subtrahamus quantum ad essentiam, quia per ea efficimur Deo accepti, sed per hoc quod ea, & submittamus Deo totaliter abrogando voluntatem nostram, & hoc fit per orationem. Et quia tres sunt radices peccatorum, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, & contraria contrariis curantur: contra concupiscentiam carnis, ordinatur ieiunium; contra concupiscentiam oculorum, eleemosyna; contra superbiam vitæ, oratio, & etiam flagella quibus a Deo punimur, cum scilicet eis patienter utimur, & homo facit de necessitate virtutem, ut *Aug.* dicit super *Matth.* Nam & pro peccatis gemitus fundit. Sic oratio, & continua meditatio est afflictio carnis, quia ut dicit *Greg.* super *Ezech. Homil.* 15. Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis. Competit etiam quantum ad hoc quia omne peccatum vel est in Deum: & contra hoc ordinatur oratio; vel in proximum, & contra hoc ordinatur eleemosyna, vel in nosipsos; & contra hoc ordinatur ieiunium. Quamvis tamen singula istorum per quamdam convenientiam singulis peccatis appropientur; quia congruum est, ut in quo quis peccavit, in hoc puniatur, & quod peccati commissi per satisfactionem, sicut dicit *Hieron.* super *Marcum cap.* 9. Sicut ieiunio sanatur pestis corporis, ita oratione pestis mentis, quatenus pœnæ sunt medicinæ, ut ait *Phil.* Radix omnis peccati abscinditur: nihilominus quodlibet horum pro quolibet peccato satisfacere potest, unde ei, qui non potest unum ex his perficere, iniungatur aliud, & præcipue eleemsyona aliorum vices exple-

plere potest; inquantum alia satisfactionis opera per eleemosynam sibi quasi meretur quodammodo in illis, quibus eleemosynam tribuit, & quidquid ad afflictionem corporis pertinet, totum ad ieiunium refertur; & quidquid ad proximi utilitatem expeditur, totum eleemosynæ rationem habet, & similiter quæcumque latria exhibetur Deo, orationis accipit rationem, & ideo etiam unum opus potest habere plures rationes satisfaciendi, sicut habetur *Luc.* 11. Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis: &, Sicut ignem ardentem extinguit aqua, sic eleemosyna resistit peccatis, *Eccl.* 3. & *Tob.* 4. Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat; & iterum *Cap.* 12. Ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam, 4. *sent. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 4.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *Can.* 13. ait: *Si quis dixerit pro peccatis, quo ad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut ieiuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus: anathema sit.*

92. *Quær.* An quis si pro alio ista opera satisfactoria agat, simul & semel pro se ipso satisfaciat, sicut pro se ipso meretur?

Resp. Div. Th. In solutione debiti attenditur quantitas pœnæ: sed in merito attenditur radix charitatis: & ideo qui ex charitate pro alio meretur saltem merito congrui, etiam sibi magis meretur; non autem qui pro alio satisfacit, pro se satisfacit, quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad utrumque peccatum; tamen sibi meretur maius quid, quam sit dimissio pœnæ, scilicet vitam æternam. Si vero ad aliquam pœnam quis se obligasset, & non fecerit, tunc uterque est debitor illius pœnæ, unus pro commisso, alius pro amisso, 4. *sent. dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *ad* 3. & *ad* 4.

93. *Quær.* An per indulgentiam possit aliquid remitti de pœna satisfactoria?

Resp. Div. Th. Ab omnibus conceditur, indulgentias aliquid valere, quia impium esset dicere, quod Ecclesia aliquid vane faceret, & oppositum dicere esset etiam expresse contra privilegium Petro datum, ut quod in terra remitteret, & in Cœlo remitteretur. Unde remissio, quæ fit per indulgentias, quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & confessionem, & absolutionem, sive pœna sit iniuncta, sive non. Ratio autem quare valere possunt est unitas corporis mystici, in qua unitate multum operibus pœnitentiæ supererogaverunt Sancti ad mensuram debitorum suorum, & multas etiam tribulationes iniuste sustinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiari, si eis deberentur; quorum meritorum tanta est copia, quod omnem pœnam debitam nunc viventibus excedunt, & præcipue propter meritum Christi. Dictum est autem supra, quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, quamvis non determinate, puta pro isto homine, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt (alias absque omni indulgentia remissionem consequeretur) tamen communiter fecerunt pro tota Ecclesia, & sic prædicta merita sunt communia totius Ecclesiæ: ea autem quæ sunt communia multitudinis alicuius, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium eius, qui multitudini præest. Et quia Papa habet istam plenitudinem potestatis pontificalis, quasi Rex in Regno, ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in Papa, quia potest facere quod vult, causa vero existente legitima; non tamen pro pure temporalibus causis potest fieri indulgentia, sed vel pro pure spiritualibus, sicut quicumque oraverit, puta pro Rege Franciæ, habeat decem dies indulgentiæ, ut fecit *Inn. IV.* vel pro temporalibus ordinatis ad spiritualia, sicut repressio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ perturbant: sicut constructio Ecclesiarum, & aliarum eleemosynarum. Sed in Episcopis, & Legatis qui etiam proprie Prælati Ecclesiæ dicuntur, quibus competit etiam indulgentias dare, est taxata potestas faciendi indulgentias secundum ordinationem Papæ, & non amplius. Istæ vero indulgentiæ valent ad remissionem pœnæ etiamsi fiant ab ipso, qui est in peccato mortali, sicut si fierent ab eo, qui est sanctissimus: cum non remittant pœnam ex vi suorum meritorum, sed

dex vi meritorum reconditorum in Thesauris Ecclesiæ; e contra ille, qui est in peccato mortali non recipit indulgentiam pœnæ, quia debet esse in charitate, & servare ea, quæ pro indulgentiis inducuntur, quare indulgentiæ simpliciter tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, & ex parte excipientis charitas, & quæcumque causa adsit, ad utilitatem Ecclesiæ, & ad honorem Dei vergat, & serventur conditiones appositæ, 4. *sent. dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. *&* 3. *promiscue*.

Concil. Trid. *Seff.* 25. *in Decret. de Indulgent. Sacrosanta Synodus Indulgentiarum usum Christiano Populo maxime salutarem, & in Ecclesia retinendum docet, & pracipit, eosque anathemate damnat, qui inutiles esse asserunt.*

Errores Waldensium, & Wicleffi. *Papa non habet potestatem concedendi indulgentias*. Prop. 6. *Fratrum est credere indulgentias Papa & Episcoporum*. Prop. 42. Wicleffi.

94. *Quær.* An Indulgentiæ possint aliquo modo esse satisfactoriæ nedum pro peccatis præteritis, sed etiam in remedium ad peccata vitanda in futuro?

Resp. Div. Th. Maius remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam assuetudine nostrorum operum: quia ex affectu, quem accipiens indulgentias concipit ad causam pro qua indulgentia datur, ad gratiam disponitur; ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur, & hoc non impedit fructum nostrorum operum, nisi inordinate dentur. Tamen consulendum est eis, qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ iniunctis abstineant, ut etiam ex his remedium ad vincendas pravas consuetudines consequantur, 3. *p. supl. q.* 25. *art.* 1. *ad* 4.

Concil. Trid. ut supra: *In his tamen conferendis moderationem, iuxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.*

95. *Quær.* An omnes conditiones sint adimplendæ pro indulgentiis?

Resp. Div. Th. Cum indulgentia detur sub tali conditione, quod aliquis aliquid faciat, vel det, si illud non exerceat indulgentiam non consequitur, 4. *sent. dist.* 20. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 4.

EPILOGUS.

96. *Quær.* Quomodo ea, quæ dicta sunt de pœnitentia paucis verbis exponi, & ordinari possunt?

Resp. Div. Th. Quartum Sacramentum igitur est pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui dicuntur tres pœnitentiæ partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, quod homo doleat de peccato commisso, & proponat se de cætero non peccaturum. Secunda pars est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter, non dividens ea diversis Sacerdotibus. Tertia pars est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis, & culpæ modum, quæ quidem præcipue fit per ieiunium, & orationem, & eleemosynam. Forma autem huius Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, dum dicit, *Ego te absolvo*. Minister huius Sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus huius Sacramenti est absolutio a peccato per gratiam. Est autem contra hoc Sacramentum error Novatianorum, qui dicunt hominem post Baptismum peccantem non posse per pœnitentiam veniam consequi, contra quod dicit *Apocal.* 2. Age pœnitentiam, & primo opera fac. *Opusc.* 5. *de Sacram.* Sunt & alii errores modernorum Hæreticorum Io. Vicleffi, & Ioan. Huss Vicleffi discipuli. Sunt etiam Lutheri, & eius Sectatorum. Nec non Michælis Bay, & aliorum plurimorum Hæreticorum a Martino V. a Leone X. & a Pio V. damnatorum; scilicet: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis*, ordine 8. Vicleffi a Martino V. damn. *Tres esse partes pœnitentiæ Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, non est fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis Sanctis Christianis Doctoribus*. 5. Lutheri a Leone X. damn.

Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur, 8. Lutheri a Leone X. damn.

Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum, & resuscitat. Ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur, 58. Michælis Bay a Pio V. damn.

Licere per Litteras, seu internuncium Confessario absente, peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. Unica damn. a Clemente VIII.

Qui facit Confessionem voluntarie nullam satisfacit precepto Ecclesiæ. 14. damn. ab Alex. VIII.

Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. 56. damn. ab Inn. XI.

Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi. 64. damn. ab Inn. XI.

97. *Quær.* Quod nam sit officium Confessarii secundum Canones?

Resp. Div. Th. Quamvis multa in libris Sanctorum Patrum, & scriptis inveniantur doctorum declarata, quædam tamen, quæ in usu ordinario magis occurrunt duximus prælibanda; debet namque Sacerdos advertere primo utrum iurisdictionem habeat in pœnitentem illum, quando audit eius confessionem; puta si sit Parochianus eius, alias si esset alterius non posset illum absolvere sine petita, & obtenta licentia, ut *de consecr. dist.* 5. *cap. Placuit*, & *extra de pœnit. & remiss. cap. Omnis utriusque sexus*, nisi in articulo necessitatis; puta si pœnitens sit percussus, vel infirmus ad mortem, & non possit haberi proprius Sacerdos, in tali casu posset cuilibet confiteri, ut *de pœnit. dist. 6. cap.* 1. Circa pœnitentiale iudicium duo sunt necessaria Sacerdoti, scilicet munditia vitæ, & scientia discernendi inter lepram, & lepram; munditia vitæ est necessaria, ut in nullo eorum sit iudicandus, quæ in aliis est iudicare paratus; scientia iudicandi similiter necessaria est, ut cognoscat quid debet iudicare, ut *de pœnit. dist.* 5. *cap.* 1. ut ex errore non imponat falsas pœnitentias, per quas animæ ad infernum trahuntur, ut *de pœnit. dist.* 5. *cap. Fratres*, quia iuxta sententiam veritatis, scilicet Christi: Si cæcus cæcum præsumat ducere secum in foveam ductor primus cadit inde sequitur, ut 38. *dist. cap. Ipsis*, & *de pœnit. dist.* 6. *cap.* 1. In primo autem inquirat Sacerdos diligenter in confessione peccata, & circumstantias peccatorum, scilicet tempus, modum, locum, & causam &c. ut pœnitentes ignorantia, vel verecundia non celent in confessione peccata, & dum pœnitens confitetur, Sacerdos se exhibeat benevolum, & affabilem, & humanum, ut pœnitens non impediatur in confessione sua, ex austeritate Sacerdotis, & audita confessione, confortet ipsum utendo diversis experimentis ad sanandum ægrotum, nunc leviando, & consolando per spem veniæ, & gaudium æternæ vitæ, postea terrendo per pœnas æternas; & incendia gehennæ ostendendo, sicut viderit expedire, ut *de pœnit. dist. 6. cap.* 1. *in fine*; & *extra de pœnit. & remiss. cap. Omnis utriusq. sexus*: Sicut videmus in medico corporali, qui freneticum per levia mitigat, & ad sanitatem reducit, & gulosum a vino, & a carnibus aspere prohibet, ne per ea incurrat mortem. In quolibet autem peccato pœnitentia est arbitraria, ut Sacerdos consideret qualitatem peccati, & peccantis, ut si est senex, aut iuvenis, aut dives, aut pauper, debilis, aut fortis, si est bene compos, aut compunctus, & alia & omnibus bene consideratis imponit ei pœnitentiam, & prout in arbitrio suo viderit expedire, ut 26. *q.* 7. *Tempora*; & *de pœnit. dist. In mensuram*. Ita tamen quod iuvenibus, maxime mulieribus non imponantur itinera, & vagationes propter ætatis, vel conditionis fragilitatem, ut 50. *dist. Pœnitens*, quia in eundo audit, & videt aliquid, per quod mulier iuvenis colligit venenum mortis, & infundit aliis, quia non solum tactu, & eius effectu, sed etiam aspectu quæcumquæ appetitur, & quisque appetit concupiscentiam fæminarum, ut 32. *quest.* 5. *Non solum*. Masculis autem iniungat pœnitentiam, scilicet genuflexiones, & preces, & alias satisfactiones in Ecclesia faciendas. Sit autem Sacerdos ita cautus, ut non imponat pœnitentiam ita gravem, & austeram pœnitenti, ut pœnitens totam dimittat; sicut adolescens, qui fascem deiecit a tergo, quem super humeros portare non po-

potuit, ut 26. *q.* 4. *Alligant:* sed nec ita levem imponat, ne peccator contemnat peccatum, & ut ex levitate pœnitentiæ relabatur libentius ad peccatum, ut 50. *dist. cap.* 1. faciat ergo quoddam temperamentum ex misericordia, & severitate, ut pœnitentia non sit nimis dissoluta, nec nimis rigida, ut 10. *dist. q.* 5. *Sunt namque*. Tamen tutius est ponere minorem debito, quam maiorem, quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem, ut 26. *dist. q.* 4. *Alligant, in fine*, quia talis defectus in purgatorio supplebitur, 25. *dist. cap. Qualis, & cap. Se*. Tamen reiteranti peccatum gravior est pœnitentia iniungenda; vulnus enim iteratum si incurratur, gravius est ad sanandum, ut *de pœnit. dist.* 4. *Inanis est pœnitentia*. Ut autem Sacerdos ad ista sit doctus, & cautus, meditetur Scripturas sacras, & dicta Sanctorum, in quibus ista inveniat. Nam propter hoc Dominus ponit verba sua in ore Prophetæ, dicens ad *Hierem.* Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te super gentes, & regna, ut 36. *dist cap. Ecce*. Certe cum videamus medicos corporum revolvere quotidie, & legere libros phisicales, & medicinales corporum, in quibus docentur curare corpora moritura: magna stultitia est non legere libros Sanctorum medicinales animarum, in quibus docetur curare animas in æternum victuras. Maius est damnum unius animæ, quam de morte innumerabilium corporum, ut 24. *dist. q.* 3. *Habens, circa finem*. Instruat Sacerdos confitentem, ut confiteatur omnia peccata pure, & sine palliatione, ut sicut peccata sunt in conscientia confitentis per memoriam, ita sint in ore ipsius per confessionem, nec dividat confessionem propter verecundiam, ut unum confiteatur uni, & aliud alteri, ut *de pœnit. dist.* 5. *cap.* 1. *Ut cautus:* Et ut confiteatur per se, non per nuncium, vel per scripturam, ut *de pœnit. dist.* 1. *Quem pœnitet in principio*. Veruntamen dum Sacerdos inquirit de peccatis, aut de circumstantiis peccatorum, ita caute inquirat, ut non instruat eum ad peccandum, quia nulli debemus parare laqueum, *dist.* 17. *cap. De viduis sub nullo*. Debet autem Sacerdos monere Parochianos suos, & si opus fuerit cogere, ut saltem semel in anno confiteantur, & communicent in Resurrectione Domini, *extra da pœnitent. & remission. Omnis utriusque sexus*. Si vero Sacerdos timeat scandalum alicuius potentis de populo, & timeat probabiliter, ut peius inde oriatur, saltem denuntiet rectoribus, ac superioribus, ut per illos tales potentes inducantur ad pœnitentiam, ut quæ non potest facere per se, faciat per alium. Sufficit enim Sacerdoti, ut faciat, quod potest. Si autem pœnitens voluerit de aliquo peccato satisfacere, & in aliquo peccato remanere, puta ab usuris, & non a fornicatione, Sacerdos non debet omnino illam confessionem spernere, & sic dimittere a se inconsultum, sed ipsam audire, & dare sibi consilium, ut ieiunet, & eleemosynas, & alia bona faciat, & exerceat. Non tamen illum absolvat, nisi de omnibus confiteatur, & satisfaciat, *extra de pœnit. dist.* 3. *Sunt plures*. Denunciet tamen, quod bona, quæ facit in mortali peccato non prosunt sibi ad vitam æternam; sed ad hoc prosunt, ut disponant, & habilitent ad pœnitentiam, ut legitur de *Cornelio* 26. *dist.* Deinde prosunt etiam ad præmium temporale, *dist.* 3. *Quid ergo*. Curet autem Sacerdos residere in tali loco, quando audit confessiones, maxime mulierum, quod ab aliis videatur manifeste, sed a nemine audiantur, quæ ibi dicuntur, ut illud iudicium soli Sacerdoti, & pœnitenti confitenti sit notum. Sufficit testimonium Dei & Sanctorum Angelorum coram quibus illud iudicium agitur, ut de *pœnit. dist.* 1. *Quam pœnitet, &* 50. *dist. De his vero*. Sacerdos autem summa cura, & sollicitudine curare debet, ne revelet aliquid de his, quæ dicta sunt sibi in confessione, neque per verbum, neque per aliud signum. Sed si dubitet de aliquo peccato, & super hoc vult consulere magis peritum, ita caute quærat consilium de peccato, ut aliquid non perpendat de peccatore; alias esset in causa depositionis ut fractor sigilli, *ut de pœnit. dist.* 6. Sacerdos multa maturitate, ne verbosus, aut loquax sit, & si audiat verbum iniuriosum a pœnitentibus suis non reddat eis vicem pro vice, ne propter hoc insinuetur revelasse confessionis peccatum. Caveat Sacerdos ne dum audit confessiones mulierum respiciat vultum eorum, ne insi-

insidiante diabolo illa impediatur in confessione propter verecundiam, vel Sacerdos insidietur ex illicita cogitatione: propter quod etiam Sacerdos expedita confessione iuvencularum mulierum non immoretur immiscere verba, quæ confessionem perturbant, vel non adiuvent, nec ultra quam necesse est excogitare confessiones eorum inquirendo vitiose motus membrorum, & usus, quia ubi talis esca iacet antiqui hostis stimuli non desunt ad tentandum. 81. *dist. Oportet*. Nec recipiat Sacerdos manus mulierum inter manus suas, nec aliquo modo tangat mulierem: quia bonum est omnino Sacerdoti non tangere, ut 32. *dist. Hospitiolum*. Timeat autem Sacerdos instigationem versuti hostis, qui cum habeat mille nocendi modos, conatur a principio ruinæ suæ, charitatem hominum, & bona opera perturbare, ut 16. *dist. q.* 2. *Visis*. Debet autem Sacerdos omni tempore dare pœnitentiam postulanti, maxime in ultimo articulo vitæ. *De pœnit. dist. 6. & 26. q. 6. Si Presbyter*. Nec contrahat moram quandoque advocatus fuerit, aliter puniri debet. Sed si infirmus petat pœnitentiam, & antequam Sacerdos veniat ad eum amiserit loquelam, Sacerdos habeat eum pro confesso, & absolvat eum sub conditione, ut *de pœnit, dist.* 1. *Multiplex;* & si mortuus fuerit absolvat ab excommunicatione, ut *extra de sent. exc. A nobis*. Si aliquis autem confiteatur aliquod peccatum, de quo satisfacere non potest, puta, rapuit aliena, quæ præ nimia paupertate reddere non potest, Sacerdos iniungat sibi pœnitentiam, dicat tamen, quod si veniat ad pinguiorem fortunam, restituat ablatum, si restitui potest, ut 14. *dist. q. 6. Si res aliena*. Si Prælatus excommunicat aliquem, scribat causam quare excommunicat, & in scriptis proferat, aliter incidat in illam constitutionem, ut *extra de sent. excom. cap. Medicinalis*. Caveat autem Sacerdos, ut non recipiat ad confessionem excommunicatos, & interdictos, antequam absolvantur ab excommunicatione, & ab interdicto, quia cum tales sint remoti a Sacramentis Ecclesiæ, non posset eos absolvere, durante vinculo interdicti, vel excommunicationis: sed si sit excommunicatus ab ipso, vel ab antecessore suo, potest ipsum absolvere præmissa satisfactione, & pœnitentiæ Sacramentum impendere, ut 11. *dist. q.* 3. *Si Episcopus*. Si autem sit excommunicatus ab alio, non posset ipsum absolvere iure ordinario, sicut nec posset aliorum Parochianos excommunicare, ut *extra de sent. excom. cap. A nobis*. Tamen in articulo mortis potest etiam simplex Sacerdos a quacumque excommunicatione absolvere, *extra de sepulch. cap. ult.* Potest autem Sacerdos, si sit approbatus, de omnibus peccatis venialibus, & mortalibus privatam pœnitentiam iniungere, & absolvere fideliter confientes, ut *ext. de pœn. & rem. cap. Deus*, nisi prohibeatur ab homine, vel a iure, ut si sint enormia crimina reservata, in quibus requiritur maior pœnitentia, & illa pro quibus solemnis pœnitentia imponitur; solemnem enim pœnitentiam non imponat simplex Sacerdos. 50. *dist. in cap. Quadragesima*. Instruet autem Sacerdos Parochianos suos, ut addiscant Symbolum, scilicet, Credo in Deum, & Pater noster, & Confessionem; ista tria debent scire, qui nesciunt legere, *extra de pœnit. & remiss. cap. Deus, qui Ecclesiam*. Et quando homines intrant Ecclesiam aspergantur aqua benedicta, quam Sacerdos habeat semper in Ecclesia paratam, quia in conspersionæ aquæ benedictæ remittuntur per gratiam peccata venialia, & debilitatur potentia inimici, ut *de consecr. dist.* 3. *cap Aquam*. Et quando Sacerdos audit Confessionem alicuius, post auditam confessionem iniungat ei pœnitentiam salutarem. Deinde faciat confessionem generalem; finita confessione dicat Sacerdos: *Misereatur tui Omnipotens Deus, &c. & Indulgentiam, &c.* & absolutionem a peccatis, & ab excommunicatione, restituens ipsum Ecclesiæ Sacramentis. Caveat autem Sacerdos, ut si quis vult confiteri ei alio audiente, non recipiat eum, sed quemlibet audiat separatum, ne unus audiat confessionem alterius, nisi solus Sacerdos; ut *extra de pœnit. & remiss. cap. Omnis. Opusc. 65. de officio Sacerdotis, cap. de pœnitentia*.

TRA-

TRACTATUS XXVI.

De Extremæ Unctionis Sacramento.

QUÆRITUR PRIMO.

An unctio extrema sit Sacramentum?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

SAcramenta Ecclesiæ nihil aliud sunt, quam quædam spirituales medicinæ, quæ subveniunt defectibus hominum secundum quemlibet statum; nam effectus intentus in administratione Sacramentorum, est curatio morbi peccati. *Isaiæ* 28. Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum. Sed exeuntibus extrema unctio est quædam spiritualis medicina, quia valet ad remissionem peccatorum, ut habetur *Iacob.* 5. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. *Iac.* 5. Ideo extrema unctio est Sacramentum, maxime quia per extremam unctionem aliquis consequatur nedum gratiam, & remissionem peccatorum, sed hoc Sacramentum immediate hominem disponat ad gloriam, cum exeuntibus a corpore detur, 4. *sent. dist.* 23. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *per totam.*

Quare Concil. Trid. *Sess* 14. *Can.* 2. hanc conclusionem Divi Thomæ approbat, & definit de fide, scilicet: *Si quis dixerit Sacram Infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationis: anathema sit.*

Idem statutum fuit in Concilio Senonen. in decretis fidei, *decret.* 10. *de extrema unct.*

Idem pariter in Concil. Florent. sub Eugenio IV. in *decret. Armen. dat.*

2. *Quær.* An hoc Sacramentum fuerit institutum a Christo Domino, & quomodo fuerit promulgatum?

Resp. Div. Th. Omnia Sacramenta Christus instituit per se ipsum, sed quædam per se ipsum promulgavit, quæ sunt maioris difficultatis, & necessitatis; quædam autem Apostolis promulganda reservavit, sicut hoc Sacramentum extremæ unctionis, & confirmationem; quia Sacramenta ad fundamentum legis pertinent, & ideo ad legislatorem pertinet eorum institutio, & iterum quia ex institutione efficaciam habent, quæ eis nonnisi divinitus inest. Et quamvis nulla fiat mentio in Evangelio de institutione extremæ unctionis, & de confirmatione, nihilominus ipse Christus per se ipsum etiam hæc duo Sacramenta instituit. Nam multa Dominus fecit, & dixit, quæ in Evangeliis non continentur. Illa enim præcipue curaverunt Evangelistæ tradere, quæ ad salutis necessitatem, & Ecclesiasticæ dispositionis pertinent, sicuti sunt Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Ordinis; Extremæ vero unctionis, vel Confirmationis, quæ neque sunt de necessitate salutis, neque ad dispositionem, sive distinctionem Ecclesiæ pertinent, per doctrinam, sive per traditionem Apostolorum, nobis promulgata est eorum institutio. Tamen etiam de olei unctione fit mentio in Evangelio *Marci* 6. *vers.* 16. ubi dicitur, quod Apostoli oleo ungebant infirmos, 4. *sent. dist.* 23. *q.* 1. *artic.* 1. *quæstiunc.* 3. *per totam.*

Unde idem Conc. Trid. *Sess.* 14. *Can.* 1. confirmat de fide hanc veritatem, dicens: *Si quis dixerit extremam unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a Beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum: anathema sit.*

3. *Quær.* An oleum olivarum sit materia remota huius Sacramenti?

Resp. Div. Th. Spiritualis curatio, quæ in fine vitæ adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur, & levis spes, quæ exeuntibus maxime est necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est, & penetra-

ti-

tivum usque ad intima, & diffusivum; & ideo quantum ad utrumque prædictorum est conveniens materia huius Sacramenti, quia efficit, quod figurat; & quia olivæ liquor oleum principaliter nominatur, cum alii liquores ex similitudine ad ipsum olei nomen accipiant, ideo oleum olivæ etiam debet esse quod assumitur in materiam huius Sacramenti. Non oportet autem, quod balsamum ponatur in materia huius Sacramenti, quia rei significatio non respondet rei contentæ in hoc Sacramento, quia balsamum propter odorem pertinet ad bonitatem famæ, qua de cætero non indigent propter se exeuntes de hoc mundo: sed indigent coram Deo tantum nitore conscientiæ, qui per oleum significatur, 4. *sent. dist.* 23. *q.* 1. *art.* 3. *questiunc.* 1.

4. *Quer.* Quænam sit materia proxima huius Sacramenti, & an oporteat oleum esse prius consecratum ab Episcopo?

Resp. Div. Th. Materia proxima huius Sacramenti consistit in ipsa unctione, sicut baptismus in ablutione; in baptismo non præexigitur materiæ sanctificatio, quantum est de necessitate Sacramenti, sed materia huius Sacramenti debet esse oleum sanctificatum: potest autem triplex ratio assignari, quare exigatur materiæ sanctificatio in hoc Sacramento, & in quibusdam aliis. Prima est, quia omnis efficacia Sacramentorum a Christo descendit, & ideo Sacramenta illa, quibus ipse est usus habent efficaciam ex suo usu, & contactu suæ humanitatis, ut alibi dictum est, sicut tactu suæ carnis vim generativam contulit aquis. Sed hoc Sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctione, & ideo in omnibus unctionibus, & chrismationibus requiritur sanctificatio materiæ. Secunda causa est propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur, non solum, ut culpam tollat, sed etiam reliquias, & infirmitatem corporis. Tertia est ex hoc quod effectus corporalis, scilicet sanatio corporalis non causetur ex materiæ naturali proprietate, & ideo oportet, quod huic efficacia sibi per sanctificationem detur: & ideo in ipsa sanctificatione olei, quæ fit per Episcopum perficitur hoc Sacramentum. Nam in omnibus Sacramentis, quæ indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiæ fit per Episcopum, & usus quandoque per Sacerdotem, ut ostendatur Sacerdotalis potestas ab Episcopali derivata. Et ut ostendatur, quod efficacia Sacramenti primo est a Christo, & ab ipso in alios descendit ordinate in Populum per ministros inferiores, mediantibus superioribus, 4. *sent. dist.* 23. *q.* 1. *art.* 3. *questiuncula* 2. *&* 3.

5. *Quer.* Quid faciendum in terris, ubi non est oleum olivarum, & quando oleum consecratum deficere incipit?

Resp. Div. Th. Oleum olivæ quamvis non ubique crescat, tamen de facili potest ad quemlibet locum transferri; quod si Oleum, vel Chrisma ex frequenti usu deficeret, potest Sacerdos adhibere oleum non consecratum commixtum oleo consecrato, & totum efficitur consecratum, ut *extra de consecr. Ecclesiæ, vel Altaris, cap. Quod in dubiis*. Præterea hoc Sacramentum non est tantæ necessitatis, quod exeuntes sine hoc Sacramento non possint salutem consequi, 4. *sent. dist.* 23. *q.* 1. *art.* 3. *questiunc.* 1. *ad* 3. *&* *opusc.* 65. *cap. de sacra unctione*.

6. *Quer.* An peccet Sacerdos utens alio oleo, puta Cathecumenorum, pro extrema unctione, & quid si ex errore hoc faciat?

Resp. Div. Th. Debet adhiberi in hac unctione oleum benedictum ab Episcopo, quod dicitur Oleum Infirmorum, & non oleum Cathecumenorum, quia istud adhibetur in Sacramento Baptismi, ut *extra de sacra unctione, cap. Cum venissent*. Unde peccant Sacerdotes, qui inungunt alio oleo; peccant etiam, qui volunt dare illud, puta Cappellanis suis, cum alio oleo facientes quamdam divisionem Sacramentorum, quia faciunt illos errare, dum ungunt infirmos oleo Cathecumenorum: & si quis deprehenderit se errasse, & ex errore de alio oleo unxisse, debet adhuc de alio oleo debito ungere, & supplere quod omisit, ut *extra de Sacram. unctionis, cap.* 1. *Opusc.* 65. *cap. de Sacramento unctionis*.

7. *Quer.* An singulis annis debeat renovari oleum sanctum?

Resp. Div. Th. Debet Sacerdos istud oleum pro infirmis, & aliud oleum pro cathecumenis, & chrisma pro ordinibus in die quintæ feriæ hebdomadæ sanctæ per singulos annos de anno in annum renovare ad Sacramenta conferenda, & vetus

tus in Ecclesia concremare, ut *de consecr. dist.* 3. *Literis*, & oleo novo per Episcopum benedicto inungere, & non de veteri, alias, quamvis valide inungeret, tamen esset graviter puniendus, nisi hoc faceret ex gravi necessitate, ut *de consecr. dist.* 4. *Si quis de oleo*, *Opusc.* 65. *cap. de Sacram. unctionis*.

8. *Quær.* Cum in extremis plures fiant unctiones, an etiam plura dici debeant Sacramenta?

Resp. Div. Th. Quodlibet Sacramentum dicitur unum, inquantum multa, quæ sunt in uno Sacramento ordinantur ad unum signandum, vel causandum, quia Sacramentum signando causat; & ideo quando una actio sufficit ad perfectam significationem, unitas Sacramenti consistit in illa actione tantum, sicut patet in confirmatione. Quando autem significatio Sacramenti potest esse & in una, & in multis actionibus, tunc Sacramentum perfici potest & una actione, & pluribus, sicut baptismus in una immersione, & tribus: quia ablutio, quæ significatur in baptismo potest esse per unam immersionem, vel per multas. Quando autem perfecta significatio non potest esse nisi per plures actiones, tunc plures actiones sunt de perfectione Sacramenti, sicut patet de Eucharistia: quia refectio corporalis, quæ significat spiritualem, non potest esse, nisi per cibum, & potum. Et similiter est in hoc Sacramento, quia curatio interiorum vulnerum non potest perfecte significari, nisi per appositionem medicinæ ad diversas vulnerum radices; & ideo plures actiones sunt de perfectione huius Sacramenti. Unde illæ actiones, quamvis sint pluræ simpliciter, tamen uniuntur in una perfecta actione, quæ est unctio omnium exteriorum sensuum, quibus hauritur morbus interior. Sicut ex pluribus partibus una domus constituitur, & ex materia carnis, & ossis constituitur unus homo, 4. *sent. dist.* 23. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. *in corp. & per totum*.

9. *Quær.* An hoc Sacramentum perficiatur sua forma, & an sit forma determinata, & expressa in sacris literis, an pure deprecativa?

Resp. Div. Th. Hoc Sacramentum habet formam determinatam, sicut, & alia Sacramenta, quia omne Sacramentum efficit signando; signatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa se possit habere, nisi per formam verborum; & quamvis forma huius Sacramenti non inveniatur expresse in Sacra Scriptura, Ecclesia tamen ex traditione Apostolorum habet, qui a Domino acceperunt, ut dicit *Apost.* 1. *Cor.* 11. Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis. Forma huius Sacramenti ex usu Romanæ Ecclesiæ est deprecativa, immo ex consuetudine omnium Ecclesiarum, scilicet: *Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, & tactum*, ut patet etiam per verba *Iacobi cap.* 5. qui inquit: Oratio fidei sanabit infirmum. Cuius ratio multiplex assignatur. Primo, quia suscipiens hoc Sacramentum est viribus propriis destitutus, unde indiget orationibus sublevari. Secundo, quia datur exeuntibus, qui iam desinunt esse de foro Ecclesiæ, & in solius Dei manu acquiescunt; unde & ei per orationem committuntur. Unde prædicta oratio est competens forma huius Sacramenti, quia tangit rationem Sacramenti in hoc quod dicit: *Per istam unctionem*, & illud, quod operatur in Sacramento, scilicet, & divinam misericordiam; & effectum, scilicet remissionem peccatorum, *indulgeat tibi Dominus, &c.* qui effectus principalis semper inducitur ex Sacramento, nisi sit defectus ex parte recipientis, alius effectus corporalis, scilicet sanitas, quamvis quandoque sequatur, quando expedit, sed non semper, ratione cuius *Iacob.* etiam hunc effectum attribuit orationi, 4. *sent. dist.* 23. *q.* 1. *art.* 4. *per totum*.

10. *Quær.* Ad quos pertineat hoc Sacramentum conferre?

Resp. Div. Th. Secundum *Dionysium in Ecclesiastica Hierarchia, cap.* 5. Sunt quidam exercentes actiones hierarchicas, & quidam recipientes tantum, qui sunt laici, & ideo nullius Sacramenti dispensatio laico ex officio competit, nisi quod baptizare possunt in casu necessitatis ex divina dispensatione, ut nulli regenerationis spiritualis facultas desit. Sicut neque Diaconus etiam nullum Sacramentum, in quo gratia conferatur, potest ex officio dare, ideo neque hoc Sacramentum, cum in eo gratia conferatur. Illa igitur Sacramenta in quibus gratia illu-

mi-

minans mentem confertur, ficut eſt iſtud, exhibere ſolum pertinet ad Sacerdotes, ut habetur *Iacob.* 5. Inducat Presbyteros Eccleſiæ; nam illa ſolum Sacramenta diſpenſanda ſolis Epiſcopis reſervantur, quæ in ſuſceptione in aliquo gradu, & ſtatu perfectionis ponunt, ſicut confirmare, & ordinare; præterea Epiſcopus non poteſt accedere ad omnes infirmos ſuæ Diœceſis, & ideo per ſimplices Sacerdotes poteſt adminiſtrari hoc Sacramentum, 4. *ſent. diſt.* 23. *q.* 2. *art.* 1. *per totum*, *& opuſc.* 65. *de Sacram. unctionis*.

Conc. Trid. *Seſſ.* 14. *de extrem. unct. Can.* 4. ait: *Si quis dixerit proprium extremæ unctionis miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem: anathema ſit*.

11. *Quær.* An in collatione huius Sacramenti debeant adeſſe plures Sacerdotes, ſi commode fieri poteſt, & an deprecatio, quæ fit in tali collatione valeat ſi quis ſit in peccato?

Reſp. Div. Th. Debent plures Sacerdotes adhiberi in collatione huius Sacramenti, ſi fieri poteſt; unde *Iacob.* dicit: Inducat Presbyteros Eccleſiæ; nec hic taxatus eſt numerus, quot Sacerdotes debeant intereſſe, quia ſufficiunt duo, ſi plures haberi non poſſunt. Et ſi unus ſolus Sacerdos adſit, nihilominus intelligitur hoc Sacramentum quis perficere in virtute totius Eccleſiæ, & cuius miniſter exiſtit, & cuius perſonam gerit, ut *extra de verb. ſignificat. Quæ ſunt*. Et ſimiliter cum oratio, quæ fit in Sacramento, & ſi Sacerdos quandocumque, cum ſit peccator, non eſſet exaudibilis, ſed quia non a Sacerdote in perſona propria, ſed in perſona totius Eccleſiæ, in cuius perſona orare poteſt quaſi publica perſona, in hoc Sacramento habet ſuam efficaciam, 4. *ſent. diſt.* 23. *q.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad* 1. *&* 4. *contra gentes*, *cap.* 73. *& opuſc.* 65. *de Sacr. unction. totum promiſcue*.

12. *Quær.* An Sacerdos in collatione huius Sacramenti poſſit munus accipere?

Reſp. Div. Th. Non debet Sacerdos in collatione huius Sacramenti munus, vel pecuniam exigere, nec aliquo modo petere, quoniam hoc eſſet ſimoniacum. Sponte tamen oblatum poteſt recipere; in nullo enim Sacramento permittitur pecuniam poſtulare, ſed dari, ut 1. *q.* 3. *cap. ult.* Si vero infirmus voluerit alios Clericos Eccleſiæ ſuæ convocare, Sacerdos parochialis Eccleſiæ debet denunciare, & dicere, ego, & ſocii mei nihil petimus, parati ſumus ſine aliqua ſatisfactione. Alii vero cum ſint extranei, eſt honeſtum, & conſuetum, ut aliqua eleemoſyna tribuatur, *Opuſc.* 65. *cap. de Sacr. unct.*

13. *Quær.* Quibus ſit dandum hoc Sacramentum?

Reſp. Div. Th. Hoc Sacramentum eſt quædam ſpiritualis curatio, quæ quidem per quemdam corporalis curationis modum ſignificatur, & ideo illi, quibus corporalis curatio non competit, ſcilicet ſanis, non debet hoc Sacramentum conferri. Immo hoc Sacramentum eſt ultimum remedium, quod Eccleſia poteſt conferre immediate, quaſi diſponens ad gloriam, & ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium propter quod ægritudo nata eſt ad mortem inducere, & de periculo mortis timetur, & ideo dicitur extrema unctio, quia non debet dari niſi illis, quorum mors eſt propinqua, ſecundum æſtimationem hominum, 4. *ſent. diſt.* 23. *q.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *in corp. & quæſtiunc.* 2. *in corp. & art.* 4 *quæſtiunc.* 1. *ad* 2. *& Opuſcul.* 65. *promiſcue*.

14. *Quær.* An poſſit iterari hoc Sacramentum?

Reſp. Div. Th. Hoc Sacramentum non reſpicit tantum infirmitatem, ſed etiam infirmitatis ſtatum, quia, ut dictum eſt, non debet dari, niſi infirmis, qui ſecundum humanam æſtimationem videntur morti appropinquare. Quædam infirmitates non ſunt diuturnæ, unde ſi in eis detur hoc Sacramentum, tunc cum homo ad illum ſtatum perveniat, quod ſit in periculo mortis, non recedit a ſtatu illo, niſi infirmitate curata, & ita iterum non debet inungi, ſed ſi recidivum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri illa inunctio. Quædam autem ſunt ægritudines diuturnæ, ut ethica, & hydropiſis, & huiuſmodi, & in talibus non debet fieri inunctio, niſi quando videtur perducere ad periculum mortis, & ſi homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad ſimilem ſtatum per illam infirmitatem reducatur, iterum poteſt inungi, quia iam eſt quaſi alius infirmitatis ſtatus, quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter. Et cum quælibet infir-

infirmitas augmentata possit mortem inducere, ideo in qualibet ægritudine potest dari hoc Sacramentum, quia Apostolus non determinavit infirmitatem aliquam particularem, 4. *sent. dist.* 23. *q.* 2. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. *& alibi*.

Ex Concil. Trid. *Sess.* 14. de extrema unctione, *cap.* 3. declaratur, *Esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur. Unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius Sacramenti subsidio iuvari poterunt cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.*

15. *Quær.* An damnatis ad pœnam ultimi supplicii sit dandum hoc Sacramentum?

Resp. Div. Th. Licet damnati sint in statu propinquo morti per sententiam Iudicis absque infirmitate, qui spiritualibus effectibus huius Sacramenti indigerent; non tamen exhibendum est, nisi infirmanti, cum sub specie medicinæ corporalis exhibeatur, quæ non competit, nisi corporaliter, & actualiter infirmato; oportet enim in Sacramentis significationem servari, 4. *contra gentes*, *cap.* 73.

16. *Quær.* An infirmus, qui amisit notitiam, & loquelam possit inungi?

Resp. Div. Th. Infirmus, qui ante petiit unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum; nihilominus inungat eum Sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari, & a peccatis absolvi, ut *extra de baptism. & eius effectu*, *cap. Maiores*. *Opusc.* 65. *cap.* 7.

17 *Quær.* An pueris, furiosis, & amentibus sit hoc Sacramentum conferendum?

Resp. Div. Th. Hoc Sacramentum exigit actualem devotionem in suscipiente, sicut in Eucharistia, cum ad effectum huius Sacramenti percipiendum plurimum valeat devotio suscipientis, & personale meritum conferentium, & generale totius Ecclesiæ, quod patet ex hoc, quod per modum deprecationis forma huius Sacramenti confertur. Ideo sicut Eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc Sacramentum, maxime quia forma huius Sacramenti non competit pueris, quia non peccaverant, per visum, & auditum. Similiter neque illis, qui non possunt recognoscere, & cum devotione suscipere, hoc Sacramentum dari debet, puta furiosis, & amentibus, quia ad remissionem peccatorum requiritur motus liberi arbitrii, & quia isti possunt irreverentiam Sacramento per aliquam immunditiam facere; nisi haberent lucida intervalla, in quibus Sacramenta recognoscerent, & sic tunc eis conferri in statu illo posset extrema unctio, 4. *sent. dist.* 23. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *&* 4.

18. *Quær.* An totum corpus, vel determinatæ partes, & quæ, sint inungendæ hoc Sacramento?

Resp. Div. Th. Hoc Sacramentum, ut dictum est, per modum curationis exhibetur; curatio autem corporalis non oportet quod fiat per medicinam toto corpori oppositam, sed illis partibus tantum, in quibus est radix spiritualis infirmitatis: & quia anima quamvis sit tota in qualibet parte corporis quantum ad essentiam, non tamen quantum ad potentias, quæ sunt radices actuum peccandi, ideo oportet, quod determinatis partibus unctio fiat, in quibus potentiæ habent esse; & sic est universalis Ecclesiæ ritus, secundum quem non inungitur infirmus, nisi in determinatis partibus corporis. Nam infirmus, debet inungi in oculis, in auribus, in naribus, in labiis, in manibus, & pedibus, quia ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet unctio adhiberi, & ideo unguntur loca quinque sensuum, scilicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, manus propter tactum, qui in pulpis digitorum præcipue viget. Sed propter appetitivam unguntur a quibusdam renes, propter motivam ab aliquibus unguntur pedes, qui sunt principalius eius instrumentum, & quia primum principium est cognoscitiva, ideo illa unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus quasi de necessitate Sacramenti. Sed quidam non servant alias, quidam vero illam servant, quæ ad pedes, & non quæ ad renes, (hæc maxime est omittenda in mulieribus,) quia appetitiva, & motiva sunt secundaria principia; neque ullo modo debet unctio adhiberi in membris genitalibus, propter immunditiam illarum partium, & honestatem Sacramenti,

 4. *sent.*

4. ſent. diſt. 23. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 1. & 2. *per totam.*

19. *Quær.* An in mutilatis, & aliquorum ſenſuum deſtitutis, puta cæcis, & ſurdis, debeat omitti unctio extrema?

Reſp. Div. Th. Defectus corporis non impedire debet Sacramentum; unde mutilati, & cæci, & ſurdi, & ſimiles inungi debent, quanto propinquius eſſe poteſt ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat; quia quamvis non habeant membra, vel organa, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur, ſaltem in radice, & interius peccare poſſunt per ea, quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius, *4. ſent. diſt. 23. q. 2. art. 3. quæſtiunc.* 3.

20. *Quær.* Quinam effectus, & fructus ex huius Sacramenti uſu ad homines proveniant?

Reſp. Div. Th. Quodlibet Sacramentum eſt inſtitutum principaliter ad unum effectum, quamvis alios ex conſequenti inducere poſſit; quia, ut alibi dictum eſt, Sacramentum efficit quod figurat; ideo ex ipſa ſignificatione Sacramenti debet accipi eius principalis effectus. Adhibetur autem hoc Sacramentum ſecundum modum cuiuſdam medicationis. Sicut baptiſmus ad modum ablutionis, medicina autem eſt ad pellendam infirmitatem. Unde principaliter hoc Sacramentum eſt inſtitutum ad ſanandum infirmitatem peccati, ſicut enim baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio, & pœnitentia eſt quædam ſpiritualis ſuſcitatio, ita & extrema unctio eſt quædam ſpiritualis ſanatio, vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio præſupponit corporalem vitam in medicato, ita ſpiritualis ſpiritualem. Ita hoc Sacramentum non datur contra defectus, quibus ſpiritualis vita tollitur, ſcilicet contra peccatum originale, pro quo eſt baptiſmus, vel contra mortale, pro quo eſt pœnitentia, ſed contra illos defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ, vel gloriæ: & hic defectus nihil eſt aliud, quam quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum: ſed quia hoc robur gratiæ facit, quæ ſecum non compatitur peccatum, ideo ex conſequenti ſi invenit aliquod peccatum vel mortale, vel veniale quoad culpam, tollit ipſum; dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, quia quamvis culpa quoad maculam ſine contritione non dimittatur, tamen hoc Sacramentum per gratiam, quam infundit, facit, quod ille motus liberi arbitrii, puta attritionis in peccatum, fiat contritio, ſicut etiam in Euchariſtia, & confirmatione poteſt accidere. Similiter etiam & reatum pœnæ temporalis dimittit ex conſequenti, inquantum debilitatem tollit. Si non ſemper delet peccatum, eſt quia non ſemper invenit; ſed ſemper remittit quoad debilitatem prædictam, quam quidam reliquias peccati dicunt. Reliquiæ vero peccati non dicuntur hic diſpoſitiones ex actibus relictæ, quæ ſunt quidam habitus inchoati, ſed eſt quædam habitualis debilitas in ipſa mente exiſtens, ut ſupra dictum eſt, quæ eſt pronitas ad malum, & ad bonum difficultas, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, qua ſublata etiam iiſdem habitibus, vel diſpoſitionibus manentibus ex actibus præcedentibus, non ita poteſt inclinari mens ad peccata. Unde dicendum eſt, quod principalis effectus huius Sacramenti eſt remiſſio peccatorum quoad reliquias peccati, ex conſequenti etiam quantum ad culpam, ſi eam inveniat. Extrema unctio de ſecundario facit etiam corporalem ſanationem non ex proprietate naturali materiæ, ſed ex virtute divina, quæ operatur rationabiliter. Et quia ratio operans nunquam inducit ſecundarium effectum, niſi ſecundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc Sacramento non ſequitur corporalis ſanatio ſemper, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem; & tunc ſemper eam inducit, dummodo non ſit impedimentum ex parte recipientis, quia impeditur huius Sacramenti effectus per fictionem ſuſcipientis, ſicut contingit in aliis Sacramentis, *4. ſent. diſt. 23. q. 1. art. 2. quæſtiunc.* 1. & 2. *per totam & 4. contra Gentes cap.* 73.

21. *Quær.* In qua unctione conferatur effectus huius Sacramenti?

Reſp. Div. Th. Quando ſunt multæ actiones ordinatæ ad unum effectum, ultima eſt formalis reſpectu omnium præcedentium, & agit in virtute earum, ut pa-

patet etiam in ultima unitate numeri, quæ dat speciem; & ideo in ultima unctione gratia infunditur, quæ effectum Sacramento præbet, 4. *sent. dist.* 23. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 3.

22. *Quær.* An si quis omittat suscipere hoc Sacramentum per negligentiam, vel per contemptum, peccet mortaliter?

Resp. Div. Th. Non accipiens hoc Sacramentum ex contemptu peccat mortaliter; non tamen quælibet negligentia, sed ex contemptu procedens, vel contemptum inducens damnabilis est, quia mera negligentia in his, quæ non sunt de necessitate salutis, sicuti est hoc Sacramentum, non est per se damnabilis culpæ mortalis, 4. *sent. dist.* 23. *in expos. Text.*

Concil. Trid. *Seff.* 14. *Can.* 3. inquit: *Si quis dixerit extremæ unctionis ritum, quem observat Sancta Romana Ecclesia repugnare sententiæ B. Iacobi, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni: anathema sit.*

Idem Concil. Trid. *Seff.* 14. *Cap.* 3. inquit: *Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus Sancti iniuria esse posset.*

23. *Quær.* An Olei inunctio afferat etiam robur contra Diabolum?

Resp. Div. Th. Olei inunctio potest dici, quod signat expeditionem hominis in pugna, quam adversus diabolum suscipit; quia propter peccatum hominis diabolus potestatem accepit in homine in ipsius nocumentum; ut etiam per hoc Sacramentum liberatus a potestate diaboli Deo consacretur, cum extrema unctio hominem paratum reddat ad finalem gloriam, 4. *sent. dist.* 6. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *in fine*, & 3. *p. q.* 65. *art.* 1. *in corp.*

Unde Concil. Trid. *in Seff.* 14. *In Doctrina de Sacramento extremæ unctionis* declarat, & docet; *Quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus conservare se integros dum viverent ab omni graviori spiritus incommodo possint; ita extremæ unctionis Sacramento finem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam si adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat, & captet, ut devorare animas nostras quodammodo possit; nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos imperitos, & a fiducia etiam divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit.* (Propterea inferius subiungit) *Res porro, & effectus huius Sacramenti illis verbis Iacobi 5. explicatur, videlicet: Oratio fidei salvabit Infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei. Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti: cuius unctio delicta, si qua sunt adhuc expianda, & peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expediverit, consequitur.*

24. *Quær.* Quinam errores fuerunt circa hoc Sacramentum?

Resp. Div. Th. Contra hoc Sacramentum est error Eraconitarum, qui ferunt suos morientes novo modo quasi redimere per oleum, & balsamum, & aquam, & invocationibus, quas hæbraicis verbis dicunt super capita eorum; quod est contra formam a Iacobo traditam, ut supra dictum est, *Opusc.* 5. *de Ecclesiæ Sacramentis.*

EPILOGUS.

25. *Quær.* De pertinentibus ad extremam unctionem?

Resp. Div. Th. Quintum igitur Sacramentum est Extremæ Unctionis, cuius materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum non debet dari nisi adultis infirmis pœnitentibus, & petentibus, de quorum morte timetur, qui debent inungi in locis quinque sensuum, videlicet in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum. Quidam autem inungunt in renibus, ubi viget libido (sed in viris tan-

tum propter honestatem) forma autem huius Sacramentis est ista. *Per istam unctionem, & suam piissimum misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum*; & similiter de aliis. Minister huius Sacramenti est Sacerdos. Quare solum debet dari ab Episcopis, vel Presbyteris, & non ab aliis, ut 95. *dist. Quod illud &c. & sequenti*. Item potest hoc Sacramentum iterari: quia enim iteratur morbus peccati, quandoque & infirmitas, necesse est iterari medicina Sacramenti. Prodest autem istud Sacramentum ad duo: quia citius sanantur infirmi si sint convalituri, & quia præcipue tolluntur reliquiæ peccati, & peccatum sicut patet auctoritate *Iacobi* 5. Alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit dimittentur sibi. Si autem infirmus, qui petiit unctionem, amisit loquelam antequam Sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungat eum Sacerdos, *ut extra de baptis. & eius effectu cap. Maiores*. Et quia homo vel per negligentiam, aut per occupationes varias vitæ, aut etiam propter temporis brevitatem, aut propter alia huiusmodi, prædictos defectus in se perfecte non curat: salubriter ei providetur, ut per hoc Sacramentum, prædicta curatio compleatur, & a reatu pœnæ temporalis liberetur: ut sic nihil in eo remaneat, quod in exitu animæ a corpore eum possit a perceptione gloriæ impedire; ideo *Iacobus* addit, Et si in peccatis sit &c. Unde hoc Sacramentum est ultimum, & quodammodo consumativum spiritualis curationis, quo homo quasi ad participandam gloriam præparatur, 4. *Contra gentes cap.* 73. *Opusc.* 5. *de Sacramentis Ecclesiæ, & Opusc.* 65. *de Officio Sacerdotis: & de Sacramento unctionis promiscue*.

26. *Quær.* An Corpus defuncti possit lavari, si inunctum statim moriatur?

Resp. Div. Th. Potest corpus defuncti lavari, ut moris est apud quosdam etiamsi eadem die, qua unctus est decesserit, quia talis lotio non obest defuncto, nec prodest, sed prodest vivis, qui per hoc reddunt testimonium fidei suæ, quia tale corpus in generali resurrectione habet resurgere, ut *in q.* 2. *Non æstimemus. Opusc.* 65. *de officio Sacerd. de Sacramento unctionis*.

27. *Quær.* Quare extrema unctio cum sit ultimum Sacramentum, non ponatur ultimo loco, & ordine inter Sacramenta?

Resp. Div. Th. Primo determinat Magister de Sacramentis ea, quæ ordinantur in remedium unius personæ; alia duo, quæ sequuntur, scilicet ordinis, & matrimonii, ordinantur ad bonum commune Ecclesiæ, vel totius humanæ speciei. Nam vita spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem. In vita autem corporali dupliciter aliquis præficitur; uno modo quantum ad personam propriam, alio modo per respectum ad totam communitatem societatis, in qua vivit. Respectu autem sui ipsius perficitur homo in vita corporali, primo quidem per generationem, per quam homo incipit esse, & vivere, & loco huius in spirituali vita est baptismus, qui est spiritualis regeneratio, secundum illud *ad Titum* 3. Per lavacrum regenerationis &c. Secundo per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem, & virtutem, & loco huius in spirituali vita est confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur, unde dicitur discipulis iam baptizatis *Luc. ultim.* Sedete in civitate, quo ad usque induamini virtute ex alto. Tertio per nutritionem, qua conservatur in homine vita, & virtus, & loco huius in vita spirituali est Eucharistia, unde dicitur *Io. 6.* Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: & hoc quidem sufficeret homini, si haberet & corporaliter, & spiritualiter impassibilem vitam. Sed quia homo interdum incurrit, & corporalem infirmitatem, & spiritualem, scilicet peccatum; ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate, quæ quidem est duplex: una quidem est sanatio, quæ sanitatem restituit, & loco huius in spirituali vita est pœnitentia, secundum illud *Psal.* 40. Sana animam meam, quia peccavi tibi. Alia autem est restitutio valetudinis pristinæ per convenientem dictam, & exercitium: loco huius in spirituali vita est extrema unctio, quæ removet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam: unde dicitur *Iacob.* 5. Et si in peccatis sit, dimittentur ei. Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter, uno modo per hoc, quod accipit potestatem regendi multitudinem, & exercendi actus pu-

publicos. Et loco huius in spiritnali vita est Sacramentum ordinis secundum illud *Hebr.* 7. Quod Sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro Populo. Secundo quantum ad naturalem propagationem, quod fit per matrimonium tam in corporali, quam in spirituali vita, eo quod est non solum Sacramentum, sed etiam naturæ officium. Bonum cum igitur unius sit prius, quam bonum multorum, quod ex singularibus bonis consurgit: hinc est, quod Sacramentum extremæ unctionis debuit ultimo poni inter illa Sacramenta, quæ ordinantur ad bonum unius personæ, & ante illa, quæ ordinantur ad bonum multitudinis, unde infra determinandum restat de Sacramentis, quæ ordinantur in remedium totius Ecclesiæ, scilicet de Sacramento Ordinis, quod ordinatur ad spiritualem multiplicationem, & gubernationem Ecclesiæ. In secundo de Matrimonio, quod ordinatur ad multiplicationem materialem fidelium, 26. *dist. ibi cum alia Sacramenta &c.* 3. *p. q.* 65. *art.* 1. *in corp. &* 4. *sent. dist.* 23. *in expositione, & divisione Textus Magistri.*

TRACTATUS XXVII.

De Sacramento Ordinis.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit Ordo?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Manifestum est, quod Christus Sacramentum sui Corporis, & Sanguinis in Cœna dedit, & frequentandum instituit; quia igitur Christus corporalem sui præsentiam erat Ecclesiæ subtracturus, necessarium fuit, ut institueret sibi Ministros qui Sacramenta fidelibus dispensarent. Secundum illud *Ap.* 1. *ad Corinth.* 4. Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei. Et quia quæ a Deo sunt, ordinata sunt, ut ultima per media perficerentur, & media per prima, ut *Dionys.* dicit *de Eccles. hierarc. cap.* 9. Ideo ut ista pulchritudo Ecclesiæ non deesset, posuit ordinem in ea, qui ordo in littera definitur sic. Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ per quod spiritualis potestas traditur ordinato. Signaculum hic non ponitur pro charactere interiori, sed pro eo quod exterius geritur, quod est signum interioris potestatis, & causa, 4. *Contra Gentes cap.* 74. *de Sac. Ord. &* 4. *sent. dist.* 24. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *& quæstiunc.* 2. *totum promiscue.*

Unde Concil. Trid. *Sess.* 23. *Can.* 6. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam Divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris; anathema sit.* Et *Sess.* 23. *Cap.* 1. inquit: *Sacrificium, ac Sacerdotium Dei ordinatione coniuncta sunt: hoc ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem eius, nec non peccata dimittendi, & retinendi.*

2. *Quær.* Quænam sit materia, & quænam forma huius Sacramenti?

Resp. Div. Th. Materia huius Sacramenti est illud materiale, per cuius traditionem confertur ordo, puta Presbyteratus traditur per collationem Calicis, & quilibet ordo traditur per collationem illius rei, quæ præcipue pertinet ad ministerium illius Ordinis. Forma autem huius Sacramenti est, puta Presbyteratus; Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis. Et idem est dicendum proportionabiliter in aliis consimilibus ordinibus. *Opus.* 5. *Cap. de Eccles. Sacram.*

3. *Quær.* An Ordo sit Sacramentum, & an in eo imprimatur character; & infundatur gratia?

Resp.

Resp. Div. Th. Hæc spiritualis potestas, ut dictum est, sub quibusdam sensibilibus signis hominibus traditur: huius autem sunt certæ formæ verborum, determinati actus, puta impositio manuum, inunctio, porrectio libri, vel calicis, aut alicuius huiusmodi, quod ad exequutionem spiritualis pertinet potestatis. Quandocumque autem aliquid spirituale sub signo corporali traditur hoc dicitur Sacramentum; manifestum igitur est, quod in collatione spiritualis potestatis quoddam Sacramentum peragitur, quod dicitur ordinis Sacramentum. Ad Divinam liberalitatem pertinet autem, ut cui confertur potestas ad aliquid operandum, conferantur etiam ea, sine quibus huiusmodi operatio convenienter exerceri non potest; administratio autem Sacramentorum ad quæ ordinatur spiritualis potestas convenienter non fit, nisi aliquis ad hoc a divina gratia adiuvetur, & ideo in hoc Sacramento confertur gratia, sicut & in aliis Sacramentis: & insuper quia per quemliber ordinem aliquis constituitur super Plebem in aliquo gradu potestatis in ordine ad Sacramentorum dispensationem, & cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet, quod in omnibus character imprimatur, cuius etiam signum est, quod perpetuo manent, & nunquam iterantur, 4. *Contra Gentes cap.* 74. *&* 4. *sent. dist.* 24. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *promiscue*.

Concil. Trid. *Sess.* 23. *Cap.* 3. inquit: *Dubitare nemo debet ordinem esse vere, & proprie unum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis*.

4. *Quær.* Quæ sit materia huius Sacramenti, & forma, & an contactus materiæ sit de essentia?

Resp. Div. Th. Res quæ adhibentur in hoc Sacramento sunt materia huius Sacramenti: ordo enim non confertur sine aliquo elemento materiali; ideo porrectio materiæ magis est de essentia huius Sacramenti quam tactus, tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quod tactus materiæ sit de essentia Sacramenti, quia dicitur accipe hoc, vel illud: & in forma ordinis exprimitur usus ordinis, & traditio potestatis, 4. *sent. dist.* 24. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. *ad* 1. *& quæstiunc.* 5. *ad* 3.

5. *Quær.* Quot numero sint ordines, & quæ sit eorum materia, & qui dicantur ordines simpliciter sacri, & an habeant votum annexum continentiæ?

Resp. Div. Th. Ordines sunt septem scilicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Accolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Infimi ordines deserviunt Sacerdotali ordini solum in populi præparatione. Ostiarii quidem arcendo infideles a cætu fidelium, Lectores autem instruendo Cathecumenos de fidei rudimentis, unde eis scriptura veteris Testamenti committitur legenda, Exorcistæ autem purgando eos, qui iam instructi sunt, si aliqualiter a Dæmone impediantur, a perceptione Sacramentorum. Superiores vero Ordines Sacerdotali deserviunt, & in præparatione Populi, & ad consummationem Sacramenti; nam Accolyti habent ministerium super vasa non sacra, in quibus Sacramenti materia præparatur, unde eis urceoli in sua ordinatione traduntur; Subdiaconi autem habent ministerium super vasa sacra, & super dispositionem materiæ nondum consecratæ. Diaconi autem ulterius habent aliquod ministerium super materiam iam consecratam, & prout Sanguinem Christi dispensant fidelibus, & ideo hi tres ordines, scilicet Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum sacri dicuntur, quia accipiunt ministerium super aliqua sacra, & habent actum circa rem aliquam consecratam, scilicet Sacerdos, & Diaconus habent actum circa Corpus Christi, & Sanguinem consecratum, & Subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata, & ideo eis continentia indicitur, ut sancti, & mundi sint qui sancta tractant; quamvis lato modo, quilibet ordo Ecclesiæ possit dici sacer, cum sit Sacramentum quoddam, etsi sit inter minores, 4. *contra gentes cap.* 74. *&* 4. *sent. dist.* 24. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 3.

6. *Quær.* Quomodo omnes septem ordines possint dici unum Sacramentum?

Resp. Div. Th. Distinctio ordinum non est totius integralis in partes, sed totius potestativi, cuius hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio. Tota plenitudo huius Sacramenti est in uno ordine, scilicet Sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio ordinis, & hoc significatum est in hoc, quod

quod Dominus dicit, *Num.* 11. Quando dedit Moysi septuaginta senes Populi in adiutorium: Auferam de spiritu tuo, & tradam eis, ut sustentent onus populi, & ideo omnes ordines sunt unum Sacramentum, & sicut in regno quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates, quæ sunt participationes quædam regiæ potestatis, & similiter est in ordine, ut plures in diversis officiis omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est divinius, ut dicit *Dionys. de Eccles. hierarch. cap. 5. p. 1. 4. sent. dist. 24. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1. per totam promiscue.*

7. *Quær.* Quomodo in Ecclesia tot sint ordines, cum in doctrina Christi, & Apostolorum non fiat mentio nisi de Presbyteris, & Diaconis?

Resp. Div. Th. In primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, ut patet per *Dionys. 3. cap. Eccles. Hierarch.* ubi dicit: Ministrorum alii stant ad portas templi clausas: alii aliud quid proprii ordinis operantur: alii cum Sacerdotibus proponunt super altare sacrum Panem, & benedictionis calicem: nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite in una Diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus; & Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis, ad subveniendum humanæ infirmitati, quia per unum non poterant omnia, quæ ad divina mysteria pertinent expleri sine magno gravamine, *4. sent. dist. 24. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2. & quæstiunc. 1. promiscue.*

Unde Conc. Trident. *Sess.* 23. *Can.* 2. ait: *Si quis dixerit præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & maiores, & minores, per quos velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur: anathema sit.* Et *cap.* 2. inquit: *In Ecclesia ordinatissima dispositione plures, & diversi ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent ita distributi, ut qui iam clericali tonsura insigniti essent per minores ad maiores adscenderent, nam non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacra Litteræ mentionem faciunt; & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, Subdiaconi scilicet, Acolyti, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, atque uniuscuiusque eorum propria ministeria.*

8. *Quær.* Nunc determinate de ordinibus; & primo, quid sit Tonsura, & an sit Ordo?

Resp. Div. Th. Eis, qui ad divina ministeria applicantur, primo competit tonsura. Per tonsuram quis efficitur Clericus, ut *extra de ætate, & qualitate Ordinand.* Et rasura debet esse ad modum coronæ, quia corona est signum regni. Quia illi, qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem. Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum, ex parte superioris per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur, & ex parte inferiori per tonsuram significatur temporalium abiectio, ne sensus temporalibus obvolvatur. Et sic ministri Ecclesiæ a populo separantur ad vacandum divino cultui. Ad hoc non exigitur aliqua potestas ordinis, sed solum quædam deputatio ad ea, quæ communiter a toto ministrorum collegio fiunt, sicut dicere divinas laudes, & ideo tonsura non est ordo, sed præambulum ad ordinem. Et quia per coronam deputatur homo ad divinum cultum, ideo etiam talis deputatio debet fieri per summum Ministrorum, scilicet Episcopum, qui etiam vestes benedicit, & vasa, & omnia, quæ ad divinum cultum applicantur, *4. sent. dist. 24. q. 3. art. 1. per totum, & opusc. 65. cap. 9. promiscue.*

9. *Quær.* Quid sit officium Ostiarii?

Resp. Div. Th. Ostiarii, ait *Magister in Littera*, idem & ianitores sunt, qui in veteri testamento electi sunt ad custodiam templi, ut non ingrederetur in illud immundus. Dicti sunt etiam Ostiarii, eo quod præsint ostiis templi, ipsi enim tenentes clavem omnia intus, & extra custodiunt, atque inter bonos, & malos habentes iudicium, dignos recipiunt, indignos respuunt. Unde & eis, cum ordinentur, claves Ecclesiæ dantur ab Episcopo; & dicitur eis: Sic agite tamquam rationem Deo reddituri pro rebus, quæ clavibus istis recluduntur. Quidam sunt omnino infideles credere non volentes, & hi totaliter a visione divinorum, & a cætu fidelium arcendi sunt, & hoc præci-

cipue pertinet ad Ostiarios, 4. *sentent. dist.* 24. *in Littera*, *&* *q.* 2. *art.* 1. *quæstiuncula* 2.

10. *Quær.* Quid sit officinm Lectoris?

Resp. D. Th. *Magister in Littera*, ait: Secundus est gradus Lectorum. Lectores a legendo vocati sunt. Ad Lectores autem pertinet Lectiones pronunciare, ut iam ex officio in Ecclesia legant Prophetias, & Lectiones. Unde & Lectori, vidente populo, traditur ab Episcopo Codex divinarum Lectionum, sive Epistolarum, & dicitur ei: Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter impleveris officium, partem cum his, qui bene verbum Dei ministraverunt. Ad Lectorem vero non pertinet tradere intellectum sacræ Scripturæ populo, quia hoc est superiorum ordinum, sed solum pronuntiare; & ideo ab eo non exigitur, quod habeat tantum de scientia, quod sacram Scripturam intelligat, sed solum quod recte pronuntiare sciat; & quia talis scientia de facili addiscitur, & a multis, & ideo probabiliter æstimari potest, quod ordinatus talem scientiam acquiret, si etiam tunc non haberet, maxime si in via ad hoc esse videatur, 4. *sent. dist.* 24. *in Littera*, *&* *q.* 1. *art.* 3. *questiuncula* 2. *ad* 3.

11. *Quær.* Quid sit officium Exorcistæ?

Resp. Div. Th. *Magister in Littera*, ait: Tertius est ordo Exorcistarum. Exorcistæ autem ex Græco in Latinum adiurantes, vel increpantes vocantur. Invocant enim super eos, qui habent spiritum immundum, nomen Domini, adiurantes per eum, ut egrediatur ab eis. Ad Exorcistam pertinet Exorcismis memoriter retinere, manusque super energumenos in exorcizando imponere. Debet habere spiritum mundum, qui spiritibus immundis imperat. Ne dicatur ei, Medice, cura te ipsum. Hi cum ordinantur accipiunt de manu Episcopi librum exorcismorum, & dicitur eis: Accipite, & habetote potestatem imponendi manus super energumenos, & cathecumenos, non quidem principaliter, sed sicut in his Sacerdoti ministrantes. Nam quidam sunt fideles, & instructi, sed impedimentum habent ex dæmonis potestate, scilicet energumeni, & ad hoc habet ministerium ordo Exorcistarum, quia sicut se habent actus Lectorum ad actum secundarium Diaconi, & Subdiaconi, ita se habent actus Exorcistæ ad secundarium actum Sacerdotis, per quem homo totaliter a servitute diaboli liberatur, 4. *sent. dist.* 24. *in Littera*, *&* *q.* 2. *art.* 1. *questiunc.* 2. *&* *art.* 2. *ad* 8. *&* 3. *p.* *q.* 71. *art.* 4. *ad* 2.

12. *Quær.* Quid sit officium Acolyti?

Resp. Div. Th. *Magister in Littera* dicit: Quinto loco succedunt Acolyti. Acolyti vero Græce, & Latine Ceroferarii dicuntur, a deportandis cereis quando legendum est Evangelium, vel Sacrificium offerendum. Ad Accolytum igitur pertinet præparatio luminarium in sacrario. Ipse cereum portat, ipse urceolum cum vino, & aquæ suggesta pro Eucharistia Subdiaconis præparat. Hi cum ordinantur, cum edocti fuerint ab Episcopo qualiter in officio suo agere debeant, ab Archidiacono accipiunt candelabrum cum cereo, & urceolum vacuum; nam Accolyti habent actum super urceolum tantum, non super ea, quæ in urceolo continentur, Subdiaconus habet actum super contentis in urceolo, quia aqua utitur, & vino ad ponendum in calice, sicut & Subdiaconus habet actum solum super calicem, non super contenta, sed Sacerdos super contenta; & ideo sicut Subdiaconus in sui ordinatione accipit calicem vacuum, Sacerdos plenum, ita Accolytus urceolum vacuum, ut dicitur in *Littera*, sed Subdiaconus plenum; & quia principaliter actus Accolyti est quo ministrat urceolo, quam quo ministrat candelabro, quamvis denominetur ab actu secundario, quia nomen Accolyti cerei portationem signat; ideo in datione urceoli imprimitur character virtute verborum ab Episcopo pronunciatorum, & quia corporalis actus Accolyti magis de proximo ad actum Sacrorum Ordinum, ideo inter minores ordines, ordo Accolytorum est superior, 4. *sent. dist.* 24. *quest.* 2. *art.* 2. *ad* 6. *&* *ad* 8. *&* *art.* 3. *ad* 6.

13. *Quær.* Quid sit officium Subdiaconi?

Resp. Div. Th. *Magister in Littera* dicit: Quintus est ordo Subdiaconorum. Græce Hypodiaconus vocatur, quo nos Subdiaconus dicimus. Ideo sic appellantur, quia ad Subdiaconum pertinet calicem, & patenam ad altare Christi deferre, & Levitis, sive Diaconis tradere, eisque ministrare. Ilis lex continentiæ imponitur, seu votum castitatis, quia altari

ri propinquantes vasa Corporis, & Sanguinis Christi portant, & oblationes in altari ponunt. Hi cum ordinantur accipiunt de manu Episcopi patenam, & calicem vacuum, & ideo characterem accipit Subdiaconus in hoc, quod datur ei calix ab Episcopo. Subdiaconus habet etiam actum super contentis in urceolo, quia aqua utitur, & vino ad ponendum in calice, & aquam iterum manibus Sacerdotis præbet; & iterum oblationes in altari ponere, & Epistolam legere ad Subdiaconum pertinet. Similiter etiam Crucem ferre, & hoc secundum consuetudinem aliquarum Ecclesiarum. *Dist.* 25. *cap. Subdiaconus*, quia in actibus secundariis non est inconveniens diversas consuetudines esse, 4. *sent. dist.* 24. *in Littera*, *&* *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. *&* *art.* 2. *ad* 3. *&* *ad* 6. *&* *iterum dist.* 25. *art.* 1. *ad* 2.

14. *Quær.* Quid sit officium Diaconi?

Resp. Div. Th. *Magister in Littera* dicit: Diaconorum ordo sextum tenet locum. Hic ordo in veteri testamento Levi nomen accepit; dicuntur enim & Levitæ. Hi Græce Diaconos, Latine Ministri dicuntur, quia in Diacono ministerii dispensatio habetur. Ad Diaconum pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, scilicet Baptismo, in Chrismate, in Patena, & Calice. Diaconi cum ordinantur, solus Episcopus eis manum imponit, quia ad ministerium applicantur. Ponit eis orarium, idest stolam super levum humerum, quia quidquid laboris, & sustinentiæ in hac vita tolleratur, quasi in leva portatur, donec in dextera, idest in æternitate, requies habeatur. Accipiunt & Textum Evangelii, ut intelligant se esse præcones Evangelii Christi. Unde potestas Diaconi est media inter potestatem Subdiaconi, & Sacerdotis; Sacerdos enim directe habet potestatem supra Corpus Christi, Subdiaconus autem super vasa tantum; sed Diaconus super Corpus in vase contentum; unde eius non est tangere Corpus Christi, sed portare Corpus Christi in patena, & dispensare Sanguinem cum calice. Ideo eius potestas ad actum principalem non exprimitur nec per dationem vasis tantum, nec per dationem materiæ, sed exprimitur potestas eius per actum secundarium, in hoc quod datur sibi liber Evangeliorum, & in hac potestate intelligitur alia. Et sicut Subdiaconus characterem recipit in ipsa calicis vacui porrectione, ita in ipsa libri datione imprimitur character Diacono, quia ad Diaconum pertinet recitare Evangelium in Ecclesia, & prædicare ipsum per modum catechizantis; quia dicere, idest exponere Evangelium concionando pertinet proprie ad Episcopum, cuius actus est perficere, secundum *Dionysium* 3. *&* 5. *cap. Eccles. Hierarch.* Perficere autem idem est, quod docere; unde non sequitur, quod proprie ad Diaconos pertineat evangelizare ex officio, 4. *sent. dist.* 24. *in Littera*, *q.* 2. *art.* 3. *ad* 5. *&* 3. *p.* *q.* 67. *art.* 1. *ad* 1.

15. *Quær.* Quid sit officium Presbyteri?

Resp. Div. Th. *Magister in Littera* dicit: Septimus est ordo Presbyterorum. Presbyter Græce, Senior interpretatur Latine. Non modo pro ætate, sed propter honorem, & dignitatem, quam acceperunt, Presbyteri nominantur, qui morum prudentia, & maturitate conversationis præcellere dicuntur populo. Presbyteri quoque Sacerdotes vocantur, quia sacra dant. tamen Pontificatum apicem non habent, sicut Episcopus, quia ipsi nec chrismate signant, nec per impositionem manus Paraclitum dant, quod solum debetur Episcopis. Ad Presbyterum autem pertinet Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere, & dona Dei benedicere. Unde Sacerdos habet duos actus, unum principalem supra Corpus Christi verum, & alterum secundarium supra Corpus Christi mysticum; secundus autem actus dependet a primo, sed non convertitur, & ideo aliqui ad Sacerdotium promoventur, quibus committitur primus actus tantum. Ligare, & solvere respiciunt Corpus Christi mysticum, similiter & docere; & ideo qui non tenentur aliis prælatione, vel ex commissione, potest ab illis actibus cessare. Consecratio autem est actus ordinatus ad Corpus Christi verum, nec respicit Corpus Christi mysticum, nisi ex consequenti, & ideo tenetur Deo, ut reddat ei Sacrificium acceptum. Hoc facite in meam commemorationem. Quia igitur principalis actus Sacerdotis est consecrare Corpus, & Sanguinem Christi, ideo in ipsa da-

datione Calicis præparati sub forma verborum determinata, caracter Sacerdotalis imprimitur. Sacerdotalis vero potestas, quantum ad actum secundarium, qui est ligare, & absolvere, datur in impositione manuum; quia Dominus dedit Sacerdotalem potestatem quantum ad principalem actum ante passionem in Cœna Domini, quando dixit, Accipite, & manducate; unde subiunxit: Hoc facite in meam commemorationem: sed post Resurrectionem dedit eis Sacerdotalem potestatem quantum ad actum secundarium, qui est ligare, & absolvere, quando dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. *Joann.* 20. 4. *sent. dist.* 19. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 1. *& iterum dist.* 13. *q.* 1 *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *ad* 2. *& iterum* 4. *sent. dist.* 24. *q.* 2. *art.* 3. *in corp. & ad* 2.

16. *Quær.* Quid sit Episcopatus, an sit supra Sacerdotium?

Resp. D. Th. Quia vero horum omnium ordinum collatio cum quodam Sacramento perficitur, ut dictum est, Sacramenta vero Ecclesiæ sunt per aliquos Ministros Ecclesiæ dispensanda: ideo necesse est aliquam superiorem potestatem esse in Ecclesia alicuius altioris ministerii, quæ ordinis Sacramentum dispenset, & hæc est Episcopalis potestas: quæ etsi, quantum quidem ad consecrationem Corporis Christi non excedat Sacerdotis potestatem, excedit tamen eam in his, quæ pertinent ad fideles; nam & ipsa Sacerdotalis potestas ex Episcopali derivatur: & quidquid arduum circa populum fidelem est agendum, Episcopis reservatur, quorum auctoritatem, etiam Sacerdotes possunt hoc, quod eis agendum committitur; unde & his, quæ Sacerdotes agunt, utuntur rebus per Episcopum consecratis; ut in Eucharistiæ Sacramento utuntur consecratis per Episcopum calice, altari, & palliis. Sic igitur manifestum est, quod summa regiminis fidelis populi ad Episcopalem pertinet dignitatem. Manifestum est autem, quod quamvis populi distinguantur per diversas Diœceses, & Civitates, tamen sicut una est Ecclesia, ita oportet esse unum populum Christianum. Sicut igitur in uno speciali populo unius Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi caput; ita in toto populo Christiano requiritur, quod unus sit totius Ecclesiæ caput. Per hoc autem excluditur quorumdam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia, & subiectione Petri, successorem eius Romanum Pontificem, universalis Ecclesiæ Pastorem non recognoscentes. Unde in *Littera Magister* dicit, quod Ordo Episcoporum quadripartitus est, scilicet in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, & Episcopis; sed omnium summus est Romanus, 4. *contra gentes, cap.* 76. *&* 4. *sent. dist.* 24. *in Littera, & q.* 3. *art.* 2.

17. *Quær.* An soli Episcopi sint Ecclesiæ proprie Prælati, & administratores Sacramentorum?

Resp. Div. Th. Solus Episcopus Prælatus Ecclesiæ dicitur, & ipse solus quasi sponsus, annulum Ecclesiæ recipit, & ideo solus ipse habet plenam potestatem in dispensatione Sacramentorum, & iurisdictionem in foro causarum, quasi persona publica; alii autem secundum quod ab eis committitur. Unde ipse solus confirmat, solus ipse virgines benedicit, ipse præcipue in ministris ordinum ordinandos consecrat, & vasa, quibus uti debent eis determinat sua consecratione. Papa vero, qui habet plenitudinem potestatis Pontificalis, potest committere non Episcopo ea, quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Christi: & ideo ex eius commissione, aliquis Sacerdos simpliciter, potest conferre minores ordines, & confirmare, non autem aliquis non Sacerdos. Nec iterum Sacerdos ille maiores ordines, quia habent immediatam relationem ad Corpus Christi, supra quod Papa non habet potestatem. Præterea Episcopi ut Prælati habent novem ornamenta, quæ sunt Caligæ, Sandalia, Succintorium, Tunica, Dalmatica, Mitra, Chirotecæ, Annulus, & Baculus. Quia novem sunt, quæ supra Sacerdotem possunt. Scilicet Clericos ordinare, ut dictum est, Virgines benedicere, Basilicas dedicare, Clericos deponere, Synodos celebrare, Chrisma conficere, vestes, & vasa consecrare. Per annulum præcipue, quo Ecclesia desponsatur Christo, Episcopi sunt Ecclesiæ sponsi loco Christi. Sed ulterius Archiepiscopi habent pallium in signum privilegiatæ potestatis; significat enim torquem aureum,

reum, quam solebant legitime certantes accipere; non habent tamen immediatam iurisdictionem in omnes sui Archiepiscopatus, nisi ex appellatione, 4. *sentent. dist.* 20. *q.* 1. *artic.* 4. *&* *dist.* 24. *q.* 3. *art.* 4. *&* *dist.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *in corp. & ad* 3. *quodlib.* 12. *art.* 30.

„ Circa iurisdictionem externam Episcoporum quatenus conducit ad rectum regimen Ecclesiarum, iam supra dictum est in quæstionibus de obligatione, quæ est annexa cuicumque status in Præc. Dec. pag. 125. & seqq. Nihil in hac vita, & maxime in hoc tempore difficilius, ait *Aug.* officio Episcopi, vel Presbyteri, si perfunctorie, vel adulatorie res agatur: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militent, quo noster Imperator iubet, ut 40. *dist. Ante omnia.* Div. Th. *Opusc.* 65. *de offic. Sacerdotis in fine.*

Unde Conc. Trident. *Sess.* 23. *cap.* 4. *Sacra Synodus declarat, præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt ad hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut Apost. ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse; ac Sacramentum confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.*

Unde *Can.* 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem: anathema sit.*

18. *Quær.* An Episcopatus sit ordo, & quisnam possit Episcopum consecrare?

Resp. Div. Th. Ordo potest accipi dupliciter; uno modo secundum quod est Sacramentum, inquantum quod ordinatur omnis ordo ad Eucharistiæ Sacramentum. Unde cum Episcopatus non habeat potestatem superiorem Sacerdote, quantum ad hoc non erit Episcopatus ordo; alio modo potest considerari ordo, secundum quod est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum, & sic cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra Sacerdotem, Episcopatus erit aliquariter ordo. Ordo vero, secundum quod est Sacramentum imprimit characterem. Sed licet secundo modo detur aliqua potestas spiritualis Episcopo in sui promotione respectu aliquorum Sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris, quia per eam non ordinatur homo directe ad Deum, sed ad Corpus Christi mysticum, tamen indelebiliter manet sicut character, quia per consecrationem datur. Et cum quantum ad ea, quæ sunt Episcopalis ordinis omnes Episcopi sint æquales, propter hoc etiam quilibet alium potest consecrare, quia etiam Hostiensis Episcopus consecrat Papam, scilicet hunc hominem, ut sit Papa, 4. *sent. dist.* 24. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiun.* 2. *per totam, & dist.* 25. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2.

Concil. Tridentin. *Sess.* 23. *Can* 8. *Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur non esse legitimos, & veros Episcopos, sed figmentum humanum: anathema sit.*

Et *Cap.* 2. *de reformat. Consecratio vero, si extra Curiam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in Provincia, si commode fieri poterit, celebretur. Si autem munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur.*

19. *Quær.* An Episcopi hæretici, & schismatici possint ordinare; & sic ordinati possint exercere ordines?

Resp. Div. Th. Etiam Episcopi præcisi ab Ecclesia possunt ordines, & alia sacramenta conferre, dummodo formam debitam, & intentionem servent, sed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam Sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis sacramenta contra prohibitionem Ecclesiæ; quia hoc ipso, quod aliquis hæretico præciso ab Ecclesia in sacris communicat, peccat, & ita fictus accedit, & sic gratiam consequi non potest, nisi forte in baptismo in articulo necessitatis. Præterea illi, qui ab hæreticis promoventur, quamvis accipiant ordinem, non tamen recipiunt exequutionem, ut licite possint in suis ordinibus ministrare, 4 *sent. dist.* 25. *q.* 1. *art.* 2. *in corp. & ad* 3.

20. *Quær.* An ad susceptionem ordinum requiratur omnino baptismus, & confirmatio?

Resp. Div. Th. Ad susceptionem ordinis præexigitur aliquid, quasi de necessitate Sacramenti, & aliquid de congruitate. De necessitate Sacramenti præexigitur, quod ille, qui accedit ad ordines, sit ordinis susceptivus, quod competit ei per baptismum. Nam per characterem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum, cum baptismus sit ianua omnium Sacramentorum. Unde qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum Sacramentum suscipere potest. Et sic character ordinis, baptismalem characterem præsupponit; & si talis ad Sacerdotium sine baptismo promoveatur, non est Sacerdos, nec conficere potest, nec absolvere in foro pœnitentiali. Et si etiam in Episcopum promoveatur, illi, quos ordinat, non habent ordinem, sed tamen pie credi potest, quod quantum ad ultimos effectus Sacramentorum, Christus Summus Sacerdos suppleret ad defectum, & quod non permitteret hoc ita latere, quod periculum Ecclesiæ imminere posset. Sed quia de congruitate ordinis requiritur etiam omnis perfectio, per quam aliquis reddatur idoneus ad illius exequutionem, & unum de istis sit confirmatio; ideo de congruitate character ordinis, characterem confirmationis præsupponit, non tamen de necessitate. Nam Apostoli receperunt potestatem ordinis ante Ascensionem. *Io.* 20. ubi dictum est eis: Accipite Spiritum Sanctum; sed confirmati sunt post Ascensionem per adventum Spiritus Sancti, 4. *sent. dist.* 24. *q.* 1. *artic.* 2. *questiunc.* 3. *in corp. & ad* 1. *& questiunc.* 4. *in corp.*

Concil. Trid. *Sess.* 23. *de refor. cap.* 4. inquit: ***Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint.***

21. *Quær.* An bonitas vitæ, & morum requiratur tam in ordinatione, quam in exequutione ordinum, ut quis non peccet?

Resp. Div. Th. Cum in quolibet ordine aliquis constituatur dux aliis in rebus divinis, ideo sanctitas vitæ requiritur ad ordines de necessitate præcepti, sed non de necessitate Sacramenti. Unde si malus ordinatur, nihilominus ordinem habet, tamen quasi prosumptuosus mortaliter peccaret, qui cum conscientia peccati mortalis ad ordines accederet. Et si peccat mortaliter, qui cum peccato mortali ad ordines accedit, multo fortius peccat mortaliter in qualibet exequutione sui ordinis. Hoc autem est de iure naturali, ut homo sancta sancte pertractet, & contra hoc nullus potest dispensare, & toties mortaliter peccat quandocumque exhibet se in aliquo actu, ut Ministrum Ecclesiæ, durante tali conscientia, quod ille in peccato mortali esset. Ideo *Hieron. super Epistol. ad Titum, cap.* 2. dicit: Quod non solum Episcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident, sermone, & conversatione præcedant, verum etiam inferiores ordines, & gradus, & omnes, qui Domini oraculo deserviunt: quia vehementer Ecclesiam Dei destruit meliores esse laicos, quam Clericos. Et Episcopus peccat indignos promovens; debet enim adhibere maximam diligentiam ad sciendum, an illi, qui accedunt ad ordines sint digni, ut fieret diligens inquisitio de moribus, & scientia eorum. Et a Domino describitur fidelis, qui est servus constitutus super familiam, ut det illis tritici mensuram; & ideo infidelitatis reus est, qui aliter super mensuram eius divina tradit. Hoc autem facit quicumque indignum promovet, & ideo mortale crimen committit, quasi summo Domino infidelis, & præcipue cum hoc in detrimentum Ecclesiæ vergat, & honoris divini, qui per bonos ministros promovetur: Melius esset habere paucos ministros bonos, quam multos malos, ut dicit Beatus *Clemens*, & habetur *dist.* 23. *cap. Tales ad ministerium*. Et Deus numquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei ministri sufficienter ad necessitatem plebis, si digni promoveantur, & indigni repellantur. Nec sufficit, quod nesciat ordinans aliquid contrarium sanctitatis in ordinando esse, sed etiam exigitur amplius, ut secundum mensuram ordinis, vel officii iniungendi diligentior cura habeatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum; & hoc est, quod *Apost.* dicit 1. *Timot. cap.* 5. Manus cito nemini imposueris, 4. *sent. dist.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *questiun.* 1. 4. & 5. *per tot. & promiscue*.

Unde Concil. Trid. *Sess.* 23. *de refor. cap.* 4. 5. & præcipue 7. decernit, ***Ut quando Episcopus ordinationem facere dispo-***

dispofuerit, omnes, qui ad facrum ministerium accedere voluerint, Sacerdotibus, & prudentioribus viris peritis divinæ legis, ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investigent, & examinent, de quibus probabiliter coniectura non sit, eos non secularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent hoc vitæ genus elegisse.

22. *Quær.* Quæ scientia requiratur in ordinando?

Resp. Div. Th. In quolibet actu hominis, si debet esse ordinatus oportet, quod adsit directio rationis; unde ad hoc, quod homo ordinis officium exequatur, oportet, quod habeat tantum de scientia, quæ sufficiat ad hoc, quod dirigatur in actu illius ordinis; ideo talis scientia requiritur in eo, qui ad ordines promoveri debet, non quod universaliter in tota Scriptura sit instructus, sed plus, vel minus, secundum quod ad plura, vel pauciora se eius officium extendit, ut illi, qui aliis præponuntur curam animarum suscipientium sciant ea, quæ ad doctrinam fidei, & morum pertinent; unde scientia legis in eis esse debet, non quidem ut sciant omnes difficiles quæstiones legis, quia in his debent ad superiores haberi recursus, sed sciant in communi probabilitatem utriusque ostendere, & sciant quæ populus debet credere, & observare de lege. Sed ad superiores Sacerdotes, scilicet Episcopos, pertinet, ut etiam ea, quæ difficultatem in lege facere possint, sciant. Et tanto magis quanto in maiori gradu collocantur. Sed quibus cura animarum non committitur, a talium ex ore non requiritur lex, sed solum quod Sacramenta conficiant, & sciant ea, quæ ad exequutionem sui ordinis pertinent, 4. *sent. dist.* 24. *q.* 1. *artic.* 3. *quæstiun.* 2. *per totam promiscue.*

Unde Conc. Trid. *Sess.* 22. *cap.* 2. *de reform.* inquit: *Quicumque ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus scientia polleat, ut muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere.*

Et *Sess.* 23. *de reform. cap.* 11. *Minores ordines iis, qui saltem Latinam linguam intelligant, conferantur, cum tunc ad altiores gradus nemo iis initietur, quem non scientiæ spes maioribus ordinibus dignum ostendat.*

23. *Quær.* An Clerici possint ordinari titulo paupertatis, sicut faciunt Religiosi; & an titulo patrimonii, sive beneficii sint ordinandi?

Resp. Div. Th. Clerici quamvis dicant cum coronantur, Dominus pars hæreditatis meæ, per hoc non renunciant patrimonio, neque aliis rebus temporalibus, quia terrenorum possessio non contrariatur divino cultui, ad quem Clerici deputantur; unde debent etiam de stipendiis Ecclesiæ sustentari, alias non videretur tunc differentia inter Clericos sæculares, & Religiosos. Immo si indigentes Clerici ad ordines Sacros sint promoti, Episcopus, qui eos promovit, debet eos providere; alias non tenetur si post ordines evadant pauperes, 4. *sent. dist.* 24. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. *& ad* 3.

Sic Concil. Trid. *Sess.* 21. *de reform. cap.* 2. *Statuit Sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius constet eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.*

24. *Quær.* A quo Clericus debeat ordinari?

Resp. Div. Th. Quod debet quilibet Clericus ordinari a suo Episcopo, vel de licentia sui Episcopi, ut 9. *quæst. &c. Opusc.* 65. *cap.* 9.

Unde Concil. Trid. *Sess.* 6. *de reform. cap.* 5. decrevit, quod *Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personis eidem Ordinario subiectis tantum: si secus factum fuerit Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab exequutione ordinum sint ipso iure suspensi.* Et *Sess.* 7. *de reform. cap.* 11. & *Sess.* 23. *de refor. cap.* 3. & 7. & 9.

25. *Quær.* An servi possint ordinari, & similiter gravati ære alieno?

Resp. Div. Th. In susceptione ordinis mancipatur homo divinis officiis. Et quia nullus potest alteri dare, quod suum non est, ideo servus, qui non habet potestatem sui, non potest ad ordines promoveri, & si tamen promoveatur, ordinem suscipit. Et similis ratio est de omnibus, qui sunt aliis obligati, ut rationibus deten-

tenti, & huiusmodi personæ. Quod si servus sit promotus sciente Domino suo, & non reclamante, ex hoc ipso efficitur ingenuus. Si autem eo nesciente, tunc Episcopus, & ille, qui præsentavit tenetur domino in duplum, quam sit pretium servi, si sciverit ipsum esse servum: alias servus, si habeat peculium debet se ipsum redimere, alioquin redigetur in servitutem domini sui, quia libertas non est de necessitate Sacramenti, licet sit de necessitate præcepti, hoc non obstante ordinem suum exequi non potest, 4. *sent. dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 1.

26. *Quær.* An homicida possit ordinari?

Resp. Div. Th. Omnes ordines referuntur ad Sacramentum Eucharistiæ, quod est Sacramentum pacis, nobis per Sanguinem Christi effusum, factæ. Et quia homicidium maxime contrariatur paci, & homicidæ magis conformantur occidentibus Christum, quam ipsi Christo occiso, cui omnes ministri prædicti Sacramenti debent conformari; ideo de necessitate præcepti est, quod non sit homicida, qui ad ordines promovetur; immo etiam Iudex & omnes, qui in causa sanguinis participant sunt pariter irregulares propter hoc, quod effusio sanguinis non decet ministros dicti Sacramenti. Nam irregularitas incurritur non propter peccatum tantum, sed principaliter propter ineptitudinem personæ ad Sacramentum Eucharistiæ, quamvis hoc non sit omnino de necessitate Sacramenti, sed solum ex necessitate præcepti: nam circa hoc sunt plura Canonum statuta, & Ecclesiæ consuetudo, 4. *sent. dist.* 25. *q.* 2. *artic.* 2. *quæstiunc.* 2. *per totam*.

Concil. Trid. *Sess.* 14. *de refor. cap.* 7. decrevit, nempe, *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit*.

27. *Quær.* An illegitimus possit ordinari?

Resp. Div. Th. Ordinati in quadam dignitate præ aliis constituuntur; ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas quædam, non de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti, ut scilicet sint bonæ famæ, bonis moribus ornati; sed quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine; ideo etiam de illegitimo thoro nati a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur, & tanto est difficilior dispensatio, quanto eorum origo est turpior. Unde dicitur *Deuter.* 33. Manzer non ingrediatur Ecclesiam Dei, hoc est de scorto natus, & habetur *Manzer q.* 1. *cap. Quod quidam* 55. *si forte*: 4. *sent. dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3.

Ideo Conc. Trid *Sess.* 23. *cap.* 5. *de refor. Promovendi natalibus, ætate, moribus, & vita a fide dignis testimonium habeant*.

Et *cap.* 18. dicit: *Ex legitimo matrimonio nati sint*.

28. *Quær.* An propter defectum aliquorum membrorum, vel propter lepram, & huiusmodi arceantur aliqui ab ordinibus?

Resp. Div. Th. Sicut ex dictis patet, aliquis efficitur ineptus ad susceptionem ordinum, vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis personæ: & ideo patientes defectum in membris impediuntur a susceptione ordinis. Si sit talis defectus, qui maculam notabilem inferat, puta lepra, & huiusmodi, vel per quem obscuretur personæ claritas, ut abscissio nasi, vel periculum in exequutione ordinis facere possit, ut morbus caducus: alias si sint defectus tollerabiles non impediuntur. Hæc autem integritas exigitur de necessitate præcepti, sed non de necessitate Sacramenti, 4. *sent. dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiun.* 4. & 2. 2. *q.* 108. *art.* 4. *ad* 2.

29. *Quær.* An pueri, & alii non habentes usum rationis possint ordinari; & quænam sit ætas in iure sancita ad ordines recte suscipiendos?

Resp. D. Th. Per pueritiam, & alios defectus, quibus tollitur usus rationis præstatur impedimentum actui, & ideo omnia illa Sacramenta, quæ actum requirunt suscipientis, pueris, & carentibus usu rationis non competunt, sicut pœnitentia, & matrimonium, & huiusmodi; sed quia potestates infusæ sunt priores actibus, sicut etiam & naturales, quamvis acquisitæ sint posteriores, remoto autem posteriori non tollitur prius. Ideo omnia Sacramenta, in quibus non requiritur actus suscipientis de necessitate Sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis divinitus datur, possunt pueri, & alii, qui usu rationis carent suscipere: hac tamen distinctione habita, quod in minoribus ordinibus re-

qui-

quiritur discretionis tempus de honestate propter dignitatem Sacramenti, sed non de necessitate præcepti, neque de necessitate Sacramenti. Unde aliqui, si necessitas adsit, & spes profectus, ad minores ordines possunt ante annos discretionis promoveri sine peccato, & suscipiunt ordinem, quia quamvis tunc non sint idonei ad officia, quæ eis committuntur, tamen per assuetudinem idonei redduntur. Sed ad maiores ordines requiritur usus rationis, & de honestate, & de necessitate præcepti propter votum continentiæ, quod habent annexum, & quia etiam eis Sacramenta tractanda committuntur. Sed ad Episcopatum, ubi in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus suscipientis curam pastoralem; & ideo est etiam de necessitate consecrationis Episcopalis, quod usum rationis habeat. Quidam autem dicunt, quod ad omnes ordines requiritur usus rationis de necessitate Sacramenti, sed eorum dictum nec ratione, nec auctoritate confirmatur, nisi forte in Sacerdotio propter rationem attactam, quia in Corpus Christi mysticum de secundario accipitur potestas. De reliquo secundum antiqua iura homo a septimo anno usque ad duodecimum poterat accipere omnes minores ordines, a duodecimo usque ad vigesimum primum, potest accipere Accolytatum, & Subdiaconatum, in vigesimo sexto potest recipere Diaconatum: in trigesimo Presbyteratum, & postmodum potest fieri Episcopus: sed nunc abbreviatum est tempus, quia Subdiaconatum potest recipere quando pervenerit ad annos discretionis, ut possit recte cognoscere votum continentiæ, & Diaconatum circa vigesimum primum annum, & præcipue in Religiosis. Presbyter fieri potest in vigesimo quinto anno; Episcopus autem in trigesimo, 4. *senten. dist.* 25. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiun.* 2. *in corp. & clarius in expositione Litteræ*, *sive Textus*.

Conc. Trid. *Sess.* 23. *cap.* 12. *de refor.* sic decernit, *Quod nullus imposterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur.*

30. *Quær.* Quibus anni temporibus debeant conferri ordines?

Resp. Div. Th. Maiores ordines in sex temporibus anni possunt celebrari, scilicet in quatuor sabbatis quatuor temporum, & in sabbato ante Dominicam de Passione, & in vigilia Resurrectionis. Papa tamen in die Dominico, & festis præcipuis confert Subdiaconatum. Et in his etiam diebus Episcopus potest conferre minores ordines: Episcopi in die Dominico sunt ordinandi. Hoc totum habetur *de temporibus de qualit. ordin. cap. De eo*, *& cap. Subdiaconus*. 4. *sent. dist.* 25. *in exposit. Litteræ*.

Sic Concil. Trid. *Sess.* 23. *de reform. cap.* 8. *Ordinationes sacrorum Ordinum statutis a iure temporibus, publice celebrentur*.

31. *Quær.* Quanta distantia temporis debeat esse inter ordines?

Resp. Div. Th. Aliquis potest accipere omnes minores ordines una die, non tamen unum de minoribus cum Subdiaconatu, nec duo de maioribus simul; quia quamvis in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant, & poterant omnia, quæ inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu, & ducatus in regno. Nunc tamen per constitutionem Ecclesiæ determinatum est, quod ad maiores non se ingerat, qui prius in minoribus officiis se non humiliavit, seu exercuit. Potest tamen in Dominica consecrari in Episcopum, qui præcedenti die factus est Sacerdos. De illis autem, qui gradatim ad Clericatum accedunt possunt in octo annis accipere omnes ordines, ita quod in primis duobus recipiant minores, in aliis quinque tres maiores. Monacus, sive Regulares possunt omnes recipere per annum; & etiam alii dispensative propter necessitatem Ecclesiæ, 4. *sent. dist.* 24. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 5. *& dist.* 25. *in exposit. Litteræ*.

Concil. Trid. *Sess.* 23. *de refor. cap.* 11. decrevit, *Nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur*.

Et *Cap.* 13. ait: *Subdiaconi, & Diaconi ordinentur habentes bonum testimonium, & in minoribus ordinibus iam pre-*

probati, ac literis, & iis, quæ ad ordinem exercendum pertinent, sint instructi. Promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur: duo sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur, privilegiis, ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscunque.

Et *Cap.* 14. *Qui pie, & fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, & ad Presbyteratus ordinem assumuntur, & hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint.*

32. *Quær.* Quid agendum si Clericus sit ordinatus per saltum?

Resp. Div. Th. Si aliquis Clericus de ignorantia, vel oblivione omisso aliquo medio, fecerit, se ad altiorem ordinem promoveri, secundum Canones non reordinatur, quia non est de necessitate superiorum ordinum, quod aliquis minores ordines prius habeat, quia, ut supra dictum est, inferior potestas comprehenditur in superiori virtute. Sed id quod omissum fuerat de præcedentibus ordinibus ei confertur. Debet interim se abstinere ab exequutione illius ordinis, ut habetur 52. *dist. cap. Sollicitudo*, donec tempore debito, & statuto ad hoc, receperit ordinem, quem omisit, 4. *sent. dist.* 24. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 5. *& opusc.* 65. *cap.* 9. tamen est suspensus, & indiget dispensatione secundum Conc. Trid. *Sess.* 23. *cap.* 14. *de reform. Et si exerceat se in ordine, fit irregularis.*

Unde Concil. Trident. *Sess.* 23. *cap.* 14. *de refor.* ait: *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, ex legitima causa, Episcopus possit dispensare.*

33. *Quær.* Quot modis dicatur præcipue aliquis male promotus in ordinibus?

Resp. Div. Th. Aliquis dicitur male promotus dupliciter. Uno modo ex parte ordinantis, sive cum est Hæreticus, sive Simoniacus, vel quomodocumque alio modo ab Ecclesia separatus, sive cum ordinatur a non suo Episcopo sine licentia, & auctoritate proprii Episcopi, & tunc debet deponi, nisi Episcopus ponat spem in ratihabitionem alterius Episcopi, sicut de Beato Epiphanio in Epistola sua legitur: sive ordinatur ab Episcopo, qui abrenuntiavit officio, & loco, si enim officium sibi retinuerit, loco abrenuntians, potest conferre minores ordines, & de licentia Episcopi etiam maiores. Alio modo dicitur etiam male promotus, quia non promovetur, sicut debet, quod contingit dupliciter. Primo quia furtive accipit ordinem, ut cum accipit duos ordines sacros una die, vel unumquemque sine licentia Episcopi, & pœna talium est depositio, sive suspensio; & tunc si fuit super hoc lata excommunicatio, solus Papa potest cum eo dispensare: si autem non fuit potest etiam Episcopus dispensare, præcipue in minoribus ordinibus; vel si claustrum intraverit. Secundo, ut supra dictum est, quia prætermittit aliquem ordinem, & tunc si ex malitia facit, deponi debet, quamvis characterem recipiat, si vero ignoranter, debet sibi imponi pœna ab Episcopo; & interim carere exequutione, quousque ordinem prætermissum recipiat, *dist.* 78. *cap. Si quis*. Ille vero, qui simoniace reciperet sacrum ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam Sacramenti, non tamen recipit gratiam, neque ordinis exequutionem, quia quasi furtive suscepit characterem contra principalis domini voluntatem, & ideo est ipso iure suspensus, & quoad se, & quoad alios, sive peccatum eius sit publicum, sive occultum: si vero sit simoniacus, qui contulit ordinem simoniace, si est publicum, est suspensus ipso iure quoad se, & quoad alios; sed quando est occultum, est suspensus ipso iure quoad se tantum, non quoad alios. Nec propter præceptum, nec propter excommunicationem debet aliquis recipere ordinationem ab Episcopo, qui sit simoniace promotus, quamvis probare non possit, & si ordinatur non recipit ordinis exequutionem. Si autem ei non constet, non debet peccatum credere alterius, & ita cum bona conscientia debet ab eo ordinem recipere, 4. *sent. dist.* 25. *& in exposit. litteræ*, & 2. 2. *q.* 100. *art.* 6.

34. *Quær* An Episcopus teneatur alere Clericos si eos ordinaverit absque Patrimonio, seu Beneficio?

Resp. Div. Si sint indigentes Clerici ad sacros Ordines promoti, Episcopus, si eos

eos promoverit, debet eis providere, 4. *sent. dist.* 24. *q.* 3. *art.* 1. *quaestiunc.* 3. *ad* 3. *& cap. Si Episcopus in* 6. *Concil. Lateranensi.*

Cum ut ait Concil. Trid. *Sess.* 21. *cap.* 2. *Cum inquam non deceat eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem, quaestum exercere.*

35. *Quaer.* An ordines possint exerceri absque charactere?

Resp. Div. Th. Actus quatuor minorum ordinum possunt etiam exerceri per alios non ordinatos, sed non ex officio, 4. *sent. dist.* 24. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 9.

Concil. Trid. *Sess.* 23. *de refor. cap.* 18. inquit: *Si in ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis, Clerici celibes praesto non erunt, suffici possent etiam coniugati vitae probatae, dummodo non bigami, & ad omnia obeunda idonei, & qui tonsuram, & habitum Clericalem in Ecclesia gestent, cum ex Bonifac. VIII. etiam Privilegium Canonis retineant.*

36. *Quaer.* An bigamus sit capax suscipiendi ordines?

Resp. Div. Th. bigamus est ex hoc quod aliquis duas uxores successive habuit, unde *Gregorius* dicit: Praecipimus, ne unquam illicitas ordinationes facias, ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem ad sacros ordines permittas accedere, quia ille, qui aliis Sacramenta ministrare debet, nullum defectum in Sacramentis pati debet. Defectus in Sacramento est, quando Sacramenti significatio integra non invenitur: Sacramentum autem matrimonii significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam, quae est unus ad unam; & ideo requiritur ad perfectam significationem Sacramenti, quod vir sit tantum unius vir; & uxor tantum unius uxor; & ideo bigamia, quae hoc tollit, irregularitatem, seu impedimentum inducit: insuper quia concupiscentiae signum apparet in bigamis, qui una uxore contenti esse nolunt, unde in spiritualibus occupari non debent. Sunt enim quatuor modi bigamiae, Primus est, cum aliquis habet plures uxores de iure successive. Secundus cum habet simul plures uxores, unam de iure, aliam de facto, quia quamvis in uxore illegitima, & putativa non sit verum matrimonium, nec Sacramentum, est tamen simulatio Sacramenti; quod non esset in fornicario, & adulterino mere concubitu, in quo non est irregularitas. Tertius cum habet plures uxores successive, unam de iure, aliam de facto. Quartus quando viduam ducit in uxorem; & omnibus his est irregularitas adiuncta. Et hoc valet etiam si fuerit bigamus ante Baptismum, quia bigamia per baptismum non solvitur, non enim aliquis per baptismum virginitatem recuperat, similiter nec carnis indivisionem, ideo ait *Aug.* & habetur *dist.* 26. *cap. Acutius.* Sicut faemina si cathecumena, vel pagana vitiata est, non potest inter Dei virgines post baptismum velari; eadem ratione nec bigamus ante baptismum, potest postea ordinari, quia baptismus ad irregularitatem tollendam non ordinatur; nam baptismus solvit culpas, non coniugia, & hic non quaeritur quid sit peccatum, sed significatio Sacramenti matrimonii, quae est unius ad unam, sicut unus est Christus, & una Ecclesia, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 3. *art.* 1. *&* 2. *totum promiscue.*

37. *Quaer.* An Papa, & Episcopus possit dispensare cum bigamo?

Resp. Div. Th. bigamum non promoveri neque est de lege naturae, neque pertinet ad articulos fidei, neque est de necessitate Sacramenti, quod patet ex hoc, quod si bigamus ordinetur recipit ordinis Sacramentum, sed hoc pertinet ad quamdam determinationem divini cultus. Unde circa hoc potest Papa totaliter dispensare, licet dispensare non debeat, nisi ex magna, & evidenti causa; Episcopus vero quantum ad minores ordines tantum: & quidam dicunt, quod etiam quantum ad maiores in illis, qui volunt Deo in religione servire, propter vitandum Religiosorum discursum, *Quodlib.* 4. *art.* 13. *&* 4. *sent. dist.* 27. *q.* 3. *art.* 3. *promiscue.* Lucius Papa de facto dispensavit cum Panormitano Episcopo, qui erat bigamus. Hoc habetur *de sponsalib. & matrimon. cap. Requisivit, dist.* 4. *cap. Lector. dist.* 27. *q.* 3. *art.* 3. *sed contra.*

38. *Quaer.* An ordines impediant matrimonium?

Resp. Div. Th. Illi qui sunt in minoribus ordinibus constituti ex vi ordinis non prohibentur matrimonium contrahe-

re, executionem tamen ordinis etiam non sacri impedit propter servandum maiorem honestatem in officiis Ecclesiæ, gaudent tamen privilegio canonis, si non sint bigami, non vero beneficio ecclesiastico. Illi vero qui sunt in sacris ordinibus constituti, quia significant Christum nobilioribus actibus, sacra enim vasa, & Sacramenta tractant, & quamvis ordo sacer non habeat contrarietatem ad matrimonium, decens tamen est ut munditiam corporalem per continentiam servent, & ideo ordo sacer impedit matrimonium ex constitutione Ecclesiæ. Habet tamen aliter apud Latinos, & apud Græcos, quia apud Græcos impedit matrimonium contrahendum solum ex vi ordinis, sed apud Latinos ex vi ordinis, & ulterius ex voto continentiæ, quod est ordinibus sacris annexum, quod etsi verbo tenus quis non emittat, ex hoc ipso quod ordinem suscipit secundum ritum Occidentalis Ecclesiæ intelligitur emisisse. Ideo apud Orientales sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonii prius contracti usum; sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium, & matrimonii usum; nisi forte ignorante, & contradicente uxore, vir ordinem sacrum susceperit, quia tunc quamvis characterem ordinis suscipiat, tamen executione ordinis caret, nec potest petere debitum, nec uxor tenetur reddere, ipse autem uxori tenetur reddere: si vero uxor sciat, & de eius consensu vir ordinem sacrum suscepit, tenetur continentiam perpetuam vovere. Immo etiam apud Græcos si vir sacrum ordinem suscipiat obligat se ad hoc, quod ipsa in perpetuum alteri non nubat, quia sponsus Ecclesiæ est Christus, & una est Ecclesia, 4. *sent. dist.* 37. *q.* 1. *art.* 1. *&* *dist.* 37. *art.* 1. *&* 2. *per totum*.

Conc. Trid. *Sess.* 24. *de matr. Si quis dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere non obstante lege Ecclesiastica: anathema sit.*

EPILOGUS.

39. Div. Th. In quæstionibus de Sacramento ordinis.

Novem sunt ordines Ecclesiastici, ad quos Clericus finaliter promovetur, ut 25. *distinct. Perlectis*; in quorum collatione talis est ordo. In primis enim tonsura quis efficitur Clericus; ut *extra de ætate, & qualitate ordinandorum prædic. Cum contingat*. Qui aliter dicitur psalmista, 25. *dist. Perlectis, ubi ad psalmistam*: Deinde efficitur Ostiarius; deinde Exorcista; deinde Lector; deinde Accolytus; deinde Subdiaconus; deinde Diaconus; deinde Presbyter; deinde Episcopus, ut 77. *dist. cap.* 1. Clericatus autem non est omnino ordo, sed quædam professio vitæ dantium se divino ministerio; & Episcopatus magis est dignitas, quam ordo. Ad instar cælestis militiæ, ubi sunt novem ordines Angelorum, in quibus alii maiores, alii minores; & dum minores exibent reverentiam maioribus, & maiores minoribus dilectionem impendunt, fit in eis vera concordia ex diversitatis contentione, ut 79. *dist.* Materia autem huius Sacramenti est illud materiale, per cuius traditionem confertur ordo; quæ præcipue pertinet ad ministerium cuiuscumque ordinis. Forma autem huius Sacramenti, puta Presbyteratus; *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, & defunctis*; & idem dicendum in consimilibus ordinibus. Minister est Episcopus, qui confert ordines. Effectus autem huius Sacramenti est augmentum gratiæ ad hoc ut aliquis sit idoneus Minister Christi. Sacros vero ordines dicimus a Subdiaconatu, ut supra; ut 32. *dist. Erubescant*. Illi enim, qui ad hos ordines promoventur, coguntur omnino continere, & profiteri castitatem, ut 38. *dist. cap. Nullum facere Subdiaconum*. Debet autem quilibet Clericus a suo Episcopo ordinari, vel de licentia sui Episcopi, ut 9. *dist. q.* 2. *cap.* Si vero aliquis Clericus de ignorantia, vel oblivione, omisso aliquo ordine, fecerit se ad altiorem ordinem promoveri, debet se abstinere ab exequutione illius ordinis, donec tempore debito receperit ordinem, quem omisit, ut 52. *dist. cap. Sollicitudo*. Et nota, quod quilibet prædictorum ordinum habet privilegium fori sui, & enormitatis, unde non potest conveniri, nisi in foro Ecclesiæ, & quicumque percutit aliquem Clericum eo ipso incidit in excommunicationem, a qua non potest absolvi, nisi in articulo mortis, vel authori-

ritate Papæ, ut 17. *q.* 4. *Si quis suadente &c.* Non conceditur ei ministrare ad Altare, nisi cum tonsura, & veste congrua; ne faciat inde scandalum aliis 23. *dist. cap. Presbyter*, alias debet puniri, ut 23. *dist. Prohibere*, *Opusc.* 65. *cap. de Sacr. Eccles. & Opusc.* 65. *cap. de sac. ordinib.*

40. *Quær.* An liceat Clericis ferre testimonium, & dicere causam sanguinis?

Resp. Div. Th. Operari, & cooperari ad occisionem hominis Ministris Altaris non licet, & ideo secundum iurisdictionem compelli non possunt ad ferendum testimonium in causa sanguinis. Debent enim Ministri suum Dominum imitari; sunt enim electi ad Altaris ministerium, in quo repræsentatur passio Christi occisi, qui cum percuteretur non repercutiebat. Et si Prælati Ecclesiarum accipiunt officia Principum terræ, non ut ipsi iudicium sanguinis exerceant per se ipsos, sed quod eorum auctoritate per alios exerceantur; & ideo, ut sint idonei Ministri novi testamenti debent a talibus abstinere, 2. 2. *q.* 64. *art.* 4. *& q.* 70. *art* 1. *ad* 3.

EPILOGUS.

41. Additamentum ad ultim. de Sacramento Ordinis.

Clericis convenit ab omni strepitu temporalium cessare, vacare contemplationi, & orationi, quod designat rasura capitis, & corona, quam habent in signum Regni, quod expectant in Christo, utpote in sortem Domini vocati, ut 12. *q.* 1. *Duo sunt*. Tamen quidam Clerici possunt habere temporalia ad communem utilitatem indigentium, exemplo Domini 12. *q.* 1. *Habebat*, & Dominus 12. *q.* 2. *Aurum Ecclesia habet*. Quidquid enim habent Clerici de redditibus, debet esse pauperum, & domus eorum debent esse communes ad susceptionem peregrinorum, ut 16. *q. cap. ultim.* Aliter autem si ex avaritia retinent, & accumulant, apud strictum Iudicem rei sunt omnium illorum quibus convenire possunt, ut 47. *dist. Sicut ibi*. Clerici in minoribus constituti possunt contrahere matrimonium si volunt, sed in sacris ordinibus a Subdiaconatu, ut supra, nunquam, ut 32. *dist. de illo Cleric.* perdit tamen beneficium Clericus coniugatus, quia non potest habere Ecclesiam, & uxorem, seu beneficium Ecclesiasticum cum uxore, *ut extra de Cleric. coniug. cap. Ioan.* Potest autem redire ad Clericatum si habuerit unam uxorem, tamen virginem, ut 32. *dist. Nemo*, *Opusc.* 65. *cap. de Sacr. Matrim.*

TRACTATUS XXVIII.

De Sacramento Matrimonii.

QUÆRITUR PRIMO.

Quid sit, & an sit Sacramentum?

RESPONDET DIVUS THOMAS.

Quamvis homines per Sacramenta restaurentur ad gratiam, non tamen mox restaurantur ad immortalitatem. Nam modo ea, quæ sunt compatibilia perpetuari non possunt, nisi per generationem, quia tamen populum fidelium perpetuari oportebat usque ad mundi finem, necessarium fuit hoc per generationem fieri, per quam humana species suo modo nunc perpetuatur. Quando tamen aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti; generatio autem humana ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem speciei, & ad perpetuitatem alicuius boni politici, puta populi in aliqua Civitate, ordinatur etiam ad perpetuitatem Ec-

Ecclesiæ, quæ in fidelium collectione consistit. Unde oportet, quod huiusmodi generatio a diversis dirigatur. Inquantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem, a natura inclinante in hunc finem, & sic dicitur matrimonium esse officium naturæ, inquantum vero ordinatur ad bonum plurium, subiacet ordinationi civilis legis: inquantum autem ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet, quod subiaceat regimini Ecclesiæ. Ea autem, quæ populo per Ministros Ecclesiæ dispensantur, Sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur secundum quod consistit in coniunctione maris, & fœminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare, & educare, est Ecclesiæ Sacramentum: unde & quædam benedictio nubentibus per Ministros Ecclesiæ adhibetur: & sicut in aliis Sacramentis per ea, quæ exterius aguntur, spirituale aliquod figuratur; sic & in hoc Sacramento per coniunctionem maris, & fœminæ, coniunctio Christi, & Ecclesiæ figuratur, secundum illud *Apost. ad Ephesios*: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Et quia Sacramenta efficiunt quod figurant, credendum est, quod nubentibus, per hoc Sacramentum gratia conferatur; quia ubicumque datur divinitus aliqua facultas: dantur etiam auxilia, quibus homo convenienter uti possit facultate illa. Unde cum in matrimonio detur homini ex divina institutione facultas utendi sua uxore ad procreationem prolis, datur etiam gratia, sine qua id convenienter facere non posset. Matrimonium enim datur ægrotis etiam in remedium ad reprimendam concupiscentiam in sua radice per gratiam, quæ in eo datur, & ut actus, ad quem inclinat concupiscentia exterius turpitudine careat, dum honestat carnalem concupiscentiam, sicut etiam dum concupiscentiæ satisfacit in actu coniugali, ad alias corruptelas non ita incitatur homo; propter quod dicit Apostolus: Melius est nubere, quam uri, quia quamvis opera concupiscentiæ congrua in actu secundum se nata sint concupiscentiam augere, tamen secundum quod per rationem, & gratiam ordinantur, ipsam reprimunt; quod nubentibus maxime necessarium est, ut ad unionem Christi, & Ecclesiæ pertineant, & sic carnalibus, & terrenis intendant, quod a Christo, & Ecclesia nunquam disiungantur. Et sicut coniunctio Christi, & Ecclesiæ, & unius ad unam perpetuo habendam, est enim una Ecclesia, nec unquam Christus a sua Ecclesia separatur; necesse est etiam quod Matrimonium, secundum quod est Ecclesiæ Sacramentum sit unius ad unam indivisibiliter habendam, & hoc pertinet quoque ad fidem, qua sibi ad invicem vir, & uxor obligantur. Sic igitur tria sunt bona matrimonii secundum quod est Ecclesiæ Sacramentum; scilicet proles ad cultum Dei suscipienda, & educanda; fides, prout unus vir uni uxori obligatur; & Sacramentum, secundum quod indivisibilitatem habet matrimonialis coniunctio; inquantum est coniunctionis Christi, & Ecclesiæ Sacramentum. Cætera vero, quæ in matrimonio consideranda sunt infra pertractabimus. 4. *Contra Gentes cap.* 78. *&* 4. *sent. dist.* 26. *q.* 2. *art.* 1. *&* 3. *per totum promiscue*.

Unde Conc. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Sacramento Matrimonii*, inquit: *Cum matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet: merito inter novæ legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.*

Et *Can.* 1. decernit: *Si quis dixerit matrimonium non esse vere, & proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre: anathema sit.*

Nuptiæ sunt illicitæ cum actus matrimonialis sit a Satana. Error Marcionis, & Manicheorum Sæcul. 2. *Nuptiæ sunt fornicatio palliata*. Error Durandi de Waldach. Sæcul. 12. Error Sectariorum. *Nuptiæ non sunt Sacramentum*.

2. *Quer.* An in Sacramento Matrimonii imprimatur character?

Resp. Div. Th. In Sacramentis, in quibus imprimitur character, traditur potestas ad actus spirituales, sed in matrimonio ad actus corporales; unde matrimonium ratione potestatis quam se invicem coniuges acquirunt convenit cum Sacramentis, in quibus character imprimitur, & ex hoc habet inseparabilitatem, sed differt ab eis inquantum potestas illa est

ad

ad actus corporales, & propter hoc non imprimit characterem spiritualem; cum character sit spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata, *4. sent. dist.* 31. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 5 *&* 3. *p. q.* 74. *art.* 5.

3. *Quer.* Nunc quid sint sponsalia?

Resp. Div. Th. Sponsalia dicuntur futurarum nuptiarum promissio, ut habetur *ex verbis Nicolai Papæ de sponsalibus Impuberorum cap. Ubi non est*. Pro quo sciendum, quod consensus in coniugalem copulam per verba de futuro non facit matrimonium, sed matrimonii promissionem, & hæc promissio dicitur sponsalia a spondendo, ut *Isid.* dicit *lib.* 9. *Ethymol. cap.* 7. Unde aliquis est sponsus, non quia promittit, sed quia spondet, & sponsores dat; nam ante usum tabularum matrimonii cautiones dabantur quibus spondebant coniuges se invicem consentire in iure matrimoniali, & fideiussores dabant, *4. sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 1. *in corp. & ad* 1.

4. *Quer.* An sponsalia obligent in conscientia?

Resp. Div. Th. Ex promissione sponsalium obligatur unus alio ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat, & secundum hoc etiam Ecclesia cogit iniungendo pœnitentiam pro peccato; tamen in foro contentioso non compellitur, etiamsi iuramentum intervenerit, quia matrimonia coacta consueverunt malos exitus habere, *4. sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 2.

5. *Quer.* Quot modis fiant sponsalia?

Resp. Div. Th. Sponsalia dupliciter fieri possunt, scilicet absolute, & sub conditione; absolute quatuor modis: primo, nuda promissione, ut cum dicitur, accipiam te in meam, & e contrario, accipiam te in meum. Secundo, datur arrhis sponsalitiis, & pecunia, & huiusmodi. Tertio annuli subharratione. Quarto, interveniente iuramento. Si autem fiat promissio sub conditione, distinguendum est, quia aut est conditio honesta, ut cum dicitur accipiam te, si parentibus placeat, & tunc stante conditione stat promissio, & non stante, non stat; aut est inhonesta, & hoc dupliciter, quia aut est aliquid contrarium bonis matrimonii, ut si dicam, accipiam te si venena sterilitatis procures, si votum castitatis emittas, & tunc non contrahuntur sponsalia: aut non est contraria bonis matrimonii, ut si dicam, accipiam te si furtis meis consentias, & tunc stat promissio, sed tollenda est conditio, *4. sent. dist.* 27. *q.* 1. *art.* 1. *in corp.*

6. *Quer.* An conditiones appositæ minuant, vel tollant libertatem sponsalium?

Resp. Div. Th. Conditio, quæ apponitur non tollit matrimonii libertatem, quia si non est honesta, ut dictum est, debet abiici; si autem honesta, aut de bonis simpliciter, ut si dicatur prænotata conditio, si placeat parentibus, hæc conditio non tollit libertatem sponsalium, sed auget ei honestatem: aut est de utilibus, ut si quis dicat contraham tecum, si dabis mihi censum, & hoc non ponitur quasi ad vendendum consensum matrimonii, sed intelligitur, ut promissio dotis, unde ex hoc matrimonium libertatem non perdit. Quandoque autem apponitur conditio pecuniæ per modum pœnæ, & tunc quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat, nec potest exigi pœna illa ab eo, qui non vult matrimonium complere, *4. sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 4.

7. *Quer.* Quænam ætas sit necessaria pro sponsalibus contrahendis?

Resp. Div. Th. Septennium est tempus determinatum a iure sponsalibus contrahendis, & satis rationabiliter, quia cum sponsalia sint quædam promissio futurorum, ut dictum est, oportet, quod illorum compotes sint, qui aliquo modo promittere possunt, qui non est nisi illorum, qui habent aliquam prudentiam de futuris, quæ usum rationis requirit. Respectu cuius triplex status notatur, secundum *Philosoph.* 1. *Eth.* Primus est, cum in ætate puerili ante septennium, quis neque intelligit per se, neque ab alio capere potest. Secundus status est, cum homo ab alio capere potest, sed ipse per se non sufficit ad intelligendum. Tertius est, cum homo ab alio capere potest, & per se ipsum considerare; ideo ante primum septennium nulli contractui homo aptus est, & ita nec sponsalibus; sed in fine primi septennii incipit esse aptus ad aliqua promittendum in futurum, præcipue de his, ad quæ ratio naturalis inclinat magis, non tamen ad obligan-

ligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non sunt quieti motus, & fluxibilitas humorum; neque habent firmam voluntatem, ideo possunt solum tali tempore contrahi sponsalia. Sed in fine secundi septennii iam potest obligare se de his, quæ ad personam ipsius pertinent, vel ad religionem, vel ad coniugium; sed post tertium septennium etiam potest homo de aliis se obligare, & secundum leges constituitur ei potestas disponendi de rebus suis post viginti quinque annos, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 2. *in corp.*

8. *Quær.* An filii teneantur stare sponsalibus a parentibus initis absque eorum consensu ante annos pubertatis?

Resp. Div. Th. Si ante annum pubertatis fiat contractus sponsalium per alium, ambo filii, vel alter eorum reclamare possunt, unde nunc nihil est actum, adeo ut neque aliqua affinitas ex hoc contrahatur: & ideo sponsalia, quæ inter aliquos per personas alias contrahuntur, robur habent inquantum illi, inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes, non reclamant, ex quo intelligitur consentire his, quæ per alios facta sunt, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 1.

9. *Quær.* An defectus ætatis unius impediat sponsalia utriusque?

Resp. Div. Th. Sponsalia contrahentes agunt ut distinctæ personæ, quia sponsalia nonnisi inter duos esse possunt; & ideo defectus unius sponsalia impedit, nec ab altero potest suppleri. Si tamen appropinquant contrahentes ad tempus septennii, contractus sponsalium habet robur, quia secundum *Philos.* 2. *Phys.* Quod parum deest, nihil deesse videtur; hæc autem propinquitas a quibusdam determinatur tempus sex mensium; sed melius est, quod determinetur secundum conditionem contrahentium, quia in quibusdam magis acceleratur rationis usus, quam in aliis, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 6. *&* *ad* 7.

10. *Quær.* An sponsalia possint contrahi cum infideli?

Resp. Div. Th. Eadem est habitudo præsentis ad præsens, & futuri ad futurum; unde sicut quando matrimonium in præsenti contrahitur, requiritur unitas cultus in utroque contrahente (ut videbitur suo loco) ita ad sponsalia, quibus fit sponsio futuri matrimonii, sufficit conditio apposita de futura unitate cultus, 4. *sent. dist.* 39. *art.* 1. *ad* 3.

11. *Quær.* An sponsalia possint aliquando dissolvi; & primo, an dissolvantur per superveniens crimen, puta fornicationis, incestus, & homicidii, & huiusmodi?

Resp. Div. Th. Non semper est levitatis retractare, quæ prius firmata sunt, quia incertæ sunt providentiæ nostræ, ut dicitur *Sapientiæ cap* 9. Quare sponsalia præcipue propter crimen superveniens solvi possunt, puta propter alterius fornicationem, quia quamvis nondum dederint sibi mutuo potestatem corporis sponsalia contrahentes, tamen ex hoc efficiuntur sibi invicem suspecti de non servanda fide in futurum, vel de sævitia, si est occisor, vel de huiusmodi; & ideo possunt sibi præcavere unus contra alium sponsalia dirimendo. Et a fortiori si sponsus cognovit consanguineam sponsæ, vel e converso, quia non solum possunt, sed tunc debent sponsalia dirimi, & ad hoc probandum sola fama sufficit, propter scandalum vitandum. Nam causæ, quæ in futuro expectant effectus suos, impediuntur a suis effectibus non solum ex eo, quod est, sed ex eo, quod futurum est; unde sicut affinitas, si esset tempore contractus sponsalium impedivisset contractum illum, ita si interveniat ante matrimonium, quod est effectus quidam sponsalium, prior contractus ab effectu suo impeditur: nec in hoc detrahitur aliquid alteri, immo ei confertur, quia absolvitur ab eo, qui per fornicationem Deo se odiosum reddidit, 4. *sent. dist* 27. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 4. *&* *ad* 6. *&* *dist.* 39. *art.* 6. *ad* 5.

„ Olim copula cum consanguinea solvebat sponsalia usque ad quartum gradum. Nunc autem secundum Concilium Tridentinum, *Sess.* 24. *cap.* 4. *de reform. matrimonii*, solvit infra secundum gradum tantum. „

12. *Quær.* An sponsalia possint solvi per ægritudinem supervenientem?

Resp. Div. Th. Si ante contractum matrimonium aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum, inter quos sunt contracta sponsalia, quæ ipsum nimis debilitet, ut epilepsia, vel paralysis, aut eum deformet, ut abscissio nasi, vel orbitas oculorum, vel aliquid huiusmodi, aut quæ sunt contra bonum prolis, ut puta lepra, quæ solet prolem inficere, possunt sponsalia dirimi, ne sibi invicem displiceant,

ceant, & matrimonium sic contractum malum exitum sortiatur, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 3.

13. *Quær.* An sponsalia possint solvi quando alter ad longinquam regionem se transfert?

Resp. Div. Th. Hoc quæsitum determinatur ex hoc, quod alter non comparet tempore statuto ad matrimonium perficiendum; unde si ex parte eius non defuit quin matrimonium compleret, potest licite alteri nubere sine aliquo peccato; si autem per eum stetit quod matrimonium non est completum, debet agere poenitentiam de peccato fractæ promissionis, aut iuramenti, si iuramentum intervenit, & contrahere cum alia, si vult, iudicio Ecclesiæ, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 2.

14. *Quær.* An per mutuum consensum dirimantur sponsalia?

Resp. Div. Th. Quidam non recipiunt istum casum, sed contra eos est *Decret. de sponsalibus, & matrim. cap. Preterea*, quæ expresse dicit: Ad instar eorum, qui societatem fidei contrahunt, & postea eamdem sibi remittunt, potest in patientia tollerari, si mutuo se absolvunt, qui sponsalia contraxerunt. Sed ad hoc dicunt, quod Ecclesia magis hoc sustinet, ne peius eveniat, quam hoc sit de iure; sed hoc non videtur exemplo convenire, quod *Decret.* adducit, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 5.

15. *Quær.* An sponsalia dirimantur altero Religionem intrante?

Resp. Div. Th. Sponsalia contracta absolute dirimuntur, cum unus eorum ad Religionem confugit, & dicuntur solvi per mortem spiritualem: per votum etiam simplex sunt dirimenda sponsalia, si votum erat ante sponsalia, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 2. *art* 3. *ad* 1. *& dist.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *questiunc.* 2. *ad* 1. *in fine*.

16. *Quær.* An sponsalia dirimantur, quando per consensum de præsenti alter contrahit matrimonium cum alia persona, & quid si carnaliter iam cognoverat primam sponsam?

Resp. Div. Th. Quia secundus contractus matrimonii est fortior primo, ideo solvit ipsum. Si quis vero defloravit aliam sub specie matrimonii, antequam aliam duxisset, tenebatur vere eam ducere in uxorem, si sint æqualis conditionis, vel si sponsa sit melioris conditionis. Sed si aliam duxerit, iam factus est impotens ad solvendum illud, ad quod tenebatur, & ideo sufficit si ei de nuptiis providerit: & ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, si sponsus fuerit melioris conditionis, vel quantum ad nobilitatem, vel quantum ad fortunam, aut aliud signum evidens appareat fraudis, quia præsumi probabiliter potest, quod sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 2. *artic.* 3. *ad* 7. *& distinct.* 28. *artic.* 2. *ad* 4.

17. *Quær.* An sponsalia in prædictis casibus solvantur eodem iure, & modo?

Resp. Div. Th. In omnibus prædictis casibus sponsalia contracta dirimuntur, sed diversimode, quia in duobus scilicet cum quis ad Religionem confugit, & cum alter coniugum cum altera persona per verba de præsenti contrahit, vel affinitatem contraxit per copulam, ipso iure sponsalia dirimuntur: sed in aliis casibus dirimi debent secundum iudicium Ecclesiæ, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 3. *in corp.*

18. *Quær.* Quid sit matrimonium in ratione contractus?

Resp. Div. Th. Matrimonium est viri, mulierisque coniunctio maritalis inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens. Hæc definitio in *Littera Magistri* posita, tangit essentiam matrimonii, scilicet coniunctionem, & addit determinatum subiectum in hoc quod dicit inter legitimas personas. Ponit etiam differentiam contrahentem ad speciem in hoc, quod dicit maritalis, quia cum matrimonium sit coniunctio, talis coniunctio in speciem trahitur per *ly* maritalis, hoc est, quod ad maritum pertinet, quia ut dicit *Apost.* 1. *Cor.* 11. Vir non est propter mulierem, sed mulier propter virum; & iterum: Caput autem mulieris est vir. Et ideo hæc differentia potius sumitur a viro, quam a muliere, sicut e contra accidentaliter magis pertineat ad rationem nominis matrimonii mater, quam pater, licet pater sit dignior, quia circa prolem magis officiosa est mater, quam pater, & sit magis homini in adiutorium prolis. Ponit etiam virtutem huius coniunctionis, quia indissolubilis est in hoc, quod dicit individua, quia iam non sunt duo, sed una caro, & una vita commu-

nis

nis in rebus domesticis, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 1. *art.* 1. *quaestiunc.* 3.

19. *Quaer.* In quo consistat materia, & forma matrimonii, & quomodo perficiatur?

Resp. Div. Th. Matrimonium hoc perficitur per actum eius, qui Sacramento illo utitur, sicut poenitentia: nam sicut poenitentia non habet aliam materiam, nisi ipsos actus sensui subiectos, qui sunt loco materiae; ita est de matrimonio. Verba vero, quibus consensus matrimonialis exprimitur de praesenti, sunt forma huius Sacramenti. Non autem benedictio Sacerdotis, quae est quoddam Sacramentale, 4. *sent. dist.* 26. *q.* 2. *art.* 1. *& dist.* 28. *q.* 1. *art.* 3.

20. *Quaer.* An denunciationes, & aliae solemnitates sint de essentia?

Resp. Div. Th. Sicut in aliis Sacramentis quaedam sunt de essentia Sacramenti, quibus omissis non est Sacramentum; quaedam autem ad solemnitatem Sacramenti pertinent, quibus omissis verum perficitur Sacramentum, quamvis peccet, qui omittit: nam si servetur debita materia, scilicet si sunt personae legitimae ad contrahendum, legitimae *inquam, ut modo vult Concil. Trid. Sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. Nam legitime non censentur, si non sint coram Parocho, & testibus*, & debita forma, scilicet verba de praesenti, consensum exprimentia, ibi est verum matrimonium, quia haec duo sunt de essentia Sacramenti. Alia autem omnia sunt de solemnitate Sacramenti, quia ad hoc adhibentur, ut matrimonium conveniens fiat. Unde etsi omittantur, verum matrimonium est, quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur, 4. *sent. dist.* 28. *q.* 1. *art.* 3.

21. *Quaer.* An consensus sit causa efficiens matrimonii?

Resp. Div. Th. In omnibus Sacramentis est aliqua spiritualis operatio mediante materiali operatione, quae eam significat: cum igitur in matrimonio sit quaedam spiritualis coniunctio inquantum matrimonium est Sacramentum, & aliqua coniunctio materialis, secundum quod est officium naturae, & civilis vitae, oportet mediante materiali fiat spiritualis, virtute divina. Unde cum coniunctiones materialium contractuum fiant per mutuum consensum, oportet, quod hoc modo fiat matrimonialis coniunctio, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *quaestiunc.* 1.

„ Ista solemnitas tamen de praecepto „ a Concil. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. praere- „ quiritur, & eius omissio est culpabilis, „ licet non officiat substantiam matrimo- „ nii, scilicet, (*Sacri Lateranensis Concil. sub Innocentio III. celebrati, vestigiit inhaerendo*) *praecipit, ut inposterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum, quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum apponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur; ubi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque Provinciae ritum; nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit ut praedictae denunciationes remittantur, quod illius prudentiae, & iudicio Sancta Synodus relinquit.*

Postremo Sancta Synodus Coniuges hortatur, *ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pie accedant.*

22. *Quaer.* An iste consensus debeat exprimi verbis, vel saltem nutibus, & signis?

Resp. Div. Th. Ex supra dictis patet, quod coniunctio matrimonialis fit ad modum obligationis in contractibus materialibus. Et quia materiales contractus non possunt fieri, nisi sibi invicem voluntatem suam verbis promant, qui contrahunt; ideo etiam oportet, quod consensus matrimonium faciens, verbis exprimatur. Praeterea matrimonium est Sacramentum quoddam; sed in omni Sacramento requiritur aliquod sensibile signum; ergo etiam in matrimonio, & ita oportet esse verba exprimentia consensum sensibiliter. Et si aliqui sint muti, vel diversarum linguarum, qui non possint vota sua verbis exprimere, debent saltem nutibus exprimere, & tales nutus pro verbis computantur, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *quaestiunc.* 2. *per totam*.

23. *Quaer.*

23. *Quær.* An si parentes præsente filia per verba etiam de præsenti promittant nomine filiæ, sit verum matrimonium?

Resp. Div. Th. *Ugo de S. Vict. lib.* 2. *de Sacram. p.* 2. *cap.* 4. dicit: Eos, qui coniunguntur, sic oportet consentire, ut invicem se spontanee recipiant; quod indicatur fieri, si in desponsatione non contradicant: unde verba parentum computantur in casu illo ac si essent puellæ: sunt enim sufficiens signum, quod sunt eius, si non contradicit, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 3.

24. *Quær.* An matrimonium sit validum si fiat in distans per procuratorem?

Resp. Div. Th. Potest aliquis alterum procuratorem constituere ad consentiendum, tamen si ante pœniteat, quam ille consentiat, non est matrimonium, nec in rei veritate, nec secundum iudicium Ecclesiæ, si aliquibus signis appareat eum pœnituisse; sed ex quo consensus per internuncius factus est, matrimonium tenet, ac si ipse fecisset: hoc autem intelligitur quantum ad forum Ecclesiæ, quia quantum ad forum conscientiæ, si interius dissentiat, quamvis exterius non reclamet, non est matrimonium, 4. *sent. dist.* 29. *in expositione Litteræ*.

25. *Quær.* An consensus per verba de præsenti, etiamsi desit interior consensus, faciat matrimonium in foro conscientiæ, & in foro Ecclesiæ?

Resp. Div. Th. Expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit, ait enim *Inn. III. Decret. de sponf. & matr. Tua nos*. Sine consensu nequeunt cætera fœdus perficere coniugale; immo si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est matrimonium: quia matrimonium consistit in mutua coniunctione, ita quod quis non adstringatur in foro conscientiæ vinculo matrimonii, quamvis adstringatur in foro Ecclesiæ, in quo iudicatur secundum allegata. Unde si probatur per verba de præsenti aliquis in aliquam uxorem consensisse, cogitur etiam per excommunicationis sententiam, ut eam habeat in uxorem, quamvis dicat consensum mentalem defuisse; quia iudicat Ecclesia secundum ea, quæ foris apparent, nec decipitur in iustitia, quamvis decipiatur in facto: sed ille debet potius excommunicationem sustinere, quam ad suppositam uxorem accedere, vel debet in alias regiones remotas fugere, quia dolus verborum ei non patrocinatur nec in foro pœnitentiæ, nec in foro Ecclesiæ, propterea in utroque propter hec punitur, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 4. *per totam promiscue*.

26. *Quær.* An consensus de futuro faciat matrimonium, maxime si iuramento firmetur?

Resp. Div. Th. Cum aliquis consensum suum per verba de futuro exprimit, non significat se facere matrimonium, sed promittit se facturum; ideo talis expressio consensus non facit matrimonium, sed dispositionem eius, quæ sponsalia nominantur. Et si etiam iuramentum adhibeatur pro confirmatione dictorum, illud tantum confirmat, quod in dictis significatur, nec significatum mutat: & ideo cum verba de futuro ex ipsa significatione sua habeant, quod matrimonium non faciant, quia quod futurum promittitur nondum fit: unde etiam si iuramentum adveniat, nondum est matrimoninm factum; nam in aliis civilibus contractibus, qui verbis futuris utitur, non transfert potestatem rei suæ in alterum, ut si dicat dabo tibi; sed solum quando verbis præsentibus utitur, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *& dist.* 28. *q.* 1. *art.* 1. *in corp.*

27. *Quær.* An per consensum conditionatum fiat matrimonium?

Resp. Div. Th. In aliis contractibus fit obligatio sub conditione, & stat, stante conditione, cum matrimonium sit etiam contractus, videtur, quod possit fieri per conditionatum consensum. Nam conditio apposita, aut est de præsenti, aut est de futuro. Si de præsenti, & non est contraria matrimonio, sive sit honesta, sive inhonesta, stat matrimonium, stante conditione, & ea non stante, non stat: sed si sit contraria bonis matrimonii, non efficit matrimonium, sicut etiam de sponsalibus supra dictum est; si autem sit conditio de futuro, aut est necessaria, sicut solem oriri cras, & tunc est matrimonium, quia talia futura iam sunt præsentia in suis causis: aut est contingens, puta datio pecuniæ, vel acceptatio parentum, & tunc idem est iudicium de tali consensu, sicut de consensu, qui fit per verba de futuro; unde non facit ma-

trimonium, 4. *sent. dist.* 29. *art.* 3. *quaestiunc.* 3.

28. *Quaer.* An carnalis copula post verba de futuro consensum exprimentia faciat verum matrimonium?

Resp. Div. Th. De matrimonio, ut alibi dictum est, possumus loqui dupliciter: uno modo quantum ad forum conscientiae; & sic in rei veritate carnalis copula non habet quod perficiat matrimonium, cuius sponsalia praecesserunt per verba de futuro, si consensus interior desit, sicut etiam verba de praesenti exprimentia consensum, si consensus mentis deesset non faceret matrimonium; unde *Nicolaus* Papa dicit in *Decret.* 27. *quaest.* 2. *cap. Sufficiat*: Si consensus in nuptiis defuerit, caetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur; cum ille, qui carnaliter commiscetur facto, consentit quidem in carnalem copulam secundum rei veritatem; sed in matrimonium non consentit, nisi secundum interpretationem iuris, & interpretatio illa non mutat rei veritatem, sed iudicium, quod exterius de rebus fit. Unde quantum ad iudicium Ecclesiae, quae in exteriori iudicio secundum ea, quae foris patent, iudicatur, cum nihil possit expressius significare consensum, quam carnalis copula, ideo secundum iudicium Ecclesiae carnalis copula consequens sponsalia matrimonium facere iudicatur, & in tali casu Ecclesia compellit eum ad standum cum uxore, quae & talis reputatur secundum iudicium, & interpretationem iuris, non secundum rei veritatem, 4. *sent. dist.* 28. *q.* 1. *art.* 2. *in corp. & ad* 1.

29. *Quaer.* An consensus de praesenti, qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam?

Resp. Div. Th. Cum essentia matrimonii non sit carnalis copula, videtur etiam, quod nec consensus, qui matrimonium facit sit in carnalem copulam; pro qua supponendum est, quod duplex est integritas matrimonii, una quae attenditur secundum perfectionem primam, quae consistit in ipso esse rei, alia, quae attenditur secundum perfectionem secundam, quae consistit in operatione. Unde cum carnalis commixtio sit quaedam operatio, sive usus matrimonii, per quod facultas ad hoc datur; ideo carnalis commixtio est de secunda integritate matrimonii, & non de essentia. Itaque cum matrimonium non sit essentialiter ipsa coniunctio carnalis, sed quaedam associatio viri, & uxoris in ordine ad carnalem copulam, secundum quod coniugibus datur potestas invicem respectu eiusdem carnalis copulae, sequitur, quod nec consensus, qui matrimonium facit sit immediate in carnalem copulam, nisi implicite; sicut implicite continetur effectus in sua causa, cum potestas carnalis copulae in quam consentitur, sit causa carnalis copulae, sicut potestas utendi de re sua est causa usus. Nam initiatum matrimonium respondet consummato, sicut actus, vel potestas actui, qui est operatio. Et sic quantum ad hanc primam essentialem perfectionem etiam Beata Virgo in matrimonium consensit cum Beato Ioseph. Quamvis tamen actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad hoc est de essentia eius, quia per matrimonium datur utrique coniugum potestas in corpore alterius respectu carnalis copulae, 4. *sent. dist.* 34. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 1. Sola potentia ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate, nisi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in proposito Beatae Virginis, quae consensit in maritalem societatem, non in carnalem copulam, nisi Deus praeciperet, ut habetur in *Littera*: nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit, quia propositum virginitatis, quod habebat, non fuit nec conditionaliter, nec expresse in consensu appositum; bene quidem per extraordinariam, & singularem providentiam, quod Ioseph in simili proposito erat, erat iam divinitus certificata, & quod actus nunquam sequi deberet. Nam aliter talis conditio si expresse apponeretur in matrimonio, cum sit contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret, proindeque fuit perfectum matrimonium quantum ad esse ipsius, quod fit per consensum verbis de praesenti expressis; & sic consentiens, quantum ad operationem se Deo commisit, 4. *sent. dist.* 26. *q.* 2. *art.* 4. & *dist.* 28. *q.* 1. *art.* 4. & *dist.* 30. *q.* 2. *art.* 1. & 2. *totum promiscue*.

Error Abelianorum. *Matrimonium licitum est, sed non copula.*

30. *Quaer.* Quaenam aetas requiratur ad le-

legitime præstandum consensum in matrimonio rato?

Resp. Div. Th. In tempore contractus matrimonii non solum requiritur dispositio ex parte usus rationis, qui tantum in sponsalibus requiritur, scilicet in primo septennio, ut supra dictum est; sed etiam ex parte corporis, ut sit tempus generationi aptum. Et quia puella in duodecimo anno ad hoc venit, ut possit esse actui generationis apta, puer autem in fine secundi septennii, ut *Philosoph.* dicit *lib. 5. histor. cap* 14. ideo saltem hoc tempus determinatur in matrimonio rato, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 3.

31. *Quær.* An puella absque consensu patris possit matrimonium contrahere?

Resp. Div. Th. Ex quo homo venit ad annos pubertatis, non est sub potestate alterius, si sit liberæ conditionis quantum ad ea, quæ ad personam suam spectant. Unde cum puella non sit in potestate patris quasi ancilla, ut sui corporis potestatem non habeat, sed quasi filia ad educandum, ideo secundum hoc quod libera est potest se in potestatem alterius, absque consensu patris dare, sicut etiam potest aliquis, vel aliqua, intrare religionem absque consensu parentum, cum sit persona libera, 4. *sent. dist.* 28. *art.* 3. *ad* 1. *& dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. *ad* 2. *promiscue*.

32. *Quær.* An inseparabilitas competat matrimonio?

Resp. Div. Th. Quod Deus coniunxit, homo non separet, *Matth.* 19. Dupliciter inseparabilitas competit matrimonio & secundum quod est signum perpetuæ coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, & secundum quod est officium naturæ ad bonum prolis ordinatum; nam matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis; nam cum proles sit commune bonum viri, & uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam, quia necessarium est, ut filii a parentibus quasi expertis instruantur. Ad hanc instructionem longum tempus requiritur, quia solum per longi temporis experimentum ad prudentiam perveniri oportet, & propter impetus passionum, quibus corrumpitur æstimatio prudentiæ, indigent filii non solum instructione, sed etiam repræhensione. Ad hoc autem mulier sola non sufficit, sed magis in hoc requiritur opus maris, in quo est ratio perfectior ad instruendum, & virtus potentior ad castigandum. De lege quoque naturæ est, ut parentes filiis thesaurizent; & ideo inseparabilitas est de lege naturæ, & etiam ratione finis secundarii, ordinatur ad bonum matrimonium contrahentis, quia est in remedium concupiscentiæ. 4. *sent. dist.* 33. *q.* 2. *art.* 1. *&* 3. *contra gentes cap.* 122.

Concil. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens Divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adherebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; & Christus his verbis confirmavit: Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.*

33. *Quær.* An matrimonium debeat honestari per aliquod bonum, & quænam sint bona, quibus actus matrimonii honestatur?

Resp. Div. Th. Concubitus matrimonialis, & fornicarius sunt eiusdem speciei quantum ad speciem naturæ; sed concubitus fornicarius est de se turpis, ergo ad hoc quod matrimonialis non sit turpis, oportet ei aliquid addi, quod ad honestatem eius pertineat, & in aliam speciem moris trahat; & cum in coniunctione viri, & mulieris propter vehementiam delectationis quodammodo etiam absorbeatur ratio, ut dicit *Philosoph.* necesse est, quod adiungantur bona, & aliquæ circumstantiæ, quæ matrimonium excusent, & honestum reddant, ex quibus matrimonium habeat quod virtutis actus esse possit. Hæc bona assignantur in *Littera Magistri* scilicet fides, proles, & Sacramentum; nam quilibet actus virtutis exigit aliquid ex parte agentis, hoc est intentio finis debiti, & sic ponitur bonum matrimonii proles; aliud exigitur ex parte ipsius actus, qui est bonus in genere, ex hoc quod cadit supra debitam materiam, & sic est fides, per quam homo ad suam accedit, & non ad aliam; sed ulterius habet aliquam bonitatem in quantum est Sacramentum, & in Sacramento non solum est intelligenda indivisio, sed omnia illa quæ consequuntur matrimonium, ex hoc quod est signum

coniunctionis Christi, & Ecclesiæ. Proles, & fides pertinent ad matrimonium secundum quod est in officium naturæ humanæ; Sacramentum secundum quod est ex institutione Divina: Sacramentum vero est principalius in matrimonio, quam alia duo; quia perfectio gratiæ est dignior perfectione naturæ, 4. *sent. dist.* 31. *q.* 1. *art.* 1. *&* 2. *&* 3. *promiscue.*

Concil. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. inquit: *Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret, ipse Christus sua nobis passione promeruit; quod Paulus Apostolus innuit dicens: Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.*

34. *Quær.* An omnia ista bona essentialiter debeant esse in matrimonio, ad hoc ut coniugium sit honestum?

Resp. Div. Th. Indivisibilitas, quam Sacramentum importat, ut supra dictum est, pertinet semper ad ipsum matrimonium secundum se, quia ex hoc ipso, quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum coniuges tradant, sequitur, quod separari non possint; & inde est, quod matrimonium quatenus Sacramentum, nunquam invenitur sine inseparabilitate: nam non potest in hac vita separari, nisi per mortem corporalem post carnalem coniunctionem, sive per mortem spiritualem, post spiritualem coniunctionem, quando scilicet alter coniugum ante matrimonium consummatum ad Religionem transit. Invenitur autem sine fide, quando per adulterium violatur fides, & sine prole, quidam enim pari voto continentiam servant: alii pro ætatis defectu, vel alterius rei causa generare non valent, nec ideo tamen coniugium esse desinit, quia esse rei non dependet ab usu suo: & secundum hoc Sacramentum est essentialius matrimonio quam fides, & proles. Attamen alio modo utique possunt considerari fides, & proles, secundum quod sunt in suis principiis, ut pro prole scilicet, accipitur intentio prolis, & pro fide debitum servandi fidem, & hoc modo etiam sine istis matrimonium esse non potest; quia hæc in matrimonio ex ipsa pactione coniugali causantur; ita quod, ut alibi dictum est, si aliquid contrarium huiusmodi exprimeretur in consensu, qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium; & sic accipiendo fidem, & prolem, sunt quid essentialissimum in matrimonio, 4. *sent. dist.* 31. *q.* 1. *art.* 3. *in corp. & promiscue per totum.*

35. *Quær.* An actus matrimonii possit excusari per bona prædicta, ut non sit peccatum?

Resp. Div. Th. Sicut bonum matrimonii secundum quod sunt in habitu, & in actu primo faciunt matrimonium honestum, & sanctum, ut dicitur *Heb.* 13. Honorabile connubium, immaculatus thorus; ita etiam secundum quod sunt in actuali intentione faciunt actum matrimonii honestum quantum ad illa duo bona, quæ ipsius actus respiciunt. Unde quando coniuges conveniunt causa prolis procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant, quæ ad fidem pertinent, totaliter excusantur a peccato. Sed tertium bonum, scilicet Sacramentum, quod est vinculum coniugii, non pertinet ad usum matrimonii, sed ad essentiam ipsius, ut supra dictum est; facit ipsum matrimonium semper honestum, non autem actum eius, ut per hoc actus sine peccato reddatur; & ideo duobus solis modis coniuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa prolis procreandæ, & debitum reddendi; alias autem semper ibi peccatum est, ad minus veniale. Immo si quæratur, puta delectatio ultra honestatem matrimonii, quia aliquis in coniuge non attendat, quod coniux est, sed solum quod mulier est, idem paratus facere cum ea, ac si non esset coniux, est peccatum mortale; & talis dicitur ardentior amator uxoris, quia scilicet ardor ille extra bona matrimonii effertur: & tunc potius voluptates meretricias, & adulterinas vir in uxore quærit, quando nihil aliud in ea attendit, quam quod in meretrice attenderet. Si autem quæratur delectatio infra limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quæreretur, quam in coniuge, est peccatum veniale; quia quamvis forte delectationem non referat actu in Deum, tamen non ponit in ea ultimum voluntatis finem, sed utitur coniuge propter se; se autem habitualiter propter Deum, quamvis non actu, 4. *sent. dist.* 31. *q.* 2. *art.* 2. *&* 3. *promiscue.*

36. *Quær.* An si quis accedat ad uxorem

rem suam ex appetitu mere naturali ad prolem, vel causa propriæ salutis corporalis, excusetur a peccato?

Resp. Div. Th. Natura enim intendit prolem prout in ipsa salvetur bonum speciei, sed in prole secundum quod est bonum Sacramenti matrimonii; ultra hoc intelligitur, ut proles suscepta ulterius religione informetur, & ordinetur in Deum, & ad cultum eius: & ideo oportet, quod intentio naturæ, qua prolem intendit, referatur actu, vel habitu ad intentionem prolis prout est bonum Sacramenti; alias staretur in creatura, quod sine peccato esse non potest: & ideo quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non excusatur a peccato omnino, nisi inquantum motus naturæ ordinatur actu, vel habitu ulterius ad prolem, secundum quod est bonum Sacramenti: similiter quamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad hoc de se ordinatum, quia una debita circumstantia non sufficit ad hoc quod actus sit bonus, sed quando utitur re sua, ut debet, secundum omnes circumstantias, 4. *sent. dist.* 31. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 1. *& ad* 3. *& ad* 4.

37. *Quær.* An actus matrimonii intentus propter vitandam fornicationem, excusetur a peccato?

Resp. Div. Th. Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in coniuge, non est aliquod peccatum; quia hoc est quædam redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet; sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas, & secundum hoc est peccatum veniale; nam ad hoc non est matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus. Concessum est humanæ infirmitati actus matrimonii prout movet libido intra terminos matrimonii consistens; ut alias fornicatio vitetur, non ut hoc per se intendatur, 1. *Cor.* 7. 4. *sent. dist.* 31. *q.* 2. *artic.* 2. *ad* 2. *& dist.* 26. *q.* 1. *artic.* 4. *ad* 3.

38. *Quær.* An actus matrimonialis possit esse meritorius?

Resp. Div. Th. Actus matrimonialis semper est vel peccatum, vel est bonus, & meritorius in eo, qui gratiam habet. Si enim ad actum matrimonialem virtus inducat, vel iustitiæ, ut debitum reddat; vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, est bonus, & meritorius. Si enim, ut supra dictum est, moveat libido sistens infra bona matrimonii, ut scilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, est peccatum veniale; si autem extra bona matrimonii efferatur, ut scilicet cum quacumque muliere id facere proponeret, est peccatum mortale. Natura enim movere non potest, quin vel ordinetur ratione, & sic erit motus virtutis bonus; vel non ordinetur, & sic erit motus libidinis, 4. *sent. dist.* 26. *q.* 1. *art.* 4. *in corp.*

39. *Quær.* An matrimonium sit in præcepto?

Resp. Div. Th. Præceptum illud: Crescite, & multiplicamini: non est revocatum, nec tamen obligat unumquemque, nisi illo tempore, quo paucitas hominum exigebat, ut quilibet generationi vacaret. Sed huic necessitati, & inclinationi satisfit, cum per diversos diversa complentur, quæ ad perfectionem multitudinis expediunt. Et cum multi sint homines, simul cum divina providentia ordinatur, quæ omnia moderatur, contingit, quod sicut unus unum officium, puta agriculturam, alius aliud, puta ædificatoriam: sic etiam contingit, quod quidam eligunt matrimonialem vitam, & quidam contemplativam, & sic nullum periculum imminet, quod multiplicatio generis humani cesset, 4. *sent. dist.* 26. *q.* 1. *art.* 2. *per totum.*

40. *Quær.* An sit semper peccatum quando copula matrimonialis sit contra naturam, & debitum modum?

Resp. Div. Th. Usus contra naturam coniugis est, quando debitum vas prætermittitur, vel debitum modum a natura institutum quantum ad situm; & in primo semper est peccatum mortale, quia proles sequi non potest, unde totaliter intentio naturæ frustratur; sed in secundo modo non semper est peccatum mortale, ut quidam dicunt, sed potest esse signum mortalis concupiscentiæ; quandoque etiam sine peccato esse potest, quando dispositio corporis alium modum non patitur; alias tanto est gravius, quanto magis a naturali modo receditur, 4. *sent. dist.* 31. *in expositione Textus*

41. *Quær.*

41. *Quær.* An vir, & uxor sint æquales in actu matrimonii in reddendo debito?

Resp. Div. Th. *Apostolus* 1. *Cor.* 7. dicit: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Ergo sunt æquales in actu matrimonii, quia sicut tenetur vir uxori in actu coniugali, & dispensatione domus ad id, quod viri est, ita uxor viro ad id, quod uxoris est, & secundum hoc sunt æquales in reddendo, & petendo debitum. Unde unus coniugum ex necessitate etiam præcepti tenetur alteri reddere debitum in his, quæ ad generationem prolis spectant, salva tamen prius persona: unde si ultra exigeretur non esset petitio debiti, sed iniusta exactio, si reddendo debitum poscenti esset nocivum personæ, vel ratione infirmitatis, vel ratione solutionis iam factæ, 4. *sent. dist.* 32. *q.* 1. *art.* 1. *&* 3. *promiscue.*

42. *Quær.* An uxor teneatur reddere debitum viro leproso?

Resp. Div. Th. Lepra solvit sponsalia, non matrimonium; unde uxor etiam viro leproso tenetur aliquando reddere debitum, non tamen tenetur cum eo cohabitare, quia non ita cito inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione; & quamvis forte proles generetur infirma, cum lepra sit morbus contagiosus; tamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse, 4. *sent. dist.* 32. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4. *& dist.* 36. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 6. *& ad Corinth. cap.* 7. *Lect.* 3.

43. *Quær.* An vir possit petere debitum uxori tempore menstrui, & an teneatur uxor reddere?

Resp. Div. Th. Fluxus menstruorum potest esse naturalis, & innaturalis; naturalis quidem, quando scilicet mulieres patiuntur temporibus determinatis, etiam quando sunt sanæ; innaturalis autem quando inordinate, & quasi continue ex aliqua infirmitate fluxum sanguinis patiuntur. In fluxu menstruorum innaturali non est prohibitum ad mulierem menstruatam accedere, quia mulier in tali statu non potest concipere, tum quia talis fluxus est perpetuus, & diuturnus, unde oporteret, quod vir perpetuo abstineret; sed quando naturaliter mulier patitur fluxus menstruorum, potest concipere, & iterum talis fluxus non durat nisi ad modicum tempus, unde prohibitum est ad talem accedere, & similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere. Hoc insinuant etiam verba *Hieronymi super Ezech. lib.* 16. *coment. cap.* 18. Tunc viri abstinere debent a mulieribus, quoniam concipiuntur membris damnati, cæci, claudi, leprosi, ut quia parentes non erubuerunt in conclavi commisceri, eorum peccata pateant cunctis, ut apertius redarguantur in parvulis. Sic etiam *Augustinus*, & habetur in *Glos. ordinaria.* Mulieri igitur menstruatæ non licet petere debitum; sed si tamen vir eius petat, aut petit scienter, scilicet cognito tempore menstrui, tunc debet eum avertere precibus, & monitis, non tamen ita efficaciter, ut possit ei esse occasio in alias damnabiles corruptelas, si ad id pronus credatur: aut ignoranter petit, & mulier potest aliquam occasionem prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, nisi periculum viro timeatur: tamen finaliter si vir non desistit a petitione, debet debitum reddere poscenti: passionem vero suam, idest fluxum menstrui non est tutum indicare, ne forte vir ex hoc ad eam abominationem concipiat, nisi de viri prudentia præsumatur, nec intelligitur mulier consentire veniali peccato viri, nisi voluntarie debitum reddat, dum enim est involontaria magis patitur quam consentiat, maxime quando maius periculum timeretur in viro non reddendo, quia forte fornicaretur, 4 *sent. dist.* 32. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *&* 3. *per totum promiscue.*

44. *Quær.* An vir possit debitum petere quando uxor est prægnans?

Resp. Div. Th. Quamvis matrix post impregnationem claudatur, tamen ex delectatione, ut Avicenna dicit, movetur, & aperitur, & ex hoc imminet periculum abortus; & ideo *Hieronym.* vituperat accessum viri ad uxorem impregnatam; non tamen ita quod semper sit peccatum mortale, nisi forte quam probabiliter timetur de periculo abortus, 4. *sent. dist.* 31. *in exposit. Textus.*

45. *Quær.* An vir teneatur reddere debitum uxori non petenti expresse?

Resp. Div. Th. Petere debitum est dupliciter; uno modo expresse, ut quando

do verbis invicem petunt; alio modo est petitio debiti interpretativa; quando scilicet vir percipit per aliqua signa, quod uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet, & ita etiam si non expresse verbis debitum petat, tamen tenetur vir reddere, quando expressa signa in uxore apparent voluntatis debiti reddendi. Et quia vir nobiliorem partem habet in actu coniugali naturaliter habet, quod non ita, ut in plurimum, erubescat petere debitum, sicut uxor; & inde est, quod uxor non ita tenetur reddere debitum non petenti viro, sicut vir uxori: si tamen daretur casus, quod vir pusillanimis non auderet petere expresse, teneretur uxor reddere viro tacite petenti. A fortiori non tenetur vir uxorem avertere, ne petat debitum: nisi propter aliquam rationabilem causam; & tunc non debet cum magna instantia averti propter pericula imminentia, quia per redditionem debiti medicamentum præstatur contra uxoris concupiscentiam, *4. sent. dist. 32. q. 1. art. 2. ad 4. & art. 3. ad 2.*

46. *Quær.* An peccet quis reddens se impotentem ad debitum reddendum?

Resp. Div. Th. Si aliquis redditur impotens ad debitum solvendum ex causa ex matrimonio consequuta, puta cum prius debitum redditur, & deinde fit impotens ad debitum solvendum, ulterius mulier non habet ius plus petendi, & in petendo ulterius se magis meretricem, quam coniugem exhibet. Si autem redditur impotens ex altera causa, si illa est licita, puta ieiunando, vel alias corpus suum rationabiliter attenuando ob bonum virtutis, sic iterum non tenetur, nec potest mulier exigere: si non est ex causa licita, puta ex intemperantia, vel ex nimia abstinentia se impotentem redderet vir ad debitum uxori reddendum, tunc peccat, & peccatum uxoris, si in fornicatione propter hoc labatur aliquo modo sibi imputatur, & vice versa, & ideo debet quantum potest operam dare, ut uxor contineat; ut scilicet impotentem quisque non se reddat ad debiti solutionem, *4. sent. distinct. 32. q. 1. art. 1. ad 3. & quodlib. 5. art. 18. promiscue.*

47. *Quær.* An alter coniugum ante, vel post carnalem copulam, altero invito possit ad religionem transire, & sic se reddere impotentem ad debitum reddendum?

Resp. Div. Th. Ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius, sed sub conditione si interea alter coniugum ad frugem melioris vitæ non convolet: unde ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post matrimonium contractum per verba de præsenti, sed datur ei tempus duorum mensium propter tria. Primo, ut interim possit deliberare de transitu ad religionem; secundo ut præparentur quæ sunt necessaria ad solemnitatem nuptiarum; tertio ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit dilatam. Unde ante carnalem copulam est inter coniuges tantum spirituale vinculum animorum, sed post est inter eos etiam vinculum carnale; & ideo sicut post carnalem copulam matrimonium completur, ita per ingressum religionis ante carnalem copulam solvitur, quia religio est mors quædam spiritualis, qua aliquis sæculo moriens vivit Deo: & sicut corporalis mors viri taliter vinculum matrimoniale solvit, ut mulier nubat cui vult, secundum Apostoli sententiam; ita etiam post mortem spiritualem viri per religionis ingressum poterit cui voluerit nubere; non intelligitur tamen vir mortuus sæculo per religionis ingressum quousque professionem emiserit, & ante annum pro nulla reputatur, ut habetur *Dec. de regul. cap. Non solum*; & ideo usque ad tempus illud tenetur eum uxor sua expectare. Si vero uterque pari voto continentiam vovet, tunc neuter coniugali vinculo abrenunciat, & ideo adhuc manet matrimoniale vinculum inter eos. Cum vero per matrimonium consummatum iam sit corpus viri factum uxoris, & vice versa, non potest absque consensu ipsius Deo quisque se ipsum offerre per continentiæ votum; quia nullus potest facere obligationem de alieno, neque potest facere licite quod est in præiudicium alterius sine eius voluntate; unde cum votum religionis post carnalem copulam, & post bimestre emissum ab uno coniugum sit in præiudicium alterius, quia unus habet potestatem corporis alterius, sequitur, quod unus sine consensu alterius non possit votum neque sim-

simplex, neque religionis emittere. Ita quod ut nec etiam ad tempus vacent orationi coniuges sine mutuo consensu a matrimonio abstinere possunt, ut habetur, 1. *Cor.* 7. 4. *sent. dist.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *per totum promiscue.*

Concil. Trid. *Sess.* 24. *Can.* 6. *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugum non dirimi: anathema sit.*

48. *Quær.* An vir, & uxor post matrimonium consummatum sine mutuo consensu possint votum emittere de non reddendo debitum matrimonii simpliciter, vel ad tempus?

Resp. Div. Th. Vovere voluntatis est, ut etiam ipsum nomen ostendit, unde de illis tantum bonis potest esse votum, quæ nostræ subiacent voluntati; qualia non sunt ea, in quibus unus alteri tenetur. Nam cum coniuges sibi invicem teneantur in redditione debiti, per quod continentia impeditur; non potest unus absque alterius consensu continentiam vovere; & nullus potest facere votum de alieno; cum vir non habeat potestatem sui corporis, sed uxor, & similiter e converso, quare sine eius consensu, non potest alter votum facere continentiæ vel simpliciter, vel ad tempus; & si voverit peccat, nec debet servare votum, sed agere pœnitentiam de malo voto facto: dicitur enim *Cor.* 1. *cap.* 7. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex communi consensu, ut vacetis orationi, 4. *sent. dist.* 32. *q.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 1.

49. *Quær.* An unus saltem sine consensu alterius possit vovere de non petendo debitum?

Resp. Div. Th. Circa hoc est duplex opinio; quidam enim dicunt, quod unus absque consensu alterius potest vovere quod non petat debitum, non autem quod non reddat; quia in primo est uterque sui iuris, sed non in secundo. Sed quia si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret unum semper confusionem debiti petendi subire, ideo alii probabilius dicunt, quod neutrum potest absque consensu alterius vovere, 4. *sent. dist.* 32. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 3.

50. *Quær.* An possit petere, & reddere debitum uxor quando non est certa de morte primi mariti, vel vir quando non est certus, quod uxor sit libera a servitute?

Resp. Div. Th. Si oriatur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua causa, quæ etiam certitudinem facere possit, non debet nec reddere, nec exigere debitum: si autem causa illa facit probabilem dubitationem, debet reddere, sed non exigere; si autem sit levis suspicio, potest utrumque licite facere: quia debet illam causam potius abiicere quam secundum hoc conscientiam formare: similiter si antequam sit detecta servitus uxoris, de qua dubitatur, uxor petat debitum; si vir levi suspicione moveatur, debet debitum reddere, nam ex levi suspicione mulieri præiudicium non generatur; si autem ex causa probabili dubitet, vel vehementer præsumat, aut certe cognoscat, non debet ei debitum reddere Ecclesia præcipiente: quia aliter vel sibi præiudicium faceret, si eam uxoris affectu cognosceret, quia esset perpetuo cum ipsa ligatus, vel alias fornicaretur, si non affectu maritali accederet, 4. *sent. dist.* 36. & 38. *simul promiscue utrobique habetur in expositione Litteræ.*

Concil. Trid. *Sess.* 24. *Cap.* 7. *de refor. matrim. Parochis præcipit, ne Matrimoniis intersint, nisi prius diligenter inquisitionem fecerint, ne genus hominum, maxime vagantium ad matrimonium facile recipiant.*

51. *Quær.* An liceat petere debitum in diebus solemnioribus anni?

Resp. Div. Th. Sicut aliqua loca sunt sacra, ita aliqua tempora sunt sacra, quia deputantur sacris. Sed in loco sacro non licet petere debitum, sic nec in tempore sacro. Nam actus matrimonialis quamvis culpa careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, & hominem reddit ineptum ad spiritualia; ideo in diebus, in quibus præcipue spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum. Petere tamen debitum in die festo, non est circumstantia trahens ad aliam speciem peccati; unde non potest in infinitum aggravare. Et ideo non peccat mortaliter uxor, vel vir, si in die festo petat; sed tamen gravius venialiter peccat, si sola delectationis causa petatur, quam si propter timorem,

quo

quo quis sibi timet de lubrico carnis suæ, nisi debitum petat, 4. *sent. dist.* 32. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 1.

52. *Quær.* An possit, & debeat vir reddere debitum tempore festivo?

Resp. Div. Th. Cum mulier habeat potestatem in corpore viri quantum ad actum generationis spectat, & e converso; tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore, & quacumque hora, salva debita honestate, quæ in talibus exigitur, quia non oportet, quod puta in publico, vel in loco sacro quis debitum reddat, de reliquo hoc est enim divinitus ordinatum ut semper petenti debitum reddatur, ne propter lubricum carnis aliqua occasio peccandi detur, & sic reddendo quasi invitus non peccat, 4. *sent. dist.* 32. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 3.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

53. *Quær.* Quomodo, & qualiter Ecclesia possit iudicare, & statuere circa matrimonium maxime super impedimenta?

Resp. Div. Th. Ecclesia in his, quæ ad matrimonium pertinent tripliciter se habet: uno quidem modo per modum iudicantis, & quia homines vident ea, quæ apparent secundum quod dicitur, *Reg.* 16. Oportet quod iudex Ecclesiasticus iudicet secundum ea, quæ sibi apparent per confessiones partium, & per idoneos testes, & per alia legitima documenta, quibus omnibus adhibitis contingit quandoque veritatem latere, & præcipue in his, quæ pertinent ad interiora cordis, quæ humano testimonio probari non possunt, & si per aliqua signa exteriora de his possit aliqua coniectura haberi; & ideo iudicium Ecclesiæ circa ea, quæ ad matrimonium pertinent, si veritas latet, non impedit sequens matrimonium contrahendum, nec dirimit iam contractum: alio modo se habet per modum prohibentis, vel punientis, & hoc quidem impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit iam contractum, puta uxoricidæ pœnam imponit Ecclesia, ut ulterius a matrimonio abstineat, si tamen contraxerit matrimonium non dirimitur: tertio modo se habet per modum statuentis, quod fit solum auctoritate Summi Pontificis, & secundum hoc personæ aliquæ redduntur illegitimæ ad contrahendum; ita quod si etiam contrahant matrimonium dirimitur, ut patet in quibusdam gradibus consanguinitatis, & affinitatis, vel etiam de adultera, cum quis dedit ei fidem contrahendi post mortem mariti, vel cum machinatus est in mortem uxoris. *Quodlib.* 5. *art.* 15. *ad* 1.

Concil. Trid. *Sess.* 24. *Can.* 4. *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: anathema sit.*

54. *Quær.* Quare Sacramentum Matrimonii subiaceat pluribus impedimentis, quam alia Sacramenta?

Resp. Div. Th. Quamvis etiam alia Sacramenta impediri possint, si aliquid, quod de essentia, vel solemnitate Sacramenti subtrahatur: attamen magis matrimonio, quam aliis Sacramentis impedimenta assignantur propter tres rationes. Primo quia matrimonium consistit in duobus, & ideo pluribus modis potest impediri, quam alia Sacramenta, quæ uni personæ competunt singulariter. Secundo quia matrimonium habet in nobis causam, sed alia quædam Sacramenta solum in Deo. Unde & pœnitentiæ Sacramento, quod habet causam in nobis, aliquo modo quædam impedimenta assignantur, ut hypocrisis, ludos, & huiusmodi. Tertio quia de aliis Sacramentis est præceptum, vel consilium, sicut de bonis perfectioribus; sed de matrimonio est indulgentia, sicut de bono minus perfecto: & ideo ut detur occasio proficiendi in melius, plura impedimenta assignantur matrimonio, quam aliis Sacramentis, 4. *sent. dist.* 34. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 1.

55. *Quær.* Quænam sint personæ illegitimæ?

Resp. Div. Th. Personæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo, quod sunt contra legem qua matrimonium constituitur. Matrimonium autem inquantum est in officium naturæ statuitur lege naturæ: inquantum est in officium communitatis statuitur lege civili: inquantum est Sacramentum, statuitur iure Divino: & ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima. Et quia lex naturalis secundum diversos status recipit determinationes diversas, & ius po-

positivum etiam variatur secundum diversas hominum conditiones; ideo *Magister in Littera* ponit in diversis temporibus diversas personas illegitimas fuisse. Et in primitiva Ecclesia quædam personæ erant legitimæ, quæ modo non sunt. Prohibitio tamen legis humanæ non sufficeret, ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicat, 4. *sent. dist.* 34. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4. *& dist.* 42. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 4.

Propterea Concil. Trid. *Sess.* 24. *Can.* 12. ait: *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos: anathema sit.*

56. *Quær.* Quotuplicis generis sint impedimenta matrimonii, & quænam sint convenienter assignanda?

Resp. Div. Th. In matrimonio, ut pluries dictum est, sunt quædam, quæ sunt de essentia ipsius, & quædam, quæ sunt de solemnitate eius. Impedimenta, quæ contrariantur his, quæ sunt de solemnitate Sacramenti non officiunt, quin sit verum matrimonium; & talia dicuntur impedire contrahendum, sed non dirimunt contractum. Hæc impedimenta dicuntur impedientia, sunt prohibitio Ecclesiæ, & tempus feriarum; unde versus:

Ecclesiæ vetitum necnon tempus feriatum.
Atque Cathechismus, sponsalia iungito votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Impedimenta autem, quæ contrariantur his, quæ sunt de essentia matrimonii, faciunt ut non sit verum matrimonium: & ideo dicuntur non solum impedientia matrimonium contrahendum, sed dirimentia contractum, his versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
(Et ex Concil. Trid. ad dictam *Sess.* 24. *de refor. matrim. cap.* 1. *&* 6.)
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis.
Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Horum autem numerus hoc modo accipi potest; potest enim matrimonium impediri aut ex parte contractus matrimonii, aut ex parte contrahentium; si primo modo, cum contractus matrimonii fiat per voluntarium consensum, qui tollitur per ignorantiam, & violentiam, erunt duo impedimenta matrimonii; scilicet vis, idest coactio, & error ex parte ignorantiæ: secundo possunt accipi ex parte personarum contrahentium, & sic distinguuntur impedimenta. Potest enim aliquis impediri a matrimonio contrahendo, vel simpliciter, vel respectu alicuius personæ; simpliciter, ut cum nulla possit matrimonium contrahere, hoc non potest esse, nisi quia impeditur a matrimoniali actu, quod quidem contingit dupliciter. Primo quia non potest de facto, sive quia omnino non possit, & sic ponitur impedimentum impotentia coeundi: sive quia non libere possit; & sic ponitur impedimentum conditio servitutis. Secundo quia non licite potest: & hoc secundum quod ad continentiam obligatur: quod contingit dupliciter, quia vel obligatur ex officio suscepto; & sic est impedimentum ordinis, vel ex voto emisso, & sic impedit votum: si autem impeditur aliquis a matrimonio non simpliciter, sed respectu alicuius personæ, vel propter obligationem ad alteram personam, sicut qui iunctus est uni matrimonio, non potest alteri coniungi, & sic est ligamen, scilicet matrimonii: vel quia deficit proportio ad alteram personam, & hoc tripliciter. Primo propter nimiam distantiam ad ipsam, & sic est disparitas cultus: secundo propter nimiam propinquitatem, & sic ponitur triplex impedimentum, scilicet cognatio, quæ importat propinquitatem duarum personarum ratione tertiæ matrimonio iunctæ; & publicæ honestatis iustitia, in qua est propinquitas duarum personarum ratione tertiæ personæ per sponsalia iunctæ. Tertio propter indebitam coniunctionem ad ipsam primo factam; & sic impedit crimen adulterii prius cum ipsa commissi, 4. *sent. dist.* 34. *q.* 1. *art.* 1. *in corp.*

„ Quibus impedimentis adduntur alia
„ duo recentiora ex Concil. Trid. nem-
„ pe raptus, & defectus assistentiæ Pa-
„ rochi, & Testium, ut supra dictum est.

„ Et

„ Et Can. 4. decernit: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in his constituendis errasse; anathema sit.*

„ Unde de fide est Ecclesiam potuisse, & posse impedimenta ponere, & moderare circa Sacramentum matrimonii.

57. *Quær.* An stante impedimento non dirimente contractum, sed tantum impediente contrahendum, peccet si quis contrahat, & quomodo dicatur impediri matrimonium?

Resp. Div. Th. Illa impedimenta, quæ non dirimunt matrimonium contractum, impediunt quandoque matrimonium contrahendum, non ut fiat, sed ut non licite fiat verum matrimonium; & tamen si fiat, matrimonium verum contractum est, quamvis contrahens peccet, contra statutum Ecclesiæ faciens, 4. *sent dist.* 34. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 7.

58. *Quær.* Quibus temporibus nuptiæ sint interdictæ?

Resp. Div. Th. Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus, *Eccles.* 3. Quando novæ sponsæ traduntur animus coniugum magis ex ipsa novitate ad curam carnalem occupatur; ideo illis temporibus, in quibus homines præcipue debent se ad spiritualia elevare, prohibitum est nuptias celebrare; quia in celebratione nuptiarum fit magna distractio animorum, cum celebratio matrimonii habeat semper aliquam mundanam lætitiam, & carnalem adiunctam, & in nuptiis consueverunt homines signa multa lætitiæ dissolutæ ostendere. Prohibentur igitur nuptiæ ab Adventu usque ad Epiphaniam propter communionem, quæ secundum antiquos Canones, quæ in nativitate fieri convenienter solet. Et a Septuagesima, nunc vero a Quadragesima usque ad Octavas Paschæ, propter communionem Paschalem. Et olim etiam fuit a tribus diebus ante Ascensionem Domini usque ad Octavas Pentecostes, propter præparationem itidem ad communionem illo tempore sumendam. Sed notatum est, cum tempus non sit de essentia matrimonii, si in tempore indebito contrahatur, nihilominus verum est Sacramentum: nec separatur matrimonium simpliciter, sed ad tempus, ut coniuges pœnitentiam agant de hoc, quod statutum Ecclesiæ sunt transgressi, 4. *sent. dist.* 32. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 4.

Concil. Trid. *Sess.* 24. *de refor. matrim. cap.* 6. & Rituale Romanum inquit: *Meminerint Parochi a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive, solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia: matrimonium autem omni tempore contrahi potest.*

59. *Quær.* Quomodo Cathechismus impediat matrimonium?

Resp. Div. Th. In Cathechismo fit quædam professio, & dispositio futuri baptismi, sicut in sponsalibus fit quædam sponsio futurarum nuptiarum: unde sicut in sponsalibus contrahitur quidam motus propinquitatis, ita & in Cathechismo ad minus impediens contrahendum. In puero enim fit instructio mediante alio, scilicet præsente Anadocho, sive Patrino, & ipse loco eius confessionem, & professionem facit, cui postea committitur dicta instructio fidei, ex quo oritur impedimentum, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 3. *& dist.* 6. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *in corp. promiscue.*

Hoc impedimentum modo non extat.

60. *Quær.* Quomodo votum, & sponsalia impediant matrimonium?

Resp. Div. Th. Ex promissione sponsalium obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum; & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat: & secundum hoc etiam Ecclesia cogit iniungendo pœnitentiam. Simili modo obligat votum simplex, sicut sponsalia, cum in voto simplici fiat simplex promissio ad continentiam Deo servandam. Unde Clemens Papa, sive, ut alii volunt *Alex. III.* dicit, & habetur *cap. Meminimus, & cap. Consuluit.* Votum simplex impedit contrahendum matrimonium, quia peccat matrimonium contrahens post votum simplex continentiæ, sed non dirimit contractum, quia verus contractus est. Tamen propter votum simplex sponsalia absolute sunt dirimenda, 4. *sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 2. *& dist.* 38 *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *sed contra & ad* 1. *& ad* 2. *promiscue.*

61. *Quær.*

61. *Quær.* Quænam sunt crimina, quæ impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractum?

Resp. Div. Th. Plura sunt crimina, quæ propter sui enormitatem impediunt matrimonium contrahendum. Primum est incestus: secundum est uxoricidium: tertium rapina alienæ sponsæ: quartum quando aliquis insidiando matrimonio filium proprium de sacro fonte suscipit. Quintum qui interficit Presbyterum: sextum quando aliquis peragit pœnitentiam solemnem; non tamen propter talia crimina interimitur matrimonium contractum. Sed tamen sunt quædam alia crimina, quæ dirimunt matrimonium contractum, ut suo loco dicetur, quando sermo erit de impedimentis dirimentibus, 4. *sent. dist.* 35. *in expositione Litteræ*.

„ Hæc impedimenta tamen per con„ trariam consuetudinem nunc remanent „ sublata.

62. *Quær.* An impedimentum, quod est unius contrahentium, faciat quod non sit matrimonium etiam respectu alterius?

Resp. Div. Th. Matrimonium cum sit quædam relatio, quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero, quia non potest esse, quod aliquis sit vir non uxoris, vel quod aliqua sit uxor non habens virum, sicut mater non habens filium: & ideo communiter dicitur, quod matrimonium non claudicat quantum ad vinculum, quamvis quandoque claudicet quantum ad effectum; sicut ius petendi debitum potest esse in uno, & non in alio, 4. *sent. dist.* 29. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *&* 39. *art.* 5. *ad* 3. *&* *dist.* 34. *in expositione Litteræ, in fine*.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS, ET PRIMO DE ERRORE.

63. *Quær.* An error impediat matrimonium, & qualis error?

Resp. Div. Th. Quidquid impedit causam de sui natura impedit effectum. Consensus autem est causa matrimonii, ut supra dictum est: & ideo quod evacuat consensum, evacuat matrimonium. Unde in Digestis dicitur: Quid tam contrarium consensui, quam error? Consensus enim voluntatis est actus, qui præsupponit actum intellectus: deficiente autem primo, necessarium est defectum contingere in secundo: & ideo quando error cognitionem impedit, sequitur etiam in ipso consensu defectus, & per consequens in matrimonio, & sic error de iure naturali habet quod evacuet matrimonium. Unde *Magister* in *Littera* dicit, quod matrimonium, quod fuit inter Liam, & Iacob non fuit perfectum ex ipso concubitu, qui ex erroro contingit, sed ex consensu, qui postmodum accessit fuit verum matrimonium: excusantur a peccato ignorantia facti, & excusantur etiam, quia Dei consilio in mysterio ita actum est. Non tamen quilibet error matrimonium impedit, seu dirimit, nisi sit alicuius eorum, quæ sunt de essentia matrimonii. Duo autem includit matrimonium, scilicet personas, quæ coniunguntur, & mutuam potestatem in invicem, in qua matrimonium consistit: primum autem tollitur per errorem personæ, secundum per errorem conditionis, quia servus, ut videbitur infra, non potest potestatem sui corporis alteri tradere sine consensu domini sui. Ideo hi duo errores tantum matrimonium impediunt, non alii, 4. *sent. dist.* 30. *q.* 1. *art.* 1. *&* 2. *promiscue*.

64. *Quær.* An error Hæretici, qui non credit matrimonium esse Sacramentum, impediat ipsum matrimonium?

Resp. Div. Th. Error fidei, qui est in hæreticis non credentibus hoc Sacramentum est circa ea, quæ sunt matrimonium consequentia, sicut an sit Sacramentum, vel an sit licitum; & ideo error talis matrimonium non impedit. Sicut nec error circa baptismum impedit acceptionem characteris, dummodo intendat facere, vel recipere, quod Ecclesia dat, quamvis credat nihil esse, 4. *sent. dist.* 30. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2.

65. *Quær.* An error qualitatis fortunæ, & nobilitatis impediat matrimonium, & quomodo?

Resp. Div. Th. Diversitas fortunæ non variat aliquid eorum, quæ sunt de essentia matrimonii, & error nobilitatis inquantum huiusmodi non evacuat matrimonium eadem ratione, qua nec error qualitatis. Sed si error nobilitatis, vel dignitatis redundat in errorem personæ, tunc impedit matrimonium: unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error de nobilitate ipsius, vel huius-

iusmodi non impedit matrimonium. Si autem directe intendit consentire, puta in filium regis, quicumque sit ille, tunc si alius præsentetur ei, quam filius regis, est error personæ, & impedit matrimonium, 4. *sent. dist.* 30. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 4. *& ad* 5.

66. *Quær.* An conditio servitutis impediat matrimonium?

Resp. Div. Th. In matrimonii contractu obligatur unus coniugum alteri ad debitum reddendum: & ideo si ille qui se obligat, est impotens ad solvendum, ignorantia huius impotentiæ in eo, cui fit obligatio, tollit contractum. Sicut autem per impotentiam coeundi efficitur aliquis impotens ad solvendum debitum, ut omnino non possit solvere; ita per servitutem, ut libere reddere debitum non possit: & ideo sicut impotentia coeundi ignorata impedit matrimonium, non autem si sciatur; ita conditio servitutis ignorata matrimonium impedit, quia servitus contrariatur matrimonio quantum ad actum, ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest libere exequi: & etiam quantum ad bonum prolis, quæ peioris conditionis efficitur ex servitute parentis: ideo etiam in *Decret. de coniugio servorum*, *cap. Proposuit*, & clarius *cap. Ad nostram*, item 29. *q. cap. Si quis ingenuus*, habetur; quod error conditionis impedit contrahendum matrimonium, & dirimit contractum. Sed quia quilibet potest in ea, quod sibi debetur, sponte detrimentum aliquod subire; ideo si alter coniugum scit alterius servitutem, tunc matrimonium tenet, quia in voluntate nostra, consistit debitum nobis relaxare; ideo tale impedimentum si sit cognitum, matrimonium non tollit, 4. *sent. dist.* 36. *q.* 1. *art.* 1. *per totum*.

67. *Quær.* An inter servos possint esse coniugia absque consensu domini?

Resp. Div. Th. Sicut autem appetitus naturæ est ad conservationem individui, ita est ad conservationem speciei per generationem: unde sicut servus non subditur domino, quin libere possit comedere, & dormire, & alia huiusmodi facere, quæ ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura conservari non potest; ita non subditur ei quantum ad hoc, quod non possit libere matrimonium contrahere, etiam domino nesciente, aut contradicente. Nam sicut licite non potest præcipere dominus servo, quod non comedat, aut dormiat; ita etiam nec quod a matrimonio contrahendo abstineat. Et ideo nihil prohibet inter servos esse coniugia, 4. *sent. dist.* 36. *q.* 1. *art.* 2. *in corp. & ad* 2. *& art.* 1. *ad primum*.

68. *Quær.* Cui servus obedire debet quando dominus aliquid imperat eo tempore quo uxor petit debitum?

Resp. Div. Th. Si servus volente domino matrimonium contraxit, tunc debet prætermittere servitium domini imperantis, & reddere debitum uxori: quia per hoc quod dominus annuit, ut matrimonium servus contraheret, intelligitur ei concessisse omnia, quæ matrimonium requirit: si autem matrimonium ignorante, vel contradicente domino est contractum, non tenetur reddere debitum, sed potius domino obedire, si utrumque simul esse non possit. Sed tamen in his multa particularia considerari debent, sicut etiam in omnibus humanis actibus, scilicet periculum castitatis imminens uxori, & impedimentum, quod ex redditione debiti servitio imperato generat, & aliis huiusmodi, quibus omnibus rite pensatis iudicari potest cui magis servus obedire teneatur domino, vel uxori, 4. *sent. dist.* 36. *art.* 2. *ad* 3.

69. *Quær.* An dominus possit vendere servum coniugatum in regiones longinquas, & extraneas?

Resp. Div. Th. Dominus cogendus est, ne vendat servum taliter, quod faciat onera matrimonii graviora, præcipue cum non desit facultas ubique servum suum vendendi iusto pretio in propria regione, maxime si uxor sua non possit eum sequi propter naturalem infirmitatem corporis, vel propter periculum fidei imminens, puta si vendatur infidelibus, vel etiam domino uxoris non permittente si sit ancilla, 4. *sent. dist.* 36. *art.* 2. *ad* 4.

70. *Quær.* An validum sit matrimonium, si servus accipiat ancillam, quam putabat liberam; vel si accipiat liberam, quam putabat ancillam?

Resp. Div. Th. Quia in matrimonio est æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum; non potest aliquis requirere maiorem obligationem ex parte alterius, quam ipse possit facere: & propter hoc servus etiam si contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc

hoc impedit matrimonium. Et sic patet, quod servitus non impedit matrimonium, nisi quando ignorata est ab alio coniuge, & ille sit liberæ conditionis: & ideo nihil prohibet, ut supra dictum est, inter servos esse coniugia, vel etiam inter liberum, & ancillam, & libertas ignorata non impedit matrimonium, sicut servitus, quando enim æqualis est; & a fortiori, si melioratur conditio, matrimonium tenet, 4. *sent. dist.* 36. *art.* 1. *ad* 1. *&* *ad* 5.

71. *Quær.* An vir post coniugium uxore invita si se vendat in servitutem, an matrimonium dissolvatur?

Resp. Div. Th. Vir est sui iuris, & subditur uxori solum in his, quæ ad actum naturæ pertinent, in quibus sunt æquales, ad quod servitutis subiectio non se extendit; & ideo vir nolente uxore potest se alteri in servum dare. Tamen ex hoc matrimonium non dissolvetur, quia nullum impedimentum matrimonio superveniens potest dissolvere ipsum, ut alibi dictum est. Sed si vir in fraudem uxoris se alteri det in servum, ipse solus damnum reportat, inæstimabile libertatis bonum amittens; & uxori nullum potest ex hoc præiudicium generari, quia tunc servus tenetur uxori reddere debitum, etiam nolente domino, & ad omnia alia, quæ matrimonium requirit: e contra vero uxor non potest se dare in ancillam nolente viro, quia quamvis in actu matrimoniali, & his, quæ ad naturam spectant, ut dictum est, ad paria vir, & uxor iudicentur, tamen quantum ad dispensationem domus, & ad alia huiusmodi superaddita, vir est caput mulieris, & debet corrigere, non autem e converso; & ideo uxor non potest se dare in ancillam nolente viro, 4. *sent. dist.* 36. *q.* 1. *art.* 3. *per totum promiscue*.

72. *Quær.* An filii, qui nascuntur ex tali matrimonio sequantur conditionem patris si sit servus, an matris si sit libera?

Resp. Div. Th. Secundum leges civiles partus sequitur ventrem: & hoc rationabiliter, quia quamvis pater sit dignius principium, tamen mater dat substantiam corporalem. Servitus autem corporalis conditio est, cum servus sit quasi instrumentum domini in operando: & ideo proles in libertate, & servitute sequitur matrem: sed in his, quæ pertinent ad dignitatem sequitur patrem, sicut in honoribus, & mancipiis, & hæreditate; & ideo etiam in genealogiis, in scripturis, & secundum communem consuetudinem magis nominantur filii a patre, quam a matre; stat igitur, quod in his, quæ ad servitutem pertinent filii magis matris conditionem sequantur, & huic concordant Canones, & Lex Moysis, ut patet *Exodi* 21. Si autem uterque sit servilis conditionis, & pertineant ad diversos dominos, tunc dividunt filios, si plures sunt, vel si unus tantum, unus alteri recompensabit de pretio, & accipiet prolem natam in sui servitutem, 4. *sent. dist.* 36. *q.* 1. *art.* 4. *per totum promiscue*.

73. *Quær.* Quale votum impediat, & dirimat matrimonium?

Resp. Div. Th. Supra dictum est, quod votum simplex impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum: e contra omnes dicunt, quod votum solemne est illud, quod impedit matrimonium contrahendum, & dirimit matrimonium contractum. Nam ille qui facit votum solemne contrahit matrimonium spirituale cum Deo, quod est multo dignius quam matrimonium materiale. Unde sicut matrimonium materiale prius contractum, dirimit matrimonium post contractum; a fortiori votum solemne ex sui natura habet, quod dirimat matrimonium contractum; inquantum scilicet homo per ipsum, & per actualem exhibitionem sui corporis, amisit sui corporis potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens; & ideo non potest ipsum tradere in potestatem uxoris ad matrimonium contrahendum. Unde matrimonium, quod sequitur nullum est; & ideo votum prædictum dirimere dicitur matrimonium contractum; nec Ecclesia ipsa potest contrarium statuere de lege, quamvis dispensative, ut infra, 4. *sent. dist.* 38. *q* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 3.

74. *Quær.* An in voto continentiæ solemnizato possit dispensari, ita quod posita dispensatione possit quis nubere?

Resp. Div. Th. Quidam dicunt, quod in voto continentiæ, quod in voto Religionis includitur, non potest dispensari. Sed hoc non videtur sufficienter dictum, quia bonum commune est multo melius, quam bonum privatum; & ideo alii dicunt probabilius si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ exposceret, posset convenienter & in

in voto continentiæ, & in voto Religionis auctoritate Papæ dispensari, quantumque votum esset solemnizatum. Non enim per votum potest se homo deobligare ab eo, quo tenetur alteri. Cum per votum non possit fieri præiudicium suo Prælato, quin debeat eius mandatis parere, cum fuerit opportunum. Unde talis posset imminere necessitas, quod posset alicui iuste prohiberi, ne continentiam, aut Religionem voveret: & eadem necessitate manente potest etiam in voto dispensari iam acto; maxime, ut dictum est, si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ hoc exposceret, cum bonus multitudinis sit divinus. De reliquo bonum continentiæ est multo dignius, quam etiam salus corporalis unius; & ideo periculum corporalis mortis unius, non esset sufficiens ratio, ut in voto continentiæ dispensaretur, 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. *ad* 3. Plura de voto alibi dictum est suo loco.

Concil. Trident. *Sess.* 24. *Can.* 9. ait: *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse omnes contrahere matrimonium, etiam si eam voverint, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto: anathema sit.*

75. *Quær.* De impedimento cognationis, & primo de consanguinitate; quid sit, & an distinguantur per lineas, & gradus?

Resp. Div. Th. Consanguinitas est quædam propinquitas in naturali communione fundata, secundum actum generationis, qua natura propagatur, dicitur etiam vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum; & ideo illi, qui conveniunt naturali communicatione dicuntur consanguinei. Ista communicatio secundum *Philos.* 8. *Eth.* est triplex; scilicet principii ad principiatum, & hæc est consanguinitas patris ad filium; & principiati ad principium, & hæc est filii ad patrem; tertia est ab uno principio ad invicem, sicut fratres dicuntur ab eodem nasci. Et quia punctus motus, & protractus lineam facit, ideo tres lineæ consanguinitatis sumuntur; scilicet linea descendentium secundum primam habitudinem, linea ascendentium secundum secundam; linea transversalium secundum tertiam. Sed quia propagationis motus non quiescit in uno termino, sed ultra progreditur, ideo contingit, quod patris est accipere patrem, & filii filium, & secundum hos diversos progressus, diversi gradus in una linea inveniuntur. Gradus vero propinquitatis non potest esse ubi non est propinquitas: & ideo identitas, & nimia distantia gradum consanguinitatis tollunt; quia nimia distantia ex terminis non est propinquitas, & quia per identitatem nullus est sibi ipsi propinquus, sicut nec sibi similis: & propter hoc nulla persona per se ipsam facit aliquem gradum, sed comparata alteri personæ gradum facit ad ipsam: sed tamen diversa est ratio computandi gradus in diversis lineis; gradus enim consanguinitatis in linea ascendentium, & descendentium contrahitur ex hoc, quod una persona ex alia propagatur eorum inter quos gradus consideratur: & ideo secundum computationem Canonicam, & Legalem, persona, quæ primo in processu propagationis occurrit, vel ascendendo, vel descendendo distat ab aliquo, puta a Petro in primo gradu, ut pater, & filius, quæ autem utrinque secundo occurrit distat in secundo gradu, ut avus, & nepos, & sic deinceps. Sed consanguinitas eorum, qui sunt in linea transversali contrahitur non ex hoc, quod unus eorum ex alio propagatur, sed quia uterque propagatur ex uno: & ideo debet gradus in hac linea consanguinitatis computari per comparationem ad unum principium ex quo propagantur: sed secundum hoc est diversa computatio Canonica, & Legalis, quia legalis computatio attendit descensum a communi radice ex utraque parte. Sed Canonica tantum ex altera; ex illa scilicet, ex qua maior numerus graduum invenitur. Unde secundum legalem computationem frater, & soror, vel duo fratres attinent sibi in secundo gradu, quia uterque a radice communi distat per unum gradum; & similiter filii duorum fratrum distant a se invicem in quarto gradu; sed secundum computationem Canonicam duo fratres attinent sibi in primo gradu, quia neuter eorum distat a radice communi, nisi per unum gradum; sed filius unius fratrum distat ab altero fratre in secundo gradu, quia tantum distat a communi radice: & ideo secundum Canonicam computationem quoto gradu distat

quis

quis ab aliquo superiori, toto distat a quolibet descendentium ab ipso, & numquam minus. Contingit aliquando, quod aliquorum duorum, qui sunt in eodem gradu consanguinitatis respectu alicuius personæ, unus est sibi magis consanguineus, quam alius, considerando primum commune principium consanguinitatis, sicut pater, & frater attinet alicui in primo gradu consanguinitatis, quia ex neutra parte incidit aliqua persona media; sed tamen intensive loquendo magis attinet alicui personæ pater suus, quam frater, quia frater non attinet ei, nisi inquantum ex eodem patre. Et ideo quanto aliquis est propinquior communi principio a quo consanguinitas, descendit, tanto est magis intensive consanguineus, quamvis non sit in propinquiori gradu, & secundum hoc propatruus est magis consanguineus alicui, quam pronepos eius. Sic quamvis pater, & patruus sint in eodem gradu respectu radicis consanguinitatis, quia uterque distat uno gradu ab avo, tamen respectu eius, scilicet filii, cuius consanguinitas quæritur non sunt in eodem gradu, quia pater est in primo gradu, patruus autem non potest esse propinquior quam in secundo, in quo est avus, 4. *sent. distinct.* 40. *q.* 1. *art.* 1. *&* 2. *promiscue*.

Concil. Trident. *Sess.* 24. *de reform. cap.* 5. inquit: *Si quis inter gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat*.

„ Ad maiorem claritatem propinquitatum, & graduum, hic ponitur schema „ consanguinitatis.

	IV.	
	Abavus.	
IV.	Abavia.	IV.
Propatruus.	III.	Proavunculus.
Proamita.	Proavus, & Proavia.	Proavuncula.
III.	II.	III.
Patruus.	Avus.	Avunculus.
Amita.	Avia.	Matertera.
II.	I.	II.
Patruus.	Pater.	Avunculus.
Amita.	Mater.	Matertera.
I.	O	I.
Frater.	I.	Soror.
II.	Filius.	II.
Filii, & Filiæ Fratris.	Filia.	Filii, & Filiæ Sororis.
III.	II.	III.
Nepotes, & Neptes Fratris.	Nepos.	Nepotes, & Neptes ex Sorore.
IV.	Neptis.	
Pronepotes, & Proneptes Fratris.	III.	IV.
	Pronepos, Proneptis.	Pronepotes, & Proneptes ex Sorore.
	IV.	
	Abnepos, Abneptis.	

Impedimentum hoc convenienter factum est usque ad quartum gradum, tum quia usque ad quartam generationem homines vivere consueverunt; tum quia in qualibet generatione fit nova mixtio sanguinis cum sanguine alieno, unde in singulis generationibus evanescit prima sanguinis identitas, 3. *p. in suppl. q.* 54. *ad* 4.

76. *Quær.* An consanguinitas de iure naturali divino, & humano impediat matrimonium?

Resp. Div. Th. Illud de iure naturali impedit matrimonium, per quod matrimonium redditur incompetens respectu finis ad quem est ordinatum. Finis matrimonii per se primo, iure naturæ, ut supra

pra dictum est, est bonum prolis, quod quidem per aliquam consanguinitatem, maxime inter patrem, & filiam, vel filium, & matrem impeditur; non quidem, ut totaliter tollatur, quia filia ex semine patris potest prolem concipere, & simul cum patre nutrire, & instruere, in quibus bonum prolis consistit, sed ut non convenienti modo fiat. Inordinatum est enim, quod filia patri per matrimonium adiungatur in sociam causæ generandæ prolis, & educandæ, quam alias oportet per omnia patri esse subiectam, velut ex eo procedentem: & ideo de lege naturali est, ut pater, & mater respectu filiorum a matrimonio repellantur; & magis etiam mater, quam pater, quia magis reverentiæ, quæ debetur parentibus derogatur, si filius matrem, quam si pater filiam ducit in uxorem, cum uxor viro aliqualiter debeat esse subiecta, & sic mater esset aliquo modo filio subiecta, quod est contra legem naturæ, redditur etiam incompetens respectu finis secundarii: finis enim matrimonii secundarius per se est concupiscentiæ repressio, qui deperiret, si quælibet consanguinea posset in matrimonium duci: quia magnus concupiscentiæ aditus præberetur, nisi inter illas personas, quas oportet simul conversari, esset carnalis copula interdicta: & ideo lex Divina non solum patrem, & matrem exclusit a matrimonio, sed etiam alias coniunctas personas, quas oportet simul conversari, & quæ debent invicem altera alterius pudicitiam custodire. Et hanc causam assignat Divina lex dicens, *Deuter.* 18. Ne reveles turpitudinem talis, vel talis, quia turpitudo tua est. Matrimonium redditur etiam incompetens respectu finis per accidens matrimonii, qui est confederatio hominum, & amicitiæ multiplicatio, dum homo ad consanguineos uxoris sicut ad suos se habet: & ideo huic multiplicationi amicitiæ præiudicium fieret, si aliquis sanguine coniunctam uxorem duceret, quia ex hoc nova amicitia per matrimonium nulla accresceret: & ideo secundum leges humanas, & statuta Ecclesiæ plures consanguinitatis gradus sunt a matrimonio separati; sic ergo ex dictis patet, quod consanguinitas quantum ad aliquas personas impedit matrimonium de iure naturali; sicut enim parentibus indidit natura sollicitudinem filiis providendi, ita indidit filiis reverentiam ad parentes: & si aliqui barbari parentibus commiscentur, non procedit ex lege naturali, sed ex concupiscentiæ ardore, qui legem naturæ in eis offuscavit; Et experimento, ait S. *Gregor.* Didicimus ex tali coniugio sobolem non posse succrescere. Et quantum ad aliquas etiam de iure Divino; unde dicitur *Genes.* 2. Propter hoc relinquet homo & patrem, & matrem, quod non potest intelligi quantum ad cohabitationem, & sic oportet intelligere quantum ad matrimonii coniunctionem; & etiam quantum ad aliquas personas de iure per homines instituto, ut videbimus sequenti quæstione, 4. *sent. distinct.* 40. *quæst.* 1. *artic.* 3. *per totum*.

77. *Quær.* Quomodo Ecclesia potuit taxare gradus matrimonium impedientes usque ad quartum gradum?

Resp. Div. Th. Matrimonium, ut supra dictum est, non tantum est in officium naturæ, sed est etiam Sacramentum; & ideo subiacet ordinationi Ministrorum Ecclesiæ, quia sicut contractus, & officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus, & officia spiritualia lege Ecclesiæ. Quare sicut olim matrimonia Gentium dispensabantur per leges civiles, ita nunc per statuta Ecclesiæ: & sicut olim lex civilis determinabat gradus consanguinitatis, qui matrimonium impediebant, & qui non; sic etiam per Ecclesiæ statutum. Nam Ecclesia quandoque prohibuit, & quandoque concessit aliquos gradus, quod lex vetus non prohibuit. Pro quo sciendum, quod secundum tempora diversa invenitur consanguinitas, secundum gradus diversos matrimonium impedisse. In principio enim humani generis solus pater, & mater a matrimonio repellebantur, eo quod tunc temporis erat paucitas hominum, & oportebat propagationi humani generis maximam curam impendere; unde non erant removendæ nisi illæ personæ, quæ matrimonio incompetentes erant, etiam quantum ad principalem matrimonii finem, quod est bonum prolis, ut supra dictum est. Postmodum autem multiplicato humano genere, per legem Moysi plures personæ exceptæ sunt: omnes inquam illæ personæ, ait *Rabbi Moyses*, quæ in una familia cohabitare solent,

quia si inter eas licite carnalis copula esse posset, magnum incentivum libidini præstaretur. Sed alios consanguinitatis gradus lex vetus permisit, immo quandoque præcepit, ut scilicet unusquisque de cognatione sua uxorem acciperet, ne successionum confusio esset, quia tunc temporis cultus divinus per successionem generis propagabatur: & ex ipsis Messias expectabatur. Sed post Christum in lege nova, quæ est lex spiritus, & amoris, plures gradus consanguinitatis sunt prohibiti, quia iam per spiritualem gratiam, non per carnis originem cultus derivatur, & multiplicatur: unde oportet, ut homines magis a carnalibus retrahantur spiritualibus vacantes, & ut amor amplius diffundatur. Et ideo antiquitus usque ad remotiores gradus consanguinitatis matrimonium impediebatur, ut ad plures per consanguinitatem, & affinitatem naturalis amicitia permaneret, & rationabiliter usque ad septimum gradum, quia ultra non de facili remanebat communis radicis memoria. Sed postmodum circa hæc ultima tempora restrictum est Ecclesiæ interdictum usque ad quartum gradum, quia ultra inutile, & periculosum erat gradus consanguinitatis prohibere. Inutile quidem, quia ad remotiores consanguineos, quasi nullus fœdus amoris, & amicitiæ, quam ad extraneos habeatur, quia in qualibet generatione nova mixtio sanguinis cuius identitas consanguinitatem facit, fit cum sanguine alieno, & quantum miscetur alteri, tanto receditur a primo, charitate in cordibus multorum frigescente. Periculosum etiam erat, quia concupiscentia, & negligentia prævalente, tam numerosam consanguineorum multitudinem homines non satis observabant; & sic laqueum damnationis multis iniiciebatur, ex remotiorum graduum prohibitione. Satis enim convenienter usque ad quartum gradum dicta prohibitio est restricta, quia usque ad quartam generationem homines vivere consueverunt. Cum non sit igitur eadem causa secundum diversa tempora gradus consanguinitatis prohibendi, sic aliquo tempore utiliter conceditur, quod alio salubriter prohibetur. Et quamvis consanguinitatis vinculum sit naturale, Ecclesia suo instituto non facit, quod aliqui sint, vel non sint consanguinei, quia secundum omne tempus æqualiter consanguinei remanent, sed facit, quod carnalis copula sit licita, vel illicita secundum diversa tempora, in diversis gradibus consanguinitatis; ita quod si aliqui in quinto gradu, quando prohibitus erat, coniuncti fuissent, talis coniunctio stuprum esset; sed postmodum eadem coniunctio Ecclesia prohibitionem revocante matrimonium esset, non ratione primi contractus, sed quia esset alia coniunctio. Quia sicut Deus non coniungit illos, qui coniunguntur contra Divinum præceptum, ita non coniungit illos pro eo tempore, qui coniunguntur contra Ecclesiæ præceptum, quod habet eamdem obligandi efficaciam, & firmitatem, quam & præceptum divinum. Secundum illud *Luc.* 10. Qui vos audit, me audit, 4 *sent. dist.* 40. *q.* 1. *art.* 4. *per totum promiscue*.

Error Incestuosorum sæculo 12. *Licitum est coniugium in quarto gradu consanguinitatis*.

78. *Quær.* Modo de cognatione spirituali, quid sit, an, & quomodo impediat matrimonium?

Resp. Div. Th. Cognatio spiritualis, est spiritualis propinquitas personarum, sicut dicitur in *Littera*. Nam sicut per carnis propagationem homo accipit esse naturæ, ita per Sacramentum accipit esse spirituale gratiæ. Unde sicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur, est naturale homini inquantum est res quædam naturæ; ita vinculum, quod contrahitur ex Sacramentorum susceptione, est quodammodo naturale alicui, inquantum est membrum Ecclesiæ: & ideo sicut carnalis cognatio impedit matrimonium, ita & spiritualis ex statuto Ecclesiæ; quia quamvis spiritualis cognatio non impediat aliquod de principalibus bonis matrimonii, tamen impedit aliquod de secundariis bonis, quod est amicitiæ multiplicatio, quia spiritualis cognatio est sufficiens ratio amicitiæ per se, cum multo fortius sit vinculum spirituale: unde oportet, quod ad alios per matrimonium familiaritas, & amicitia quæratur. Tamen advertendum est in spirituali cognatione, quia aut præcessit matrimonium, aut sequitur. Si præcessit impedit contrahendum, & dirimit contractum; si sequitur tunc non dirimit vinculum matrimonii. Sed quantum ad actum matrimonii, scilicet quantum ad redditionem debiti, & rursus est distinguendum,

quia

quia aut spiritualis cognatio inducitur causa necessitatis, sicut cum pater baptizat puerum in articulo mortis, & tunc non impedit actum matrimonii ex neutra parte: aut inducitur extra casum necessitatis, ex ignorantia tamen; & tunc si ille, ex cuius actu inducitur diligentiam adhibuit, est eadem ratio sicut de primo: aut ex industria extra casum necessitatis, & tunc ille, ex cuius actu inducitur amittit ius petendi debitum, sed tamen debet reddere, quia ex culpa eius non debet aliquod incommodum alius reportare, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 1. *art.* 1.

79. *Quær.* Per quæ Sacramenta contrahatur cognatio spiritualis, & quinam contrahant hanc cognationem?

Resp. Div. Th. Cognatio spiritualis dicitur ad similitudinem cognationis carnalis, sicut & pater spiritualis dicitur ad similitudinem patris carnalis. Nam pater spiritualis habet cognationem spiritualem inquantum quod convenit cum patre quantum ad generationem. Nam sicut in generatione carnali aliquis nascitur ex patre, & matre, ita in generatione spirituali aliquis renascitur filius Dei sicut patris, & Ecclesiæ sicut matris. Duplex est tamen carnalis nativitas. Prima in utero, in quo adhuc id quod natum est, est adeo debile, quod non possit extra exponi sine periculo; & huic nativitati similatur generatio per baptismum, in quo regeneratur aliquis adhuc quasi fovendus intra uterum Ecclesiæ. Secunda est nativitas ex utero, quando iam id quod natum erat in utero tantum roboratum est, quod potest sine periculo exponi exterioribus, quæ nata sunt corrumpere; & huic assimilatur confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi. Ideo tantum per duo Sacramenta, scilicet per baptismum, & confirmationem, congrue per utrumque istorum Sacramentorum contrahitur spiritualis cognatio. Et sicut ille, qui Sacramentum confert, gerit personam Dei, cuius instrumentum, & minister est; ita ille, qui baptizatum suscipit de sacro fonte, aut confirmandum tenet, gerit personam Ecclesiæ, sic uterque spiritualem cognationem contrahit, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 1. *art.* 2. *&* 3. *quæstiunc.* 1.

80. *Quær.* Quot sint spirituales cognationes, & a quibus distincte contrahantur?

Resp. Div. Th. Sunt tres spirituales cognationes; una, quæ dicitur spiritualis paternitas, quæ est inter patrem spiritualem, & filium spiritualem: alia dicitur compaternitas, quæ est inter patrem spiritualem, & carnalem eiusdem; & quælibet harum impedit contrahendum matrimonium, & dirimit contractum: tertia autem dicitur spiritualis fraternitas, quæ est inter filium spiritualem, & filios carnales eiusdem patris. Hæc tamen sublata est a Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de reform. matrim. cap.* 2. Pater tamen spiritualis, & mater spiritualis eidem non coniunguntur in generatione spirituali, nisi per accidens, quia unus ad hoc per se sufficeret; unde non oportet quod ex hoc aliqua cognatio spiritualis inter eos nascatur, quin possit esse inter eos matrimonium; unde versus:

Unus semper erit Compatrum spiritualis,
Alter carnalis: nec fallit regula talis.

4. *sent. dist.* 42. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad* 2.

Conc. Trid. *Sess.* 24. *de reform. cap.* 2. ait: *Sancta Synodus statuit, ut unus tantum sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, & una baptizatum de baptismo suscipiat, inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem; & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

81. *Quær.* An spiritualis cognatio transeat de viro in uxorem?

Resp. Div. Th. Aliquis potest alicuius fieri compater dupliciter. Uno modo per actum alterius, qui baptizat, vel in ipso baptismo suscipit filium eius; & sic cognatio spiritualis non transit a viro in uxorem, nisi forte ille sit filius uxoris, quia tunc uxor directe contrahit cognationem spiritualem, sicut vir. Alio modo per actum proprium, sicut cum levat filium alterius de sacro fonte; & sic cognatio spiritualis transit ad uxorem, quam iam carnaliter cognovit, non autem si non-

nondum sit consummatum matrimonium, quia nondum effecti sunt una caro: & hoc est per modum cuiusdam affinitatis: unde etiam pari ratione videtur transire ad mulierem, quæ est carnaliter cognita, quamvis non sit uxor: unde versus:

Quæ mihi, vel cuius mea natum de fonte levavit,
Hæc mea commater, fieri mea non valet uxor.
Si qua mea natum, non ex me fonte levavit,
Hanc post fata mea, non inde vetabor habere.

4. *sent. dist.* 42. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiun.* 2. *in corp.*

82. *Quær.* An quilibet possit esse pater spiritualis sive vir, sive mulier, sive iuvenis, sive senex?

Resp. Div. Th. Spiritualis cognatio contrahitur per Sacramentum, quo fideles renascuntur in Christo, in quo non differt masculus a fœmina, servus, & liber, iuvenis, & senex; & ideo indifferenter quilibet potest effici pater spiritualis alterius, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 5.

83. *Quær.* An sit validum matrimonium inter Christianum pura, & inter Iudæam baptizatam ab ipso?

Resp. Div. Th. Spiritualis cognatio impedit matrimonium contrahendum, & dirimit iam contractum: manifestum est autem, quod ex hoc quod Christianus baptizat Iudæam, contrahitur inter eos spiritualis cognatio, quia illa fit filia spiritualis eius, unde nullum est matrimonium sequens, etiamsi expresse contrahat per verba de præsenti, & subsequatur carnalis copula. *Quodlib. 6. art.* 5.

84. *Quær.* An non baptizatus possit contrahere spiritualem cognationem?

Resp. Div. Th. Non baptizatus non potest aliquem levare de sacro fonte, cum non sit membrum Ecclesiæ, cuius typum gerit in baptismo suscipiens; quamvis tamen possit baptizare, quia est creatura Dei, cuius typum gerit baptizans: nec tamen aliquam cognationem spiritualem contrahere potest; quia est expers spiritualis vitæ, in quam homo primo per baptismum nascitur, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 1. *artic.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 3.

85. *Quær.* De cognatione legali, quid sit?

Resp. Div. Th. Cognatio legalis est quædam proximitas proveniens ex adoptione: adoptio autem est extraneæ personæ in filium, & neptem, legitima assumptio, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 2. *art.* 1. & 2.

86. *Quær.* Quotuplex sit adoptio, & alia circa modum adoptandi dictum est in quæstionibus de ultimis voluntatibus.

87. *Quær.* Quomodo adoptio impediat matrimonium?

Resp. Div. Th. Lex divina illas personas præcipue, ut supra dictum est, a matrimonio exclusit, quas necesse erat cohabitare, ne, ut *Rabbi Moyses* dicit, si ad eas liceret carnalis copula, facilius pateret concupiscentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum; & quia filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis sicut filius naturalis; ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi; & talis prohibitio est per Ecclesiam approbata: & inde habetur, quod legalis cognatio matrimonium impediat, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 2. *art.* 2. *in corp.*

88. *Quær.* Inter quos contrahatur cognatio legalis?

Resp. Div. Th. Triplex est legalis cognatio. Prima quasi descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, & filium filii adoptivi, & nepotem, & sic deinceps; quia filii, & nepotes sunt in potestate adoptantis. Secunda, quæ est inter filium adoptatum, & filium naturalem. Tertia per modum cuiusdam affinitatis, quæ est inter patrem adoptantem, & uxorem filii adoptati, vel e converso inter filium adoptatum, & uxorem patris adoptantis. Prima ergo cognatio, & tertia perpetuo matrimonium impediunt; secunda autem nonnisi quando in potestate manet patris adoptantis; unde mortuo patre, vel filio emancipato, potest contrahi inter eos matrimonium. Inter patrem vero adoptantem, & matrem, vel patrem naturalem adoptati non contrahitur aliqua propinquitas, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 2. *art.* 3. & *ad* 1.

89. *Quær.* In quo casu filia naturalis patris adoptantis possit contrahere cum filio adoptivo?

Resp. Div. Th. Cognatio legalis impedit matrimonium propter cohabitationem; & ideo quando solvitur necessitas cohabitationis, non est inconveniens si vinculum cogna-

cognationis non manet, quia soluta adoptione per mortem adoptantis, vel per emancipationem adoptati, tunc est adoptatus extra potestatem eiusdem patris adoptantis, tunc non est impedimentum inter filium adoptatum, & filiam naturalem, & sic potest contrahere cum filia naturali, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 2.

90. *Quær.* De impedimento criminis, quænam sint crimina nedum impedientia, sed dirimentia matrimonium?

Resp. Div. Th. Homicidium, & adulterium in aliquo casu impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum. Sicut uxoricidium ex statuto Ecclesiæ matrimonium impedit, sed quandoque impedit contrahendum, & dirimit contractum; quando scilicet vir propter adulterium, aut per odium occidit uxorem: tamen si timetur de incontinentia eius potest facilius in hoc casu cum eo dispensari per Ecclesiam, ut licite matrimonium contrahat. Quandoque etiam dirimit contractum, ut quando aliquis interficit uxorem suam, ut ducat eam, cum qua mæchatur: tunc enim efficitur illegitima persona simpliciter ad contrahendum cum illa, ita quod si de facto cum ea contraxerit matrimonium, dirimitur. Nam in eo, quo quis peccat debet etiam puniri, ut matrimonio privetur; nam *Can.* 33. *q.* 2. *cap. Interfectores*, habetur: Interfectores suarum coniugum ad pœnitentiam redigendi sunt, quibus pœnitus denegatur coniugium; sed ex hoc non efficitur persona simpliciter illegitima respectu aliarum mulierum: unde si cum alia contraxerit, quamvis peccet, contra statutum Ecclesiæ faciens, tamen matrimonium contractum non dirimitur. Sunt etiam alia crimina, quæ dirimunt matrimonium contractum. Unum est, quando aliquis cum aliqua coniugata concubuit, & ex hoc machinatur in mortem viri cum effectu: tunc enim ad invicem contrahere non debent; & si contraxerint, separantur. Secundum est quando præstat fidem adulteræ, quod ducet eam in uxorem, sed hoc intelligendum est, quando tam adulter, quam adultera sciebant impedimentum: alias matrimonium non dirimeretur postquam contractum esset. Tertium est quando contrahit cum ea de facto: primum enim matrimonium facit quod non stat secundum: unde si primum non fuisset verum matrimonium, secundum staret. Sciendum etiam, quod in casu secundo, & tertio, fide data de matrimonio contrahendo, etiam matrimonio contracto per verba de præsenti de facto, nisi fuerit ibi pollutio carnalis, non propter hoc dirimitur matrimonium sequens post mortem viri de novo contractum, 4. *sent. dist.* 35. *in expos. Litt.* & 37. *q.* 2. *art.* 2. *in corp.* & *ad* 1.

91. *Quær.* An occidere matrem, cum sit maius peccatum quam occidere uxorem, matrimonium impediat?

Resp. Div. Th. Simpliciter loquendo, gravius peccatum est occidere matrem, quam uxorem, & magis contra naturam: quia naturaliter homo matrem reveretur; & ideo minus inclinatur ad interfectionem matris, & pronior est quis ad interfectionem uxoris; ad cuius pronitatis repressionem uxoricidis est matrimonium ab Ecclesia interdictum; occisio vero matris non impedit matrimonium, 4. *sent. dist.* 37. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2.

92. *Quær.* De disparitate cultus, quare disparitas cultus inter fidelem, & infidelem matrimonium impediat?

Resp. Div. Th. Principalius bonum matrimonii est proles ad cultum Dei educanda: cum autem educatio fiat communiter per patrem, & matrem, uterque secundum fidem intendit ad cultum Dei prolem educare: & ideo si sint diversæ fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit; & ita inter eos non potest esse conveniens matrimonium; & propter hoc disparitas cultus præcedens matrimonium impedit ipsum ne contrahi possit, ut habetur *Canon.* 28. *q.* 1. *cap. Iam nunc*, 4. *sent. dist.* 39. *q.* 1. *art.* 1.

93. *Quær.* An si fidelis cum aliqua hæretica contrahat, vel cathecumenus cum aliqua fideli, matrimonium dirimatur?

Resp. Div. Th. Matrimonium est Sacramentum: & ideo quantum pertinet ad necessitatem Sacramenti requirit paritatem quantum ad Sacramentum fidei, scilicet baptismum magis, quam quantum ad interiorem fidem: unde etiam hoc impedimentum non dicitur disparitas fidei, sed disparitas cultus, qui respicit exterius servitium; & propter hoc si aliquis fidelis cum hæretica baptizata matrimonium contrahit verum est matrimonium,

nium, quamvis peccet contrahendo, si sciat eam hæreticam, sicut peccaret si cum excommunicata contraheret, non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur. E contrario si aliquis cathecumenus habens rectam fidem, sed non nondum baptizatus cum aliqua fideli baptizata contraheret, non esset verum matrimonium 4. *sent. dist.* 39. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 5.

94. *Quær.* An vir conversus ad fidem possit manere cum uxore infideli?

Resp. Div. Th. Fides eius, qui est in matrimonio non solvit, sed perficit matrimonium; unde cum inter infideles sit verum matrimonium, ut est officium naturæ, licet non perfectum ultima perfectione, sicut est inter fidelis secundum quod est Sacramentum: per hoc quod alter eorum convertitur ad fidem, non ex hoc ipso vinculum matrimonii solvitur, sed aliquando, vinculo matrimonii manente solvitur matrimonium quantum ad cohabitationem, & debiti solutionem, in quo pari passu currunt infidelitas, & adulterium, quia utrumque est contra bonum prolis. Unde sicut se habet in potestate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea, ita se habet in potestate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea; potest enim vir innocens libere cum adultera commanere spe correctionis, non autem si in adulterii peccato fuerit obstinata, ne videatur patronus turpitudinis, quamvis etiam cum spe correctionis, possit eam libere dimittere: similiter fidelis conversus potest cum infideli manere spe conversionis, si eam in infidelitate obstinatam non viderit, & bene facit commanendo, tamen non tenetur; & sic est consilium *Apost.* 1. *ad Cor.* 7. & ex culpa sua uxor præiudicium patitur, quæ converti contemnit, si vir fidelis uxorem infidelem dimittit, & non permittitur ei cohabitare, ut habetur etiam in *Decret.* 28. *q.* 1. 4. *sent. dist.* 39. *q.* 1. *art.* 2 *ad* 1. *&* *art.* 3.

95. *Quær.* An vir fidelis discedens ab uxore infideli possit aliam ducere uxorem, vel votum emittere?

Resp. Div. Th. Quando alter coniugum ad fidem convertitur altero in infidelitate remanente, distinguendum est. Quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia Creatoris, vel sine hoc, quod ad infidelitatem inducat, potest quidem fidelis adhuc libere discedere; sed discedens non potest alteri nubere. Si autem infidelis non velit cohabitare sine contumelia Creatoris in verba blasphemiæ prorumpens, & nomen Christi audire nolens; tunc si ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis discedens potest alteri per matrimonium copulari, quia matrimonium infidelium non est omnino perfectum, firmum, & ratum, sed ratificatur, & perficitur postmodum per fidem Christi, & Sacramentum: semper autem firmius vinculum solvit minus firmum, si ei sit contrarium: & ideo matrimonium quod post in fide Christi contrahitur, solvit matrimonium, quod prius in infidelitate contractum erat; & crimen uxoris nolentis habitare sine contumelia Creatoris, absolvit virum a servitute, qua tenebatur uxori, ut non posset ea vivente aliam ducere; sed non statim solvitur matrimonium, quia si blasphema illa interim converteretur antequam vir aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus. Sed post quam fidelis contraxit per sequens matrimonium, solutum est vinculum matrimonii præcedentis ex utraque parte, quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum; quandoque tamen claudicat quantum ad effectum. Unde in pœnam ei indicitur, ut non possit cum alio contrahere, sed si postea convertatur, potest ei concedi dispensative, ut alteri nubat, si vir eius aliam uxorem duxit. Similiter si post conversionem viri sit aliqua probabilis spes de conversione uxoris, non debet statim nec votum continentiæ vir emittere, nec ad aliud matrimonium transire, quia difficilius converteretur uxor, viro suo sciens se privatam; si autem non sit spes de conversione, potest etiam ad sacros ordines, vel ad religionem accedere, prius tamen requisita uxore, quod convertatur: & tunc si postquam vir sacros ordines accepit, vel aliam duxit, uxor convertatur, non est sibi vir suus reddendus; sed debet sibi imputare in pœnam tardæ conversionis, quod viro suo privatur. Sed solum, si convertatur potest ei concedi dispensative, ut alteri nubat, si vir eius aliam uxorem duxit, quod dictum est de uxore infideli pari passu dicitur e converso de viro infideli, ut supra dictum est, 4. *sent. dist.*

dist. 39. *art.* 5. *per totum promiscue, & in exposit. Littera.*

96. *Quær.* An aliqua alia crimina solvant matrimonium, sicut infidelitas?

Resp. Div. Th. Fornicatio corporalis, & infidelitas specialem habent contrarietatem ad bona matrimonii; unde specialiter habent vim separandi matrimonia. Sed tamen intelligendum, quod matrimonium dupliciter solvitur: uno modo quantum ad vinculum; & sic non potest solvi postquam matrimonium est ratificatum, scilicet per fidem Christi, & Sacramentum, neque per infidelitatem supervenientem, neque per adulterium; sed si non est per Sacramentum ratificatum solvitur vinculum permanente infidelitate in altero coniugum cum contumelia Creatoris, si alter conversus ad fidem ad aliud coniugium transeat, ut supra dictum est; non autem solvitur vinculum prædictum per adulterium; quia quamvis adulterium magis directe opponatur matrimonio in quantum est in officium naturæ, quam infidelitas; tamen e converso est, secundum quod matrimonium est Sacramentum Ecclesiæ, ex quo habet perfectam firmitatem, in quantum significat indivisibilem coniunctionem Christi, & Ecclesiæ: & ideo matrimonium quod non est ratum per fidem Christi, magis potest solvi, quantum ad vinculum, per infidelitatem, quam per adulterium. Alio modo solvitur matrimonium quantum ad actum; & sic solvi potest tam per infidelitatem, quam per fornicationem corporalem. Sed propter alia peccata non potest solvi matrimonium etiam quantum ad actum; nam *Matth.* 5. Qui dimiserit uxorem excepta causa fornicationis mæchatur; nisi forte ad tempus vir se velit subtrahere a consortio uxoris ad castigationem eius, subtrahendo ei præsentiæ suæ solatium, 4. *sent. dist.* 39. *q.* 1. *art.* 6. *in corp. & ad* 1.

97. *Quær.* An crimen fornicationis in infidelitate commissum solvat matrimonium, si coniux convertatur?

Resp. Div. Th. Si mulier ante conversionem fuerit fornicata, & conversa repetat virum suum conversum, vir non potest excipere contra eam de fornicatinne prius commissa, si ipse occasionem fornicationi dedit, puta si noluit cohabitare ei volenti cohabitare sine contumelia Creatoris; alias potest excipere; & tamen ratificatur matrimonium, ita quod ulterius non possit solvi quantum ad vinculum, ut viro liceat aliam uxorem ducere, quamvis possit solvi quantum ad actum, 4. *sent. dist.* 39. *in expositione Littere.*

98. *Quær.* Quid agendum quando infideles convertuntur, & sunt coniuncti in gradu prohibito, vel habent plures uxores?

Resp. Div. Th. Infideles non baptizati non sunt adstricti statutis Ecclesiæ, sed sunt adstricti statutis iuris divini; & ideo si contraxerint aliqui infideles in gradibus secundum legem divinam prohibitis, *Levitici* 18. puta cum matre, vel sorore, & similiter in primo gradu, sive uterque, sive alter ad fidem convertatur, non possunt in tali matrimonio commanere: si autem contraxerint in gradibus prohibitis post statutum Ecclesiæ, possunt commanere, si uterque convertatur, vel si uno converso spes sit de conversione alterius. Habere vero plures uxores absolute est contra legem naturæ, cui etiam infideles sunt adstricti. Dicitur enim *Genes.* 2. Erunt duo, in carne una. Et in quadam *Decretali de divortiis, cap. Gaudemus*, 55. Nec illi, dicitur quod nunquam licuit alicui habere plures uxores sine dispensatione per divinam inspirationem habita; quia vir non posset simul utrique reddere debitum si simul peterent, cum alias necesse sit reddere debitum, cum una peterit; nam contrahens cum una uxore, statim sui corporis potestatem ei tradit. Et ideo non est verum matrimonium infidelis, nisi cum illa, cum qua primo contraxit; unde si ipse cum omnibus suis uxoribus convertatur, potest cum prima cohabitare, & alias debet abiicere: & si repudiata prima uxore alteram duxit, idem est iudicium, quia tenetur primam, quam repudiaverat accipere, si converti voluerit, & aliam abiicere. Si autem prima converti noluerit, & alia convertatur, idem ius habet contrahendi de novo; quod cum alia haberet, sicuti supra dictum est, 4. *sent. dist.* 33. *q.* 1. *art.* 1. *& dist.* 39. *art.* 3. *ad* 3. *& ad* 4. *& ad* 5. *promiscue.*

99. *Quær.* Nunc de impedimento vis, sive coactionis, an consensus coactus tollat matrimonium?

Resp. Div. Th. Cum agatur in præsenti de interiori consensu, in quem non

non cadit coactio, sive vis, quæ a metu distinguatur: & ideo quantum ad propositum pertinet, idem est coactio, quam metus. Est autem metus, secundum iurisperitos: Instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio. Cogitur enim aliquis metu quando aliquid facit, quod alias non vellet, ad evitandum aliquid, quod timet; sicut cum quis proiicit merces in mari, ne periclitetur. Ad matrimonium enim non sufficit quodcumque voluntarium, scilicet mixtum, sed voluntarium complete: quia debet esse perpetuum, nam vinculum matrimonii perpetuum est. Unde illud quod, perpetuitati repugnat tollit matrimonium; metus autem, qui cadit in virum constantem perpetuitatem contractus tollit, quia potest peti restitutio in integrum, vel saltem potest quis petere Iudici pronuntiare; & legislator in integrum restitutionem adiudicat, ratum non habens, quod vi, sive metus causa factum est. Et sic coactio tollit matrimonium. Quia Ecclesia iudicat illum consensum extortum non esse sufficientem ad faciendum matrimonium, ut in *cap. ad Audientiam*. De his, quæ vi, metusve causa fiunt; maxime quia matrimonium fidelium signat coniunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ fit secundum libertatem amoris; unde non potest fieri per coactum consensum, cum consensus locum non habeat ubi metus, vel coactio intercidit. Unde necesse est ubi communis consensus requiritur, cum consensus sit causa efficiens in matrimonio coactionis materia repellatur, 4. *sent. dist.* 29. *q.* 1. *art.* 3. *per totum promiscue.*

Quare Concil. Trid. *Sess.* 24. *de refor. Matrim. cap.* 9. dicit; *Præcipit Sancta Synodus omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogant quo minus libere matrimonia contrahant.*

100. *Quær.* An saltem Pater possit cogere filium ad matrimonium?

Resp. Div. Th. Cum Matrimonium sit quædam quasi servitus perpetua, pater non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum, cum sit liberæ conditionis. *De Despons. Impub. cap.* 1. Nam homo homini non tenetur obedire in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem: unde non tenentur filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, vel aliquo alio huiusmodi, 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. & quamvis *Apostolus* dicat *ad Col.* 3. Filii obedite parentibus vestris per omnia, verbum Apostoli non intelligitur in illis, in quibus sicut pater est liber, ita & filius, & huiusmodi est matrimonium, per quod etiam filius fit Pater. Unde Patre imperante matrimonium, filius potest sine peccato religionem intrare; cum tamen potest inducere ex rationabili causa ad matrimonium, 4. *sent. dist.* 29. *q.* 1. *art.* 4.

101. *Quær.* De impedimento ordinis, qualiter ordo impediat Matrimonium?

Resp. Div. Th. Ordo sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia quod Matrimonium impedire debeat; quia in sacris ordinibus constituti sacra vasa, & Sacramenta tractant; & ideo decens est, ut munditiam corporalem per continentiam servent. Illi tamen, qui sunt in minoribus ordinibus constituti, ex vi ordinis non prohibentur matrimonium contrahere; quia quamvis ordines illi deputentur ad aliqua spiritualia, non tamen immediate habent accessum ad tractandum sacra, sicut illi, qui sunt in sacris ordinibus. Sed secundum statutum Occidentalis Ecclesiæ matrimonii usus, executionem ordinis non sacri impedit, propter servandam maiorem honestatem in officiis Ecclesiæ. Sed illi, qui sunt in sacris ordinibus constituti significant Christum nobilioribus actibus, ideo ordo sacer ubique, ex constitutione Ecclesiæ, impedit matrimonium contrahendum: se habet tamen aliter apud Latinos, quam apud Græcos; quia apud Græcos impedit matrimonium contrahendum solum ei vi ordinis: & ulterius ex voto continentiæ, quod est ordinibus sacris annexum: quod etiam si verbo tenus quis non emittat, ex hoc ipso quod ordinem suscipit, secundum ritum Occidentalis Ecclesiæ intelligitur emisisse. Unde Decretalis *cap. Si qui Clericorum*, dicit: Si in Subdiaconatu, & aliis Superioribus ordinibus uxores accepisse noscuntur, eos uxores dimittere compellatis; & Neo apud Græcos, & alios Orientales sacer ordo impedit Matrimonium

nium contrahendum, non tamen matrimonii prius contracti usum: possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint matrimonium de novo contrahere. Sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium, & matrimonii usum, nisi forte ignorante, aut contradicente uxore vir ordinem sacrum susceperit quia ex hoc non potest ei aliquod præiudicium generare. Nam si matrimonio iunctus ad sacros ordines quis accedat, reclamante uxore, quamvis characterem ordinis suscipit, attamen exequutione ordinis caret, & tunc vinculum ordinis solvit vinculum matrimonii ratione redditionis debiti, quia ipse non potest petere debitum, nec uxor tenetur ei reddere; sed non solvit ex parte alterius, quia ipse uxori tenetur debitum reddere, si non possit eam inducere ad continentiam. Si vero uxor sciat, & de eius consensu vir ordinem sacrum susceperit, tenetur continentiam perpetuam vovere: non tamen tenetur Religionem intrare, si sibi non timeat de periculo castitatis; secus autem si emisisset votum simplex castitatis. Immo etiam Græci non debent accedere ad sacros ordines sine consensu uxorum, quia ad minus tempore ministerii sui fraudantur debiti redditione, quo fraudari non possunt secundum ordinem iuris, si uxoribus contradicentibus aut ignorantibus viri Græci ordines susceperint: eo ipso tamen quod mulier consentiat apud Græcos quod vir suus ordinem suscipiat, de hoc non potest conquæri, immo obligat se ad hoc, quod ipsa in perpetuum alteri non nubat; quia significatio matrimonii non servaretur, quæ in matrimonio Sacerdotis præcipue exigitur; si autem sine consensu eius vir ordinatur, non videtur ad hoc teneri. Si vero defuncta uxore ordinem sacrum quis accipiat nedum recipit ordinem, sed etiam exequutionem, quia matrimonium potest impediri ex ordine præcedente quod non sit verum matrimonium, non autem ordo potest impediri ex matrimonio præcedenti, quod non sit verus ordo, 4. *sent. dist.* 37. *q.* 1. *art.* 1. *&* 2. *per totum promiscue.*

102. *Quær.* De impedimento Ligaminis quomodo Ligamen impediat matrimonium?

Resp. Div. Th. Impeditur aliquis a matrimonio non simpliciter, sed respectu alicuius personæ propter obligationem ad alteram personam, sicut qui iunctus est uni matrimonio, non potest alteri coniungi. Nam lex de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta, non verbo, aut litteris tradita, sed cordi impressa; & ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit, per inspirationem internam, quæ quidem principaliter olim Sanctis Patribus facta est eo tempore, quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut maior esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Semper enim principalior finis magis conservandus est, quam secundarius: unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundariis finibus evenire, ad quod removendum præceptum nunc prohibens pluralitatem uxorum ordinatur. Matrimonium etenim habet nedum pro fine principali prolis procreationem, & educationem, sed pro fine secundario communicationem operum, quæ sunt necessaria in vita, & secundum hoc fidem sibi invicem debent uxorati, quæ est unum de bonis matrimonii. Habet ulterius alium finem inquantum in fidelibus est in significationem Christi, & Ecclesiæ, & sic bonum Matrimonii dicitur Sacramentum. Unde primus finis respondet Matrimonio homini inquantum est animal: secundus inquantum est homo: tertius inquantum est fidelis. Pluralitas ergo uxorum vere neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fæcundandis, & educandis filiis ex eis natis. Attamen secundum finem, etsi non totaliter tollat, multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores iunguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, nam homo contrahens cum una uxore sui corporis potestatem ei tradit, & necesse est reddere debitum cum petierit, si postea alteri potestatem sui corporis tradat, & quod datum est uni, alteri detur, non posset utrique reddere debitum cum simul peterent, & quia communicatio plurium in uno officio causat litem, sicut figuli corrixantur ad invicem, similiter plu-

plures uxores unius viri, & sic non posset esse pax in familia. Tertium autem finem totaliter tollit eo quod sicut Christus est unus, ita Ecclesia una, unde quod sit una unius in ipsa etiam institutione humanæ naturæ est inditum, ut patet *Genes.* 2. erunt duo in carne una: iure igitur naturali, & divino prohibetur, quod qui iunctus est uni matrimonio non possit alteri coniungi. Et sic ligamen est impedimentum matrimonii, 4. *sent. dist.* 33. *q.* 1 *art.* 1. *&* 2. *promiscue per totum*, *& dist.* 34. *q.* 1. *art.* 1. *in corp. circa finem.*

Concil. Trid. *Sess.* 24 *Cap.* 1. *& Can.* 2. hanc doctrinam comprobavit, & decrevit dicens: *Hoc vinculo duos tantummodo copulari, & coniungi Christus Dominus apertius docuit. Cum Matth.* 19. *dixit, Itaque iam non sunt duo, sed una caro.* Unde *Can.* 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum: anathema sit.*

103. *Quær.* De impedimento publicæ honestatis quid sit, & quomodo contrahatur?

Resp. Div. Th. Ex sponsalibus non causatur proprie affinitas, sicut ex matrimonio, ut infra dicetur, sed aliquid affinitati simile, quod dicitur publicæ honestatis iustitia, & definitur sic: publicæ honestatis iustitia est propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione propter eius honestatem, & hæc fit non ratione sui, sed ratione eius ad quod ordinatur, & ita sicut matrimonium est perpetuum vinculum, ita prædictus affinitatis modus, qui impedit matrimonium, sicut impedit affinitas, & consanguinitas, & secundum eosdem gradus, inspecto iure antiquo. Quare *De sponsal. & matrim. cap. Ad audientiam, Alex. Papa* Prohibuit mulierem quamdam cuidam viro coniungi in matrimonium, quæ fratri suo fuerat desponsata. Omnia vero impedimenta, quæ faciunt sponsalia de facto non esse sponsalia, non permittunt hanc affinitatem fieri, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. *in corp. & ad* 1. *& ad* 3.

Unde idem Concil. Trid. *Sess.* 24. *de refor. Matrim. Cap.* 3. ita decrevit: *Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit, ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus iam non potest huiusmodi prohibitio absque dispendio observari.*

104. *Quær.* De impedimento affinitatis quomodo oriatur affinitas, & eius impedimentum?

Resp. Div. Th. Amicitia quædam naturalis in communicatione quadam naturali fundatur. Naturalis autem communicatio est duobus modis: uno modo per carnis propagationem: alio modo per coniunctionem ad carnis propagationem ordinatam: sed in hoc differt prima a secunda quod persona coniuncta alicui per carnis propagationem, sicut filius patri, fit particeps eiusdem radicis, & sanguinis: unde eodem genere vinculi colligatur filius consanguineis patris, quo pater coniungebatur, scilicet consanguinitate, quamvis secundum alium gradum propter maiorem distantiam a radice: sed persona coniuncta per carnalem copulam non fit particeps eiusdem radicis, sed quasi extrinsecus adiuncta, & ideo ex hoc efficitur aliud genus vinculi, quod affinitas dicitur. Et hoc est quod in hoc versu dicitur: *Mutat nupta genus, sed generata gradum.* Quia scilicet personam per generationem fit in eodem genere attinentiæ, scilicet consanguinitatis, sed in alio gradu; per carnalem vero copulam fit in alio genere, scilicet affinitatis, quia carnalis copula est causa affinitatis, ut patet per definitionem affinitatis, quæ talis est. Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula proveniens omni carens parentela, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *per totam.*

105. *Quær.* An ex copula illicita causetur affinitas?

Resp. Div. Th. Carnalis copula, ut dictum est, est causa affinitatis, sed carnalis copula est etiam in illicito concubitu, ergo illicitus concubitus affinitatem causat, inquantum habet aliquod de naturali cognatione; nam in fornicario concubitu est aliquod naturale, id est commixtio seminum; adhærens enim meretrici unum corpus efficitur, ut ait *Apost.* 1. *Cor.* 6. Quod est commune fornicationi, & matrimonio, quia ex tali copula potest

test proles produci, & ex hac parte affinitatem causat; ita tamen quod si aliquis claustrum pudoris alicuius mulieris invasit, & aperuit, sed non pervenit ad operis consummationem, non contrahitur ex hoc affinitas. Similiter concubitus contra naturam, cum non habeat commixtionem seminum, quæ possit esse causa generationis, ex tali concubitu nullo modo causatur aliqua affinitas, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 3. *in corp. & ad* 1. *& ad* 3. *totum promiscue*.

106. *Quær.* An ex matrimonio rato causetur affinitas etiam ante copulam?

Resp. Div. Th. Dictum est, quod vir, & Mulier efficiuntur ex carnali copula una caro per commixtionem seminum; & quantumcumque aliquis claustra pudoris invadat, vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas: Nunc dicimus, quod Matrimonium affinitatem causat non solum ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione societatis coniugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est. Unde & affinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonii per verba de præsenti ante carnalem copulam, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 5. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. *ad* 2.

107. *Quær.* An affinitas habeat per se ipsam gradus, & an extendantur ad normam gradus consanguinitatis?

Resp. Div. Th. Carnis propagatio per se comparatur ad consanguinitatem, quia ex ea immediate consanguinitatis vinculum contrahitur, sed ad affinitatem non comparatur, nisi mediante consanguinitate, quæ est causa eius. Unde cum gradus attinentiæ per propagationem carnis distinguantur, distinctio graduum per se, & immediate competit consanguinitati, sed affinitati mediante consanguinitate: & ideo ad inveniendum gradus affinitatis est regula generalis, quod quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi uxor, & tot sint gradus affinitatis, quot sunt gradus consanguinitatis; dictum est supra, quod quatuor sunt gradus consanguinitatis, totidem erunt gradus affinitatis, 4 *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *in corp.*

108. *Quær.* Qualiter affinitas matrimonium impediat?

Resp. Div. Th. Affinitas præcedens matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum eadem ratione, qua & consanguinitas: sicut enim inest necessitas quædam cohabitandi consanguineis ad invicem, ita & affinitas, & sicut est quoddam amicitiæ vinculum inter consanguineos, ita inter affines, unde sicut consanguinitas impedit matrimonium, ita affinitas, inquantum impediret amicitiæ multiplicationem, & concupiscentiæ repressionem, quæ per matrimonium exterorum quæruntur. Sed si affinitas matrimonio superveniat non potest ipsum impedire: sed tamen quia affinitas est minus vinculum, quam consanguinitas, facilius olim, & nunc dispensatio fit in remotis gradibus affinitatis, quam in remotis gradibus consanguinitatis, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 1. *in corp. & quæstiunc.* 3. *in corp*

Quare Concil. Trid. *Sess.* 24. *de refor. Matrim. cap.* 5. decrevit: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit separetur, & spe dispensationis consequendæ careat. Idque in eo multo magis locum habet qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit*. Et *Cap.* 4. *Præterea Sancta Synodus, eisdem, & aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod præter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum qui primo, & secundo gradu coniunguntur, restringit, in ulterioribus vero gradibus statuit huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere*.

109. *Quær.* An idem possit esse affinis, & consanguineus?

Resp. Div. Th. Potest inter aliquas duas personas esse affinitas, & consanguinitas, non solum per illicitum concubitum, sed etiam per licitum, sicut cum consanguineus meus ex parte patris duxit in uxorem consanguineam meam ex parte matris: unde quod dicitur in definitione affinitatis, quod sit propinquitas ex carnali copula proveniens omni carens parentela, intelligendum est inquantum est huiusmodi: nec tamen sequitur, quod aliquis, puta; consanguineam suam agnoscens incestuose sibi ipsi sit affinis, quia affinitas, sicut consanguinitas, diversita-

tem requirit personarum, sicut & similitudo rerum diversitas requirit, sicut homo sibi ipsi est idem non consanguineus, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 1. *questiunc.* 3. *ad* 2.

110. *Quer.* An affinitas maneat post mortem viri inter uxorem, & consanguineos viri defuncti?

Resp. Div. Th. Affinitas non dirimitur manentibus illis personis, inter quos affinitas est contracta, quamvis moriatur persona, ratione cuius contracta fuit. Quia coniunctio matrimonii causat affinitatem non solum secundum hoc, quod est actu coniungi, scilicet non solum quae est, sed secundum hoc quod est prius coniunctum esse, scilicet quae fuit, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 1. *questiunc.* 2. *per totam*

111. *Quer.* An affinitas causet affinitatem?

Resp. Div. Th. Consanguinitas est fortius vinculum quam affinitas. Sed consanguinei uxoris non efficiuntur affines consanguineis viri, multo minus affines uxoris efficiuntur eis affines, quia affinitas non causat affinitatem. Nam mediante una persona non coniungitur mihi alia, nisi ex hoc, quod ei adiungitur, unde mediante muliere, quae mihi est affinis, nulla persona fit mihi attinens, nisi quae illi mulieri adiungitur; quod non potest esse nisi per carnalem propagationem ex ipsa, vel propter coniunctionem matrimonialem ad eam: & utroque modo aliqua attinentia mediante praedicta muliere secundum iura antiqua mihi proveniebat; quia filius eius etiam ex alio viro efficitur mihi affinis in eodem genere, sed in alio gradu. Et iterum secundus vir eius efficitur mihi etiam affinis in secundo genere, sed consanguinei alii illius mulieris non adiunguntur ei ex matrimonio; sed ipsa vel coniungitur, sicut patri, & matri inquantum procedit ab eis, vel principio eorumdem sicut fratribus; unde frater affinis meae, vel pater non efficitur mihi affinis in aliquo genere, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 1. *questiunc.* 5. *sed contra* 3. *& ad* 6.

112. *Quer.* An copula incestuosa, qua quis cognoscit sororem uxoris suae inducat omni tempore impedimentum, & quomodo?

Resp. Div. Th. Si aliquis cognoscit sororem, aut aliam consanguineam uxoris suae ante matrimonium contractum, etiam post sponsalia, oportet matrimonium separari ratione affinitatis contractae: si autem post matrimonium contractum, & consummatum, non debet totaliter separari matrimonium, sed vir amittit ius petendi debitum, nec potest petere sine peccato; sed tamen debet reddere petenti, quia uxor non debet puniri de peccato viri; sed post mortem uxoris debet omnino manere absque spe coniugii, nisi cum eo dispensetur propter fragilitatem suam, cui timetur de illicito coitu. Si tamen praeter dispensationem contrahat, peccat contra statutum Ecclesiae faciens; non tamen propter hoc matrimonium separandum est, 4. *sent. dist.* 34. *q.* 1. *art.* 5. *in corp.*

113. *Quer.* Nunc de impedimento impotentiae coeundi quomodo dirimat matrimonium?

Resp. Div. Th. Primo notandum est, quod impossibilitas carnalis copulae ex aliquo impedimento proveniens potest dupliciter considerari: quia vel illud impedimentum est superveniens matrimonio iam consummato, vel praecedens; si est superveniens, tunc matrimonium iam consummatum nunquam solvitur; si vero impedimentum praecedat, tunc matrimonium nondum consummatum solvitur. Item circa hoc sciendum, quod impedimenta huiusmodi, vel sunt perpetua, vel ad tempus. Si sunt perpetua, tunc matrimonium simpliciter impeditur: Si vero sunt temporalia tunc matrimonium non impeditur simpliciter, sed ad tempus: ita tamen quod impedimentum in utrisque praecedat. Horum ratio est, quia in matrimonio est contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum; unde sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc quod non potest dare, vel facere, ita non est conveniens matrimonio contractus, si fiat ab aliquo, qui debitum carnale solvere non potest, & hoc impedimentum vocatur impotentia coeundi nomine generali, quae quidem potest esse, vel ex causa intrinseca, & naturali, vel ex causa extrinseca, & accidentali, sicut per maleficium, de quo post dicetur. Si autem sit

sit ex causa naturali, hoc potest esse dupliciter, ut supra notavimus, quia vel est temporalis, cui potest subveniri beneficio medicinæ, vel processu ætatis, & tunc non solvit matrimonium; vel est perpetua, & tunc solvit matrimonium; ita quod ille ex cuius parte allegatur impedimentum, perpetuo maneat absque spe coniugii, alius nubat cui vult in Domino. Ad hoc autem cognoscendum utrum sit impedimentum perpetuum, vel non perpetuum, Ecclesia tempus determinatum adhibuit, in quo huius rei posset esse experimentum; scilicet triennium, ut habetur extra de frigidis, & maleficiatis *cap. Laudabilem*. Ita quod si post triennium, in quo fideliter ex utraque parte dederunt operam carnali copulæ implendæ, inveniatur matrimonium non esse consummatum; iudicio Ecclesiæ dissolvitur. Tamen in hoc Ecclesia quandoque errat, quia per triennium quandoque non sufficienter potest experiri perpetuitas impotentiæ; unde si Ecclesia se deceptam inveniat per hoc quod ille, in quo erat impedimentum inveniatur carnalem copulam cum eadem, vel alia perfecisse, reintegrat præcedens matrimonium, & dirimit secundum, quamvis de eius licentia factum, 4. *sent. dist.* 34. *q.* 1. *art.* 1. *in corp. & quodlib.* 11. *art.* 10. *promiscue*.

114. *Quær.* An frigiditas, & maleficium impediant, & quomodo matrimonium?

Resp. Div. Th. Frigiditas eadem ratione impedit matrimonium, sicut maleficium, cum sit eadem impossibilitas in utroque, ut habetur extra de frigidis, & maleficiatis *Cap. Laudabilem*. Nihilominus tamen differunt frigidus, & maleficiatus. Frigidus enim est impotens simpliciter quantum ad omnes, maleficiatus vero est quidem impotens, non tamen quoad omnes, sed quo ad unam tantum. Nam maleficium consistit in imaginatione viri respectu unius mulieris, vel e contra, inquantum scilicet operatione dæmonis fit illi abominatio alicuius mulieris, quam propter horrorem refugit, & respuit: & ideo aliter, ut in plurimum impedit frigiditas, & aliter maleficium; quia qui est impotens ex frigiditate, sicut est impotens ad unam, sic ad aliam, ita ut oportet quod remaneat absque omni spe contrahendi, si ab una impediatur; unde frigiditas solvit contractum, & impedit contrahendum, & non datur ei licentia, ut alteri coniungatur. Tamen si forte aliquando quis efficiatur potens, oportet reintegrare primum matrimonium: maleficiatus vero impeditur quantum ad istam tantum, quia homo potest esse impotens ad unam, & non ad aliam: & ideo quando iudicio Ecclesiæ matrimonium dirimitur utrique datur licentia quod alteram copulam quærat, datur scilicet viro licentiam nubendi alteri, & mulier similiter potest. Unde maleficium solvit contractum, sed non dirimit, ut in plurimum contrahendum, dixi ut in plurimum, quia quandoque maleficium potest præstare impedimentum perpetuum, & ad omnes, quandoque ad unam tantum; quia diabolus voluntaria causa est, non ex necessitate naturæ agens, & tunc maleficium iudicatur perpetuum, quando non potest habere remedium humano opere, quamvis Deus posset præstare dæmonem cogendo. Neque oportet id quod per maleficium factum est, possit per maleficium aliud destrui, ut ipsi malefici confitentur; & tamen si posset per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputatur, quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficia invocare. Similiter etiam exorcismi Ecclesiæ non valent ad reprimendum dæmones semper, quantum ad omnes molestias corporales. iudicio divino hoc exigente, semper tamen valent contra illas infestationes dæmonum, contra quas principaliter instituta sunt, unde in *decret.* 33. *q.* 1. Si per sortiarias, vel maleficas, & infra: Si sanari non potuerint, separari valebunt, *Quodlibet.* 11. *q.* 9. *art.* 11. & 4. *sent. dist.* 34. *q.* 1. *art.* 3. *per tot. & promiscue*.

115. *Quær.* An nimia caliditas sicut frigiditas impediat matrimonium?

Resp. Div. Th. Caliditas superflua vix potest esse impedimentum perpetuum. Si tamen inveniretur nimia caliditas, quod per triennium impediret carnalem copulam, iudicaretur perpetuum: tamen quia frigiditas magis, & frequentius impedit, tollit enim non solum commixtionem seminum, sed etiam rigorem membrorum, quo fit coniunctio corporum; ideo frigiditas magis hic ponitur impedimen-

men-

mentum quam caliditas, cum omnis defectus naturalis potius ad frigiditatem reducatur, 4. *sent. dist.* 34. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2.

116. *Quær.* An frigiditas eodem modo, apponat impedimentum in viro, ac in muliere, vel potius aliunde in fœminis impedimentum oriatur?

Resp. Div. Th. Mas est agens in generatione, sed fœmina est patiens; & ideo maior caliditas requiritur in viro ad opus generationis, quam in muliere; unde frigiditas, quæ facit virum impotentem, non faceret mulierem impotentem. Sed in muliere potest esse impedimentum ex causa alia, puta arctatione, & huiusmodi, & tunc idem est iudicium de arctatione mulieris, & de frigiditate viri, 4. *sent. dist.* 34. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 6

117. *Quær.* An vir sciens impotentiam frigiditatis suæ, sed sperans per artem medicam curandam; si contrahat matrimonium, tale matrimonium subsistat?

Resp. Div. Th. In quolibet contractu hoc universaliter tenetur, quod ille, qui est impotens ad solvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum, quo se obligabat ad eius solutionem; tamen impotens potest quis esse tripliciter: uno modo quia non potest solvere de iure, & sic talis impotentia omnibus modis facit talem contractum esse nullum; sive sciat ille cum quo facit talem contractum hanc impotentiam, sive non: alio modo quia non sit solvendo de facto, & tunc si sciat ille, cum quo contrahit hanc impotentiam, & nihilominus contrahit, ostenditur, quod alium finem ex contractu quærit, & ideo contractus stat; si autem nescit tunc contractus nullus est; & ideo frigiditas, quæ causat talem impotentiam, ut homo non possit de facto solvere debitum, sicut conditio servitutis, per quam homo non potest de facto libere reddere, impediunt matrimonium, quando alter coniugum ignorat hoc, quod alium non potest reddere debitum. Impedimentum autem, per quod aliquis non potest de iure reddere debitum, ut puta consanguinitas, affinitas, & huiusmodi, annullat contractum matrimonium, sive sciat alter, sive non, 4. *sent. dist.* 34. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 4.

118. *Quær.* An senes, qui sunt frigidi, & fœminæ steriles possint contrahere matrimonium?

Resp. Div. Th. Vetuli quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam; & ideo conceditur eis matrimonium secundum quod est in remedium; sive propter communicationem viræ socialis, quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturæ; similiter & sterilibus, quia etsi; matrimonium non habeat intentum suum secundum, quod est in officium naturæ, habet tamen secundum, quod est in remedium per carnalem copulam, 4. *sent. dist.* 34. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 3. *& in exposit. litteræ.*

119. *Quær.* An aliquod impedimentum possit esse perpetuum, & respectivum in actu coniugali?

Resp. Div. Th. Non potest esse perpetuum impedimentum naturale in viro respectu unius personæ, & non respectu alterius; sed si non possit puta implere carnalem actum cum virgine ratione debilitatis, & possit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere, & ei coniungi; nec esset contra matrimonium, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum, 4. *sent. dist.* 34. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 3.

120. *Quær.* Quænam est praxis quando agitur de nullitate matrimonii pro separatione facienda a coniugio, causa impotentiæ coeundi.

Resp. Div. Th. Divortium hoc modo fieri debet. Cum impotentia coeundi allegatur, si uterque confiteatur, scilicet vir, & uxor; si est evidens impedimentum, ut in eunuchis; possunt statim separari: si autem non sit evidens præcipiendum est eis, ut adhuc cohabitent bona fide, carnali copulæ operam dantes: quod si usque ad triennium fieri nequit, tunc iurabit uterque, quod bona fide operam dantes, carnaliter coniungi non potuerunt: & ut divortium de facili non celebretur, requiritur quod septem de propinquis, qui melius de hoc possunt per signa probabilia scire veritatem, iurent, quod credant eos verum dixisse. Si autem vir asserit copulam carnalem præcessisse, mulier negat, standum est iuramento viri, nisi per aspectum corporis sui mulier probare velit virum esse mentitum. Si tamen

tamen vir falsum iurat, & uxor contrarium non possit probare, potest sibi providere de seorsum iacendo, sive dormiendo, ne ex impetitione viri ad libidinem provocetur, & periculum incontinentiæ immineat. Si autem vir neget carnalem copulam præcessisse, vel tentasse, tunc non est standum iuramento eius, quamvis sit caput mulieris, si mulier affirmet; quia sic daretur facultas multis viris dimittendi uxores suas. Circa maleficium si fuerit generaliter respectu cuiuslibet faciens impotentiam coeundi, tunc si alteri nupserit ostenditur impedimentum non fuisse perpetuum: unde debet ad prius coniugium redire. Si autem fuerit personale, idest respectu specialis personæ, cum utrique detur licentia alteri nubendi, non potest reddita potentia nubendi, sive coeundi ad pristinum matrimonium redire, quia nullum fuit, & secundum est verum matrimonium, 4. *sent. dist.* 34. *in exposit. Litteræ*.

120. *Quær.* An Ecclesia prohibuit matrimonia clandestina omni tempore, & quomodo nunc prohibeat?

Resp. Div. Th. Ecclesia semper prohibuit clandestina matrimonia propter pericula, quæ inde evenire solent; quia frequenter in talibus est aliqua fraus ex altera parte: frequenter etiam ad alia coniugia transeunt, dum pœnitent de istis, quæ subito facta sunt, & multa alia mala inde accidunt; & speciem turpitudinis præter hoc habent. Iure antiquo tamen non erant prohibita clandestina matrimonia, quasi contra essentialia matrimonii existentia, quia erat debita materia; scilicet si erant personæ legitimæ ad contrahendum, & debita forma, scilicet verba de præsenti consensum exprimentia, quamvis peccarent sic contrahentes. „(Nunc iure novo Tri„dent. sunt prohibita talia matrimonia, „quia censentur ad instar illegitima„rum personarum, quæ sunt materia„indebita huic Sacramento„) Nam personæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo, quod sunt contra legem, qua matrimonium constituitur; matrimonium autem, inquantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ; inquantum est in officium communitatis, statuitur lege civili; inquantum est Sacramentum, statuitur iure divino: & ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima, cum limitatione tamen circa legem civilem, ut supra adnotavimus, iudicio Ecclesiæ, & infra dicetur. Et quia lex naturalis secundum diversos status recepit determinationes diversas; & ius positivum etiam variatur secundum diversas hominum conditiones in diversis temporibus; & ideo ponitur in diversis temporibus diversas personas illegitimas esse. Et quia matrimonium non tantum est in officium, sed etiam est Sacramentum, ideo magis subiacet ordinationi Ministrorum Ecclesiæ, quia sicut contractus, & officia pure humana determinantur legibus humanis, ita contractus, & officia spiritualia lege Ecclesiæ. Ecclesia tamen in his, quæ ad matrimonium pertinent; diversimode se habet; uno quidem modo per modum iudicantis, secundum ea, quæ sibi apparent per confessionem partium, & per idoneos testes, & per alia legitima documenta. Iudicio Ecclesiæ; in hoc si veritas lateat non impedit sequens matrimonium contrahendum, nec dirimit iam contractum. Alio modo se habet per modum prohibentis, vel punientis, & hoc quidem impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit iam contractum; puta uxoricidæ pœnam imponit Ecclesia, ut ulterius matrimonio abstineat. Si tamen contraxit matrimonium, non dirimitur. Tertio modo se habet per modum statuentis, quod fit solum auctoritate Summi Pontificis, & secundum hoc personæ aliquæ redduntur illegitimæ ad contrahendum, ita quod si etiam contrahant matrimonium, dirimitur: ut patet in quibusdam gradibus consanguinitatis, & affinitatis, & nunc etiam in matrimonio clandestino, 4. *sent. dist.* 28. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 3. *& ad* 4. *& dist.* 34. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4. *& dist.* 40. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 1. *& ad* 2. *& Quodlib.* 5. *q.* 8. *art.* 15. *ad* 1. *totum promiscue*.

Conc. Trid. *Sess.* 24. *de reform. matrim. cap.* 1. videlicet: *Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde iure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias*

sine

sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes rata, vel irrita facere posse: nihilominus S. Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque probibuit. Verum cum S. Synodus animadvertat, probibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse, & gravia peccata perpendat, quæ ex eis clandestinis coniugiis ortum babent; idcirco Sacri Lateranensis Concilii sub Inn. III. celebrati vestigiis inhærendo, præcipit, ut in posterum antequam matrimonium contrabatur ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuatis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntientur, inter quos matrimonium sit contrahendum, &c. Et infra: *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc, vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus celebretur, &c.* Et infra: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit.*

122. *Quær.* De impedimento raptus, quid sit, & quomodo impediat matrimonium?

Resp. Div. Th. Raptus videtur quamdam violentiam importare; dicitur enim in *Decretis 36. q. 1. cap. Lex illa præteritorum*, quod raptus committitur, cum puella e domo patris abducitur, ut corrupta in uxorem habeatur: quæ quidem violentia quandoque infertur tam ipsi virgini, quam patri; quandoque autem infertur patri, sed non virgini, puta cum ipsa consentit, ut per violentiam de domo patris abstrahatur. Qualitercumque enim violentia adsit salvatur ratio raptus. Unde *Symmachus* Papa dicit, & habetur *36. q. 2. cap. Raptores*. Raptores viduarum, vel virginum, ob immanitatem facinoris tanti detestamur. Aliter tamen dicendum est de raptu puellarum, quæ sunt aliis desponsatæ, & aliter illarum, quæ non sunt aliis desponsatæ: illæ enim, quæ sunt aliis desponsatæ, restituendæ sunt suis sponsis, quia in eis ex ipsa desponsatione ius habent. Illæ autem, quæ non sunt aliis desponsatæ, primo restituendæ sunt patris potestati, & tunc de voluntate parentum licite possunt eas in uxores accipere; si autem aliter fit, illicite matrimonium contrahitur. Iure enim antiquo raptus non dirimebat matrimonium iam contractum, sed impediebat contrahendum. „ (Iure tamen novo Con„ cil. Trid. *Sess. 24. de reform. matrim.* „ *cap. 6.* raptus dirimit matrimonium.) „ Tenetur enim, ait Div. Thomas, quicumque rem rapit, ad eius restitutionem: illæ igitur, quæ non sunt aliis desponsatæ primo restituendæ sunt patris potestati, quamvis possit postmodum duci in matrimonium consentiente puella, & parentibus; aliter quantum ad præsens pertinent, maxime a matrimonio distat. Sic etiam decrevit Sancta Synodus propter supradictas rationes allatas a Divo Thoma in hac *2. 2. q. 154. art. 7. in corp. & ad 3. & ad 4. itidem in 4. sent. dist. 41. q. 1. art. 4. quæstiunc. 3. ad 3.* Verba Concilii sunt hæc: *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, &c.* Et infra: *Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit decenter arbitrio iudicis dotare.*

123. *Quær.* An sponsus dicatur raptor, si sponsa violenter rapiat de domo patris, & incidat in pœnas iuris?

Resp. Div. Th. Sponsus ex ipsa desponsatione habet aliquod ius in sua sponsa; & ideo quamvis peccet violentiam inferendo, excusatur tamen a crimine raptus, Unde *Gelasius* Papa dicit, & habetur *36. q. 1. cap. Lex illa præteritorum*. Lex illa præteritorum principum ibi dicit raptum esse commissum, ubi puella, de cuius nuptiis nihil actum erat, videbatur abducta, *2. 2. q. 154. art. 7. ad 4.*

124. *Quær.* An secundæ nuptiæ sint licitæ, & an matrimonium tunc sit Sacramentum?

Resp. Div. Th. Vinculum matrimoniale non durat, nisi usque ad mortem, ut patet *Rom. 7.* Et ideo moriente altero coniugum, vinculum matrimoniale cessat; unde propter præcedens matrimonium non impe-

impeditur aliquis a secundo, mortua coniuge; & sic non solum secundae, sed tertiae, & sic deinceps nuptiae sunt licitae, quamvis careant illo honore significationis, qui est in primis nuptiis, ut sit una unius, sicut est in Christo, & Ecclesia. Hoc non obstante, illud est verum Sacramentum, ubi inveniuntur ea, quae sunt de essentia Sacramenti; unde cum in secundis nuptiis inveniantur omnia, quae sunt de essentia Sacramenti, scilicet debita materia, quam facit personarum legitimitas, & debita forma, scilicet expressio consensus interioris per verba de praesenti; propterea constat etiam, quod secundum matrimonium est Sacramentum, sicut primum, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 3. *art.* 1. *&* 2. *in corp.*

125. *Quaer.* An secundae nuptiae benedicantur?

Resp. Div. Th. Secundum matrimonium quamvis in se consideratum sit perfectum Sacramentum, tamen in ordine ad primum habet aliquid de defectu Sacramenti, ut dictum est superius, quia non habet plenam significationem, cum non sit una unius, sicut est in matrimonio Christi, & Ecclesiae, & ratione huius defectus benedictio a secundis nuptiis subtrahitur: sed hoc est intelligendum quando secundae nuptiae sunt secundae tam ex parte viri, quam ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum; si enim virgo contrahat cum illo, qui habuit aliam uxorem, nihilominus nuptiae benedicuntur: salvatur enim aliquo modo significatio etiam in ordine ad primas nuptias; quia Christus etsi unam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in una Ecclesia. Sed anima non potest esse sponsa alterius, quam Christi, propter hoc quando mulier secundo nubit, nuptiae non benedicuntur propter defectum Sacramenti, 4. *sent. dist.* 42. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 2.

Error Montani secundi saeculi: *Secundae nuptiae non sunt licitae, sed scortationes.*

126. *Quaer.* Cui competat iudicare, & dispensare in causis matrimonialibus?

Resp. Div. Th. Dictum est supra in quaestione de impedimento clandestino, quod matrimonium cum sit Sacramentum subiacet ordinationi Ministrorum Ecclesiae, quia sicut contractus, & officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus, & officia spiritualia lege Ecclesiae. Unde Ecclesia in his quae pertinent ad matrimonium se habet per modum iudicantis, per modum prohibentis, & punientis, & tertio modo per modum statuentis; hoc ultimum tamen fit solum auctoritate Summi Pontificis, 4. *sent dist.* 40. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 2. *& quodlib.* 5. *q.* 8. *art.* 15. *ad* 1. *promiscue.*

Unde Concil. Trid. *Sess.* 24. *de reform. matrim. Can.* 12. hoc idem decernit, scilicet: *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos: anathema sit.*

127. *Quaer.* An Ecclesia sit acceptatrix personarum, ex eo quia ut plurimum in causis matrimonialibus dispensat cum personis excellentibus, quam cum aliis?

Resp. Div. Th. Dispensatio matrimonii contrahendi principaliter fieri consuevit propter foedus pacis firmandum, quod quidem magis est necessarium communi utilitati circa personas excellentes; & ideo facilius dispensatur cum divitibus, & potentibus, quod in gradu prohibito contrahant matrimonium, quam cum aliis, absque peccato acceptionis personarum, 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 2.

Concil. Trid. *Sess.* 24. *de reform. matrim. cap.* 5. *In contrahendis matrimoniis, vel nulla detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.*

128. *Quaer.* An sit facilius dispensandum in gradibus affinitatis, quam consanguinitatis?

Resp. Div. Th. Quia affinitas est minus vinculum quam consanguinitas, facilius olim, & nunc dispensatio fit in remotis gradibus affinitatis, quam in remotis gradibus consanguinitatis, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 2. *quaestiunc.* 3.

129. *Quaer.* An filii, qui nascuntur illegitimi, per subsequens matrimonium ex dispensatione Pontificis fiant legitimi?

Resp. Div. Th. Cum quis ducit in uxorem illam ex qua filium illegitimum generavit, si non fuit adulterium; per specialem indulgentiam, & dispensationem Domini Papae legitimatur, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 3. *quaestiunc.* 3. *in corp.*

130. *Quaer.* De divortio; an Ecclesia per suam sententiam debeat causam divortii iudicare?

Resp. Div. Th. Cum omnis concubitus præter legitimum matrimonium sit peccatum mortale, quod Ecclesia omnibus modis impedire conatur: ad ipsam pertinet eos, inter quos non potest esse verum matrimonium, separare, & præcipue consanguineos, & affines, qui sine incestu contrahere non possunt. Sciendum tamen, quod cum Ecclesia non intendat privare aliquem iure suo, si decepta per falsos testes separaverit matrimonium, altera personarum expoliata vi, iuste debet ei fieri restitutio, etiamsi altera votum emisisset religionis, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 1. *in corp. & in exposit. Litteræ promiscue.*

131. *Quær.* An si bona fide aliqui in facie Ecclesiæ cum impedimento contrahant, cognito impedimento sint separandi?

Resp. Div. Th. Quamvis Ecclesia dono, & auctoritate divina fulciatur; tamen inquantum est hominum congregatio, aliquid ex defectu humano in actibus eius provenit, quod non est divinum: & ideo illa coniunctio, quæ fit in facie Ecclesiæ impedimentum ignorantis, non habet inseparabilitatem ex auctoritate divina, sed est contra auctoritatem divinam errore humano inducta, quæ excusat a peccato, cum sit error facti, quamdiu manet: & propter hoc quando impedimentum ad notitiam Ecclesiæ venit, debet prædictam coniunctionem separare. Neque per diuturnitatem temporis matrimonium ratificatur, si prius ratum non fuit; quia detecto errore, illa, quæ sine peccato esse non possunt, nulla præscriptione firmantur, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 1. *& ad* 2.

132. *Quær.* An in causis matrimonialibus adhibeantur testes, sicut in aliis causis, sive criminalibus, sive civilibus?

Resp. Div. Th. In causis matrimonialibus oportet, quod per testes veritas patefiat, sicut & in aliis: tamen ut Iuristæ dicunt, in hac causa multa specialia inveniuntur; scilicet, quod idem potest esse accusator, & testis; & quod non iuratur de calumnia, cum sit quædam quasi causa spiritualis, & accusator non se obligat ad aliquam pœnam, talis accusatio potest & verbo, & scripto fieri, ita quod exprimatur & persona accusans matrimonium, & quod accusatur, & impedimentum propter quod accusatur. Consanguinei admittuntur ad testificandum, quia extranei non possunt scire consanguinitatem, nisi per consanguineos de quibus probabilius est, quod sciant: unde quando ipsi tacent, suspicio habetur contra extraneum, quod ex malevolentia procedat, nisi per consanguineos probare voluerit: unde repellitur ab accusatione, quando sunt consanguinei, qui tacent, & per quos probari non potest: sed consanguinei quantumcumque sint propinqui, non repelluntur ab accusatione, quando accusatur matrimonium propter aliquod impedimentum perpetuum, quod impedit contrahendum, & dirimit contractum: sed quando accusatur ex hoc quod dicitur non fuisse contractum, tunc parentes tamquam suspecti sunt repellendi: in his non observatur omnino ordo iudiciarius, quia denunciatione facta contumax potest excommunicari lite non contestata: & valet testimonium de auditu, & post publicationem testium, testes possunt induci: & hoc totum est ut peccatum impediatur, quod in tali coniunctione esse potest, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *ad* 2. *& quæstiunc.* 3. *in corp.*

133. *Quær.* Quid agendum quando duo fratres habent duas sorores, si unus separatur ex causa adducta in iudicio de consanguinitate, alter etiam statim debet ne recedere ab uxore sua?

Resp. Div. Th. Res inter alios acta alii non præiudicat in foro contentioso: unde quamvis unus frater repellatur a matrimonio unius sororum ex causa consanguinitatis, non propter hoc separat Ecclesia illud matrimonium, quod non accusatur. Sed in foro conscientiæ non oportet, quod semper obligetur ad hoc alius frater ad dimittendam uxorem; quia frequenter tales accusationes ex malevolentia procedunt, & per falsos testes probantur. Unde non oportet, quod conscientiam suam informet, ex his, quæ sunt circa aliud matrimonium facta: sed distinguendum videtur in hoc, quia aut habet certam scientiam de impedimento matrimonii, aut opinionem, aut neutram; si primo modo, nec exigere, nec reddere debitum debet; si secundo debet reddere, sed non exigere; si tertio potest reddere, & exigere, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 5. *quæst.* 1. *ad* 3.

134. *Quær.* An solum propter fornicatio-

tionem: an etiam propter alia crimina liceat viro petere divortium ab uxore sua: & an hoc debeat fieri iudicio Ecclesiæ?

Resp. Div. Th. Dominus dimittere uxorem concessit propter fornicationem tantum, ut habetur *Matth.* 5. in pœnam illius, qui fidem fregit, & in favorem illius, qui servavit, ut non sit adstrictus ad reddendum debitum ei, qui non servavit fidem; & quia fornicatio est directe contra bona matrimonii, quia tollitur per eam certitudo prolis; ultra quod quia fides frangitur; præterea significatio non servatur, dum unus coniugum pluribus carnem suam dividat. Etiam propter vitium contra naturam potest fieri divortium; sed non fit ita mentio, quia rarius accidit. Alia vero crimina quamvis forte sint maiora fornicatione, non causant divortium. Sed quia infidelitas, quæ dicitur spiritualis fornicatio, etiam est contra matrimonii bonum, quod est proles educanda ad cultum Dei, etiam ipsa facit divortium; sed tamen aliter quam corporalis fornicatio: quia propter unum actum fornicationis carnalis potest procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem, quæ pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perficitur. Est tamen sciendum quod vir potest dimittere uxorem dupliciter; uno modo quantum ad thorum tantum, & sic potest eam dimittere, quam cito sibi constat de fornicatione uxoris, & hoc proprio arbitrio, nec tenetur reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur; & taliter reddens nullum sibi præiudicium facit: alio modo quantum ad thorum, & cohabitationem; & hoc modo non potest dimitti, nisi iudicio Ecclesiæ; & si alias dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, quia nullus in eadem causa est actor, & iudex, nec debet se ipsum vindicare, nisi possit ei vir in continenti fornicationem probare. Hæc autem dimissio divortium dicitur. Excipiuntur tamen septem casus, in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem, in quibus vel uxor a culpa immunis est, vel utrique sunt æqualiter culpabiles. Primus est si ipse vir similiter fornicatus fuerit, quia divortium fit ex causa fornicationis, uno accusante alium: & quia nullus potest accusare, qui in simili crimine existit, unde quando uterque fornicatur, divortium celebrari non potest. Secundus, si ipse uxorem prostituerit. Tertius, si uxor virum suum mortuum probabiliter credens, propter longam eius absentiam, alteri nupserit. Quartus est, si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante. Quintus, si fuerit vi oppressa. Sextus, si reconciliaverit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens. Septimus, si matrimonio in infidelitate utriusque contracto, vir dederit uxori libellum repudii, & uxor alteri nupserit, tunc enim si utrique convertantur, tenetur eam vir recipere, 4. *sent. dist.* 35. *q.* 1. *art.* 1. *per totum*, *&* *art.* 3. *in corp.*

135. *Quer.* Quomodo possit vir procedere ad accusationem, si clam fornicatio, ut in plurimum habeatur, & eius suspicio non possit probari?

Resp. Div. Th. Quandoque vir uxorem suspectam habens ei insidiatur, & deprehendere eam potest cum testibus in crimine fornicationis; & sic potest ad accusationem procedere. Si de facto isto non constat per testes, possunt esse violentæ suspiciones fornicationis; quibus probatis, videtur fornicatio esse probata, puta si inveniatur solus cum sola, horis, & locis suspectis, & nudus cum nuda. Tunc maritus potest accusare uxorem dupliciter: uno modo ad thori separationem coram iudice spirituali, & tunc prius inscriptio debet fieri, absque tamen obligatione ad legem talionis; & sic vir consequitur intentum suum. Alio modo ad punitionem criminis in iudicio sæculari; & tunc oportet, quod præcedat inscriptio, per quam etiam ad pœnam talionis se obliget, si forte in probatione deficiat, 4. *sent. dist.* 35. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 4. *&* *ad* 5.

136. *Quer.* An vir teneatur ex præcepto uxorem fornicariam accusare, & dimittere?

Resp. Div. Th. *Glosa* dicit supra *Epistol.* 1. *ad Cor.* 7. quod Dominus permisit causa fornicationis uxorem dimittere, ergo non est in præcepto. Dimissio enim uxoris fornicantis introducta est ad corrigendum uxoris crimen per talem pœnam: peccatum autem fornicationis potest corrigi non solum tali pœna, sed etiam verbis, & verbere; & ideo si alias ad correctionem sit parata, non tenetur vir prædictam pœ-

pœnam ad eius correctionem adhibere: pœna autem corrigens non requiritur ubi emendatio iam præcessit: ideo si mulier de peccato pœniteat vir non tenetur eam dimittere: si autem non pœniteat, tenetur, quia vir non totaliter potest pœnam dimittere, nisi emendatio sequatur, ne peccato eius consentire videatur, dum correctionem debitam non apponit; quia ipsa confusio, quam uxor reportat de divortio, debet eam cohibere a peccato, quod si cohibere non potest, minus malum est, quod ipsa sola peccet, quam quod vir peccati eius sit particeps, 4 *sent. dist.* 35. *q.* 1. *art.* 3. *per totum*, *& art.* 5. *ad* 2. *promiscue*.

137. *Quær.* An vir, & uxor debeant in causa divortii ad paria iudicari?

Resp. Div. Th. In causa divortii vir, & uxor ad paria iudicantur, ut idem sit licitum, & illicitum uni, quod alteri; non tamen pariter iudicantur ad illa, quia causa divortii est maior in uno, quam in alio, cum tamen in utroque sit causa sufficiens ad divortium. Divortium enim est pœna adulterii inquantum est contra matrimonii bonum: quantum autem ad bonum fidei, ad quam coniuges æqualiter sibi invicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium unius, sicut adulterium alterius, & hæc causa in utroque sufficit ad divortium: sed quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium uxoris, quam viri: ex illa circumstantia, quæ in aliam speciem trahit, scilicet ex læsione matrimonii, quæ transit ad speciem iniustitiæ in hoc, quod furtive aliena proles submittitur: & ideo maior causa divortii est in uxore, quam in viro; & sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur: nec tamen iniuste, quia in utroque est causa sufficiens ad hanc pœnam; sic etiam est de duobus qui damnantur ad eiusdem mortis pœnam, quamvis alius altero gravius quandoque peccaverit, 4. *sent. distinct.* 35. *q.* 1. *artic.* 4. *in corp. & ad* 6.

138. *Quær.* An vir quando videt uxorem fornicariam pœnitentem debeat eam non accusare?

Resp. Div. Th. Pœnitentia uxoris debet inducere virum, ut uxorem fornicariam, non accuset, aut dimittat: sed tamen non potest ad hoc cogi, nec potest per pœnitentiam uxor eum ab accusatione repellere; quia cessante culpa, & quantum ad actum, & quantum ad maculam adhuc manet aliquid de reatu; & cessante etiam reatu quoad Deum, adhuc manet reatus quoad pœnam humano iudicio inferendam: quia homo non videt cor sicut Deus, 4. *sent. distinct.* 35. *quest.* 1. *art.* 6. *ad* 2.

139. *Quær.* An post divortium causa adulterii liceat viro, vel uxori ad alias nuptias convolare?

Resp. Div. Th. Nihil adveniens supra matrimonium potest ipsum dissolvere; adulterium enim non facit quin sit verum matrimonium. Manet enim, ut dicit *Augustinus de bono coniugali*, & habetur 32. *q.* 7. *cap. Usque adeo*, §. *Manet inter viventes*. Manet, inquit, inter viventes coniugale vinculum, quod nec separatio, nec cum alio iunctio potest auferre: & ideo non licet uni altero vivente ad aliam copulam transire. Unde quamvis uxor post divortium non teneatur viro adultero ad debitum reddendum, & cohabitandum, tamen adhuc manet vinculum matrimonii, ex quo ad hoc tenebatur; nec potest ad aliam copulam transire viro vivente. Nec valet dicere, quod nullus tenetur, maxime ex parti innocentis, ad perpetuam continentiam; quia quamvis per se nullus obligetur; tamen per accidens potest esse, quod obligetur ad continentiam. Sicut si vir, vel uxor sua ægritudinem incurabilem incurrat, & talem, quæ carnalem copulam non patiatur: & similiter etiam est si incorrigibiliter spirituali infirmitate, scilicet fornicatione laboret. Potest tamen ipsam continentiam vovere mulier viro invito, & e contra, nisi videatur Ecclesiam deceptam fuisse per falsos testes sententiando de divortio, quia in tali casu, puta uxor etiam si votum professionis emisisset restitueretur viro, & e contra, & teneretur debitum reddere; sed non liceret ei exigere existente voto continentiæ. Quare, ait *Apostol.* 1. *Cor.* 7. Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam, eo magis si sit adultera: nullus enim ex peccato debet reportare commodum, sed reportaret si liceret adulteræ ad aliud magis desideratum connubium transire, & esset occasio adulterandi volentibus alia matrimonia quærere. Non li-

licet igitur aliam copulam quærere nec viro, nec uxori, 4. *sent. dist.* 35. *q.* 1. *art.* 5. *per totum promiscue*.

Conc. Trid. *Sess.* 24. *de reform. matrim. Can.* 7. scilicet: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, iuxta Evangelium, & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit: anathema sit*. Similiter *Can.* 8. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges, quo ad thorum, seu quo ad cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit: anathema sit*.

Error Græcorum sæcul. 10. *Per adulterium solvitur matrimonium etiam consummatum*..

140. *Quær.* An post divortium possint vir, & uxor reconciliari?

Resp. Div. Th. Si uxor post divortium de peccato pœnitentiam agens emendata fuerit, potest eam sibi vir reconciliare. Nec obstat, quod cum in iudicio Ecclesiæ bene definitum sit, quod coniuges debeant separari, hoc iudicium non debeat iterum retractari; quia sententia Ecclesiæ divortium celebrans non fuit cogens ad separationem; sed licentiam præbens: & ideo absque retractatione præcedentis sententiæ potest reconciliatio sequi. Nam quod inducitur in favorem alicuius non facit ei præiudicium: unde cum divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei ius petendi debitum, vel revocandi uxorem: & uxor ei tenetur reddere, & ad eum redire si fuerit revocata; nam ait *Apostolus* 1. *Cor.* 7. Si dissenserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari, nisi de licentia eius votum continentiæ emiserit. Si autem uxor in peccato incorrigibilis maneat, non debet eam ad se assumere eadem ratione, qua non licebat eam nolentem a peccato desistere, retinere, 4. *sent. dist.* 35. *q.* 1. *art.* 6. *in corp.* & *ad* 1. & *ad* 3.

141. *Quær.* An post divortium si vir incidat in adulterium possit cogi ad reconciliationem cum uxore?

Resp. Div. Th. Propter adulterium, quod vir prius innocens post divortium committit, secundum rigorem iuris non debet cogi ad recipiendam uxorem adulteram; cum iuste sit divortium celebratum. Tamen secundum æquitatem iuris iudex ex officio suo debet eum cogere, ut caveat periculo animæ eius, & scandalo aliorum, quamvis uxor non possit reconciliationem petere, 4. *sent. dist.* 35. *q.* 1. *art.* 6. *ad* 4.

142. *Quær.* Quomodo possit reintegrationem uxor petere contra virum quando ipsa est innocens, vel quomodo si ipsa est adultera publice, potest excipere contra maritum, qui etiam ipse in occulto est adulter?

Resp. Div. Th. Quando autem mulier ad reintegrationem matrimonii agit distinguendum est; quia si agit petitorio, ut scilicet ei detur vir, qui cum ea contraxit, antequam fiat restitutio retractabitur de exceptione ex parte mariti proposita: si autem agit possessorio primo restituendus est sibi vir, quam exceptio prædicta tractetur, & eadem ratio est si vir agat. Sed excipiuntur ab utroque communiter quinque casus. Primus est, quando vir excipiendo proponit publicam fornicationem uxoris. Secundo quando proponit gradum consanguinitatis iure divino prohibitum; tamen si differatur, oportet fieri restitutionem per sententiam; sed ille non tenebitur reddere debitum si habeat conscientiam de consanguinitate prædicta. Tertius si obiiciatur exceptio rei iudicatæ a qua non est appellatum. Quartus quando est tanta sævitia viri, quod non potest sufficiens cautio adhiberi, puta quod vir persequitur uxorem odio capitali. Quintus est, quando ille qui agit, spoliavit alium sine causa. Si enim vir adulter occulte, dimittat per iudicium Ecclesiæ uxorem convictam de adulterio; si adulterium viri sit occultum non aufertur ius excipiendi contra accusationem viri uxori adulteræ, quamvis desit sibi probatio: & in tali casu peccat vir divortium petens; & si post sententiam de divortio uxor petat debitum, vel reconciliationem vir tenetur ad utrumque, 4. *sent. dist.* 35. *q.* 1. *art.* 6. *ad* 5. & *dist.* 41. *q.* 1. *in expositione Textus*, *totum promiscue*.

143. *Quær.* Quare accusatio debeat præcedere separationem coniugum?

Resp.

Resp. Div. Th. Quia accusatio ad hoc est instituta, ne aliquis sustineatur tamquam innocens, qui culpam habet; sicut ex ignorantia facti contingit, quod aliquis homo reputatur innocens qui in culpa est, ita etiam ex ignorantia alicuius circumstantiæ contingit, quod aliquod factum reputatur licitum, quod illicitum est: & ideo sicut homo accusatur quandoque, ita & factum ipsum accusari potest: & sic matrimonium excusatur quando propter ignoratiam impedimenti æstimatur legitimum, quod est illegitimum. Ille etiam, qui primo tacuit, quandoque auditur postea, si velit matrimonium accusare, quandoque tamen etiam repellitur, ut patet ex decretali: Qui matrimonium accusare possunt, *cap. Quod in tua in princ.* quæ sic dicit: Si post contractum matrimonium aliquis apparet accusator, cum non prodierit in publicum, quando secundum consuetudinem in Ecclesiis edebatur, utrum vox debeat suæ accusationis admitti, merito quæri potest. Super quo respondemus, quod si tempore denunciationis præmissæ is, qui iam coniunctus impedit, puta extra Diæcesim existebat, vel alias denunciatio ad eius non potuit notitiam pervenire, ut puta, si nimiæ infirmitatis fervore laborans sanæ mentis patiebatur exilium, vel in annis erat tam teneris constitutus, quod ad comprehensionem talium eius ætas sufficere non valebat, seu alia causa legitima fuerit impeditus, eius accusatio debet audiri; alioquin tamquam suspectus esset procul dubio repellendus, nisi iuramento firmaverit, quod post didicerit ea, quæ obiecerit, ut constet, quod ad hoc non procedat ex malitia, 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *in corp. & ad* 4. *promiscue*.

144. *Quær.* Tandem quod est officium Sacerdotis circa hoc Sacramentum?

Resp. Div. Th. Ad Sacerdotem pertinet curare, ne in Parochia sua contrahantur clandestina matrimonia, & incestuosa; & ideo inveniri debent publica sponsalia, & aliæ solemnitates consuetæ, per quas excluduntur, & revelantur ista impedimenta; propter quæ celebrat Sacerdos Missam specialem, in qua benedicit sponsam cum sponso, ut 30. *q.* 5. *per totum*. Requiritur tamen, quod sponsa beneditatur per Sacerdotem, si sit virgo, ut habeat in se signaculum Sacramenti; signat enim Ecclesiam, quæ virgo Christo nupsit, & virgo in fide permansit, iuxta illud *Apost.* 2. *ad Corinth.* 11. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo, ut notatur extra de *Bigam. cap. Debitum*. Propter quod etiam mulier corrupta non potest in sacram virginem consecrari, ut 12. *q.* 5. *Ille autem*, & 26. *dist. cap. Acutius*: & ita quantum ad hoc requiritur maior castitas in muliere, quam in viro. Prius tamen quam sponsalia contrahantur Sacerdos denunciet publice in Ecclesia personas, inter quas matrimonium debet contrahi, ut quicumque sciverit aliqua impedimenta, infra certum terminum dicat, aliter Sacerdos non celebret sibi missam, quia graviter puniretur in iure. Extra de *clandest. sponsal. cum inbibitio*. Illud autem non omitto, quod quando Sacerdos celebrat Missam sponsalium, facta consecratione, antequam dicat, Pax Domini, benedicat sponsam cum sponso, & peracta beneditione redeunt ad Altare recepturi corpus, & sanguinem in Altari. Ego autem laudo, & tutius reputo meo iudicio, ut Sacerdos prius sumat Corpus, & Sanguinem Domini propter periculum, quod possit intervenire in tanto strepitu hominum de Corpore Christi, & propter periculum conscientiæ Sacerdotis; & sic peracto divino illo mysterio Sacerdos vadat ad benedicendum illos, sed ante benedictionem Sacerdos interroget illos utrum unus consentiat in alterum per verba de præsenti, & velit ipsam in coniugem habere, & hoc facto fundat benedictionem super capita amborum; principaliter tamen super mulierem, ratione cuius celebratur Missa, & datur benedictio, sicut patet ex verbis, & forma ipsius benedictionis, & data benedictione, sicut moris est, Sacerdos accipiat manum dexteram sponsæ in manu sua involuta pallio, quo induitur, & assignet eam sponso per verba consueta, & facto signo crucis dimittat eos in pace. In his solemnitatibus maxime attendatur consuetudo, quia in quibusdam Ecclesiis hæc solemnitas non servatur. Debet etiam Sacerdos curare, ut aliquis de Parochia non contrahat cum consanguinea sua, vel affine sua usque ad, quartum gradum, nec in ipso gradu, ut *extra de consang. & af-*

& affinit. cap. Non debet, *& 35. q. 3. cap. Æqualiter*: Si autem ab una parte in quinto gradu; ex altera vero in secundo, vel tertio, vel quarto, possunt contrahere, quia quanto gradu remotior quis distat a stipite, tanto gradu differt a quolibet per aliam lineam descendentium ab eodem, ut extra *de consang. & affin. cap. ultim.* Nec debet aliquis contrahere cum affine data consanguineo suo; & hoc si sponsalia contracta fuerint post septennium, quia tale matrimonium non potest contrahi, & contractum dirimitur extra *de sponsal. Impub. cap. Litteras*. Nec inter filios duorum compatrum potest contrahi matrimonium, si per eos, vel per alterum eorum compaternitas est contracta; ut *extra de consang. spirituali, super eo*. Nec debet quis contrahere cum adultera, quam duxit de facto vivente uxore sua, vel cui dedit fidem contrahendi post mortem uxoris suæ: ut *extra de eo qui duxit in matrim.* quam polluit per adulterium *cap. ult.* Secus si uxor secunda nescia fuit de prima uxore; nam in hoc casu post mortem primæ uxoris remanet matrimonium cum secunda, nec dissolvitur ad petitionem viri, ut *extra de eo, qui duxit in matrim. cap. 5. & penult.* Nec debet quis contrahere mortua uxore cum illa, cuius filium uxor sua, dum viveret de sacro fonte levavit, secus si aliqua levavit filium ipsius uxoris suæ tantum, quia cum illa posset contrahere, ut 30. *q. 4. cap. Qui spiritualem*, *& cap. Post uxoris*. Quia vir, & mulier communicant sibi actiones, & passiones, ut ibidem notatur, uxor enim viro acquirit compaternitatem, & vir uxori post contractum matrimonium, & consummatum, tam in Baptismo, quam in Confirmatione sacri Chrismatis agendo; idest tenendo filium alterius ad Baptismum, vel Chrisma, secus patiendo si eius filius, vel filia teneatur. Dicit enim Magister *Hugo*, quod non solum in Baptismo, sed in omnibus præludiis contrahitur compaternitas, ut 3. *q. cap. Primo*. Alii dixerunt, quod non, ut *extra de cogn. spir. cap. Contracta*. Sed de hoc adhuc sub iudice lis est, *Opusc. 65. cap. De Sacramento matrimonii*.

Concil. Trid. *Sess. 24. de refor. cap. 1. Sancta Synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine etiam immemorabili non obstante. Postremo Sancta Synodus coniuges hortatur antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consumationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pie accedant*.


EPILOGUS.

145. *Quær.* De his, quæ spectant ad Sacramentum Matrimonii, & an status coniugalis anteponendum sit statui virginitatis?

Resp. Div. Th. Septimum Sacramentum est Matrimonium, quod est signum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ. Causa autem efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Est autem triplex bonum matrimonii, quorum primum est proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides quam unus coniugum alteri debet servare. Tertium est Sacramentum; idest indivisibilitas matrimonii, propter hoc, quod significat indivisibilem coniunctionem Christi, & Ecclesiæ. Est autem circa hoc Sacramentum multiplex error. Primo quidem est *Tacianorum*, qui nuptias damnant, contra quos est, quod dicitur, 1. *Cor.* 7. Si nupserit virgo non peccavit. Secundus est error sæculi 4. Ioviniani, qui nuptias æquavit virginitati. Unde postea hisce temporibus *Concil. Trid. Sess.* 24. *Can.* 10. hunc errorem damnavit, scilicet: *Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cælibatus, & non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quam iungi matrimonio: anathema sit*. Tertius est error Nicolaitarum, qui indifferenter mutuis uxoribus utuntur. Fuerunt etiam multi alii hæretici turpia quædam docentes, & exercentes contra id quod dicitur *Heb. ult. cap.* Sit honorabile connubium in omnibus, & thorus im-

immaculatus, *Opusc.* 5. *in fine.* Sed tamen contra errorem Ioviniani qui dixit nuptias esse æqualis meriti apud Deum, ac virginitas, addit S. Doctor: Beatius est manere in virginitate, quam iungi in matrimonio; nam etsi per matrimonium carnale repræsentetur coniugium spirituale Christi, & Ecclesiæ, quantum ad fæcunditatem corporalem per quam regeneramur in filios Dei, sed cum corporalis fæcunditas integritatem carnis non patitur, & Christus elegit sibi Ecclesiam non habentem maculam neque rugam, ut dicitur *Eph.* 5. & alio loco: Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo; cum in hoc repræsentetur etiam quantum ad integritatem, spirituale matrimonium, per quod Christus fit sponsus, & amicus animæ in continentia virginali. Tridentinum iuxta S. Doctoris Angelici verba desumpta ab Apostolo, ait: Beatius est manere in virginitate quam iungi matrimonio, 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 5.

F I N I S.



PRO-

PROPOSITIONES IN DOCTRINA MORUM
A SUMMIS PONTIFICIBUS
ALEXANDRO VII. INNOCENTIO XI. ET ALEXANDRO VIII.
DAMNATÆ.

DECRETUM SS. D. N. PAPÆ ALEXANDRI VII.
die 24. *Septemb.* 1665. *&* 18. *Martii* 1666.

Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodere; summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam Suprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab eiusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret; earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit: Qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, & mature discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ sigillatim exposuerunt.

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir æquestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 28. Iulii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione; ac proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urb. VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob

 aliam

aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo iniuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sic paratus vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam Iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra iustitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator, conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens ieiunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subiicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, reiectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

29. In die ieiunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.

31. Excusantur absolute a præcepto ieiunii illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die sequenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro Anima relictum non durat plusquam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus mature pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas: sicut eas damnat, ac prohibet: Itaut quicumque illas aut coniunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicii prohibet omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

DECRETUM SS. D. N. PAPÆ INNOCENTII XI.

Die 2. Martii 1679.

Sanctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium sibi a Deo creditarum saluti sedulo incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pasculis ab innoxiis, a fel. rec. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas Propositiones, partim ex diversis vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subiecit. Quibus propositionibus sedulo, & accurate sepius discussis, eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, idem SS. D. N. re postea mature considerata, statuit, & decrevit pro nunc sequentes Propositiones, unumquamque ipsarum, sicuti iacens, ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per Decretum alias Propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabiliter sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum di-

dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possimus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalibus suis actibus frui.

9. Opus Coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies: etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habet supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine; quia quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad iustificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, recreationis causa, sive quocumque alio fine, iuret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est periurus.

27. Causa iusta utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare iuramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi: non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Li-

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra iniuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem iniuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est etiam respectu eiusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex iustitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sicut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc, digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities iure naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, & absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, immo quatuor simul, a diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Fre-

56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnæ alicuius festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimmo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cuiusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputative, publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicii prohibet omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab iniuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus, caveant ab omni censura, & nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitæ sint, & super iisdem propositionibus iudicium proferatur.

DECRETUM SS. D. N. PAPÆ ALEXANDRI VIII.

die 24. Augusti 1690.

Sanctissimus D. N. Alexander Papa VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit duas Theses, seu Propositiones, unam denuo, & in maiorem fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere; & cum sui Pastoralis Officii munus sit, oves sibi creditas a noxiis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde EE. & RR. DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus sedulo commisit, qui pluries re mature discussa, infrascriptis thesibus, seu propositionibus super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ sigillatim exposuerunt.

1. Bonitas obiectiva consistit in convenientia obiecti cum natura rationali: Formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.

2. Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & mortale est transgressio libera Divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Qui-

Quibus peractis, Sanctissimus, omnibus plene, & mature consideratis, primam Thesim, seu Propositionem declaravit hereticam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet sub Censuris, & pœnis contra Hereticos, & eorum fautores in iure expressis: Secundam Thesim, seu Propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet, itaut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputaverit publice, seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (preterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicii prohibet omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictam thesim, seu propositionem ad praxim deducant.

ITEM EX EIUSDEM DECRETO
die 7. Decembris 1690.

1. IN statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

5. Pagani, Iudæi, Hæretici, aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sicut proinde merito possimus petere: A gratia sufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est Infidelem in omni opere peccare.

9. Re vera peccat, qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut Cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio; natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ plerumque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob

quæ-

quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat a Beata Virgine Maria in die Purificationis suæ per duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis Simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris &c. prætermissis illis, Ego te baptizo.

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, Non intendo facere, quod facit Ecclesia.

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, ac in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. In Eminenti, est subreptitia.

Quibus mature consideratis, idem Sanctissimus statuit, & decrevit 31. supradictas Propositiones, tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, iniuriosas, heresi proximas, heresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hereticas respective esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet: Itaut quicumque illas aut coniunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (pretterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute sante obedientie, & sub interminatione divini Iudicii prohibet omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne predictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in maiori numero ultra supradictas 31. iam exibitas, & in hoc Decreto non expressas approbare.



INDEX

INDEX TRACTATUUM
ET QUÆSTIONUM.

TRACTATUS PRIMUS.
De Actibus humanis, sive de Moralitate.

TRACTATUS SECUNDUS.
De Regula Moralitatis, scilicet de Lege.

TRACTATUS TERTIUS.
De Vitiis, & Peccatis.

39. An

TRACTATUS QUARTUS.
De Virtutibus.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGALIBUS.

DE FIDE.

DE CANONIZATIONE, ET CULTU SANCTORUM.

DE SPE.

DE VITIIS OPPOSITIS.

DE CHARITATE.

DE CORRECTIONE.

DE VITIIS CHARITATI OPPOSITIS.

DE BELLO.

DE SCANDALO.

TRACTATUS QUINTUS.
De singulis Decalogi Præceptis.

DE PRIMO, ET SECUNDO.

DE VOTO.

39. *An*

DE IURAMENTO.

DE VITIIS OPPOSITIS DUOBUS PRÆCEPTIS PRIMÆ TABULÆ.

DE SUPERSTITIONE, IDOLOLATRIA, DIVINATIONE, ET VANA OBSERVANTIA.

DE SIMONIA.

DE BLASPHEMIA.

TRACTATUS SEXTUS.
De tertio Decalogi Præcepto.

TRACTATUS SEPTIMUS.

De quarto Decalogi Præcepto, ET DE VARIIS HOMINUM STATIBUS, ET OFFICIIS.

TRACTATUS OCTAVUS.

De Pœnis Ecclesiasticis, sive de Censuris.

TRACTATUS NONUS.

De statu Regulari, eiusque obligationibus.

25. *De*

TRACTATUS DECIMUS.
De Iure, & Officiis Principum.

DE OBLIGATIONE MILITIS.

TRACTATUS XI.
De quinto Decalogi Præcepto.

TRACTATUS XII.
De sexto, & nono Decalogi Præcepto.

TRACTATUS XIII.
De septimo, & decimo Decalogi Precepto.

8. *Quid*

37. *An*

TRACTATUS XVIII.
De octavo Decalogi Præcepto.

DE MENDACIO.

TRACTATUS XIX.
De Iudiciis.

DE OFFICIO IUDICIS, ET EIUS OBLIGATIONIBUS.

DE OFFICIO ADVOCATI, ET EIUS OBLIGATIONIBUS.

DE ACCUSATORIBUS, TESTIBUS, ET REIS.

DE TESTIBUS.

DE REIS IN IUDICIO CONSTITUTIS.

DOCTRINÆ MORUM.

PARS ALTERA.

TRACTATUS XX.

De nono, & decimo Decalogi Præcepto, ubi de Ecclesiæ Præceptis.

TRACTATUS XXI.

De Sacramentis Ecclesiæ.

TRACTATUS XXII.

De Baptismo.

TRACTATUS XXIII.
De Sacramento Confirmationis.

DE RITIBUS HUIUS SACRAMENTI.

TRACTATUS XXIV.
De Sacramento Eucharistiæ.

TRACTATUS XXV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

TRACTATUS XXVI.
De Extremæ Unctionis Sacramento.

TRACTATUS XXVII.
De Sacramento Ordinis.

17. An

TRACTATUS XXVIII.
De Sacramento Matrimonii.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

DE

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS, ET PRIMO DE ERRORE.

CORRECTIONES, ET ADDITIONES.

Pag.	Col.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
13.	2.	17.	Gubernatos	Gubernatorem
21.	1.	33.	extraneus:	externus
82.	1.	31.	Iudicia	Indicia
111.	1.	51.	Ipsa	Ipsæ
131.	2.	22.	omne	omnem
157.	2.	*ult.*	spirituale	spirituales
168.	1.	2.	Iniusti	Iusti
187.	1.	29.	polit.	poli
194.	2.	44.	utpota	utpote
210.	1.	50.	dilectionem	deletionem
216.	2.	32.	indelebiles	indelebilis
219.	1.	16	tali	talis
231.	2.	18.	com-senueric	cum senuerit
232.	1.	30.	Error Petro	Error Petri
239.	2.	54.	an Baptismum,	an Baptismus
277.	2.	6.	*pro decret.*	*post decret.*
293.	1.	24.	aliis	alii
293.	2.	15.	aut	ut
313.	2.	33.	primo	prima
317.	1.	7.	status	statum
317.	2.	46.	& levis spes	& non levis spes
324.	2.	46.	per convenientem dictam	per convenientem dictam valetudinem
366.	1.	18.	fidelis	fideles



KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967